ECCLESIAE GALLICANAE HISTORIARVM,

Tomus Primus.


A PRIMO CHRISTI IN GALLIIS Euangelio, ad datam Ecclesiæ pacem.

Res à Fidelibus præclarè gestas, eorum contra Idololatriam, & Hæresim pugnas, ac triumphos, & Synodorum decreta.

QVATVOR LIBRIS COMPLECTENS.

ACCESSIT SECVNDA PARS, QVÆ VETERA monumenta ex MS. eruta, in fidem Historiæ describit.







PARISIIS,
Apud IOANNEM CAMVSAT, in vico Iacobæo, ad insigne Aurei Velleris.


M. DC. XXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.




ILLVSTRISSIMIS
ECCLESIÆ GALLICANÆ
PRIMATIBVS,
METROPOLITIS, EPISCOPIS,
CVNCTISQVE SACRO ORDINI


ADSCRIPTIS:
FIDELIVM CHRISTI LEGATORVM,
ET TESTIVM, QVORVM PRÆCLARÆ
res gestæ hoc in opere describuntur:
RELIGIONIS, ET CONSESSVS
SANCTISSIMIS SVCCESSORIBVS.
Nascentis ejusdem Ecclesiæ
HISTORIAM,
FRANCISCVS BOSQVETVS,
Prætor Narbonensis, M. L. D.



HISTORIARVM ECCLESIÆ GALLICANÆ

TOMI PRIMI.



CHRONOLOGIA.



ANNO tertio Olympiadis CXCIV. August. Imp. XIII. & M. Plautio COSS. Dominus noster Iesus Christus nascitur. LIB. I.

Anno Tiberij Imp. XVIII. Olympiadis CCII. Anno tertio, Christus in cruce salutem humani generis operatur.

Anno à Christi natiuitate XXXV. Mota Hierosolymis in Christianos persecutione, qua Stephanus lapidibus obrutus est, profugi Lazarus, & Maximinus, cum Maria Magdalene, Martha, & aliis Massiliam applicuisse vulgò creduntur.

A. C. XLIV. Claudij Imperatoris II. Petrus Romam venit.

A. C. XLV. Petrus in varias prouincias discipulos misisse dicitur. Ex his Gallias plerosque accepisse ferunt.

A. C. LXI. Neronis V. Paulus solutus vinculis in Hispaniam iuisse, & in transitu Viennæ Crescentem, Arelate Trophimum, Narbone Paulum Episcopos instituisse traditur.

A. C. LXVI. Neronis Decennalibus prima in Christianos Romanorum persecutio, qua in Galliis aliqui passi dicuntur.

A. C. XCII. Domitiani IX. secunda persecutio, qua cæsos Gallos quosdam Episcopos, Dionysium, & alios, aliqui sine fideli teste tradunt. Caraunus in Galliis martyr dicitur.

A. C. XCV. Clemens Romanus Episcopus discipulos in

Gallias misisse non incerta traditio est.

A. C. Centesimo. Trajani primo, tertia Christianorum persecutio.

LIB. II. A. C. CXXIII. Adriani IV. commota in Christianos persecutio quarta, eiusdem Imperatoris rescripto repressa.

Anno C. C XXVIII. Illâ missus in exilium Iustus Viennensis Episcopus.

A. C. CLXII. E piscopi à Sixto Romano in Gallias missi leguntur.

A. C. CLIV. Antonini XV. repressa Imperatoris edicto Christianorum persequutio, aliquantùm in Galliis tepuit.

Circa hæc tempora Polycarpus in Gallias discipulos misit. Exinde inter Asiaticam & Gallicanam Ecclesias magna necessitudo intercessit.

A. C. CLXV. redit ab exilio Iustus Viennensis: ad eum scribit Pius Romanus.

A. C. CLXVI. recruduit sub M. Aurelio in Galliis persecutio, coronatur Verus Viennensis, illi Iustus succedit.

Scribunt Pio Romano Martyres Gallicani per Attalum. Iusto rescribit Pius.

A. C. CLXVII. vel CLXVIII. Aniceto sedente Romam petit Polycarpus.

A. C. CLXIX. M. Aurelij Imp. VII. Christianorum quarta, secundùm alios quinta persecutione Smyrnæ coronatur Polycarpus, ad annũ superiorem retulit Eusebius quo Gallorum martyrium narrat, licèt post Montani prophetiam contigerit; initio persequutionis scripsit, quòd in illa, anno ipsi incognito & incerto euenerat.

A. C. CLXXIII. Pseudoprophetia Montani infœlicibus auspiciis oritur,

A. C. CLXXVIII. Aurelio in Galliis res Sequanorum turbatas componente, Andeolus, Benignus, Thyrsus, Andochius, Flocellus, & alij, pro Christi nomine occumbunt.

A. C. CLXXIX. Grauior in Galliis persecutio Imperatore Romam reuerso, Lugduni plurimos Christi martyres coronauit.

Montani spiritus Gallorum iudicio damnatur.

Irenæus Romam ad Eleutherum legatur.

A. C. CLXXX. Reuerſus à legatione Romana Irenæus, in vacuam Pothini Lugdunenſis cathedram eligitur. Lib. III.

A. C. CLXXXII. Commodo imperante pax Eccleſiæ data eſt, qua vigente Paulus Narbonenſis, & alij Epiſcopi in Gallias venire potuerunt.

A. C. CXCIV. Victore Romæ ſedente, propter Paſchatis celebrationem variis diebus actam, crebra fuere Epiſcoporum Concilia.

Duo in Galliis eam in rem coacta.

A. C. CXCIX. Seuerus victo Albino Lugdunum diripuit, Irenæum cum populo Chriſtiano occidit.

A. C. CCX. in Britanniam proficiſcens Seuerus, in Galliis contra Chriſtianos ſæuit.

A. C. CCXIII. à Seueri morte, quæ hoc anno contigit, triginta octo Eccleſiaſticæ pacis anni numerantur. Per huius pacis interualla, Epiſcopi Româ in Gallias miſſi ſunt.

In Concilio Narbonenſi per eadem tempora celebrato, Paulus eius vrbis Epiſcopus purgatur.

Chriſti fides per Gallias latiſſimè prædicatur.

A. C. CCXLIX. Pontius Philippos Impp. Chriſti fidem docet.

A. C. CCLI. vltimus pacis Eccleſiaſticæ annus.

A. C. CCLII. Primus perſecutionis Decii, eiuſdem Imp. & Grati Cõſulatu notatus, Saturnini Toloſatis martyrio illuſtris.

Hac Deciana perſecutione Dionyſius Pariſienſis, & plures alii in Galliis paſsi.

A. C. CCLIII. Romæ de lapſorum reconciliatione quæſtio agitata, Cleri & vicinorum Epiſcoporum decreto terminatur.

A. C. CCLIV. Romæ poſt longum interpontificium Cornelius eligitur.

Nouatianus ſecedit, & pſeudo-Epiſcopus conſtituitur.

Nouatus Presbyter à Nouatiano in Africam legatur.

Nouatiano Martianus Arelatenſis adhæret.

Cornelio ſedente, Anicienſis cathedræ tranſlatio facta traditur.

A. C. CCLIV. Nouatianus Romano Concilio damnatur.

Lupicino Viennenſi, Cornelius Romanus ſcribit.

A.C. CCLVII. Primum in causa Martiani Arelatensis Gallorum Concilium.

A.C. CCLVIII. Vel sequenti, secundum contra Martianum Concilium.

A.C. CCLIX. Valerianus Imperator in Christianos edicit.

A.C. CCLX. Taurinus Ebroicensis imminentem à Barbaris Galliarum depopulationem prædicit, & legationem mittit ad Sixtum Romanum.

Sixtus in Gallias discipulos legat.

A C. CCLXIII. Alemanni Gallias vastant.

A. C. CCLXVI. Salonino Gallieni filio in Galliis occiso, Posthumius imperat; incerti Gallieni anni Posthumii tempus incertum reddunt: at post decimum Gallieni annum imperium cœpit, & septem annis rexit.

A.C. CCLXX Posthumius Victorinū in collegam asciscit.

A. C. CCLXXII. interfecto posthumio, Lollianus in Gallia imperat.

Alemanni iterùm Gallias depopulantur.

Lollianus occiditur.

Victorinus composita factione Agrippinæ percussus. Victorinus filius, Cæsar ab auia Victorina appellatus: qui & ipse puerulus statim interfectus est.

Marius triduo imperat.

Victoria Mater castrorum appellata, Tetricum Aquitaniæ Præsidem ad Imperium Galliarum euehit.

Tetricus Burdegalæ purpuram sumit.

A. C. CCLXXIV. Aurelianus à Tetrico Gallias recipit, & in Christianos animaduertit.

A.C. CCLXXV. Redit in Gallias Aurelianus.

A. C. CCLXXX. à Probo Alemanni Gallia eiecti, septuaginta nobilissimis ciuitatibus receptis.

A.C. CCLXXXIII. Carus Narbonensis cum filiis imperat.

Carinus Gallias regit.

A. C. CCLXXXV. Diocletianus Carinum ad Murgum profligauit.

LIB. IV. A. C. CCLXXXVII. Maximianus aduersus Bagaudas in Gallias venit.

Legio Thebæa coronatur.

A. C. CCXC. Maximianus contra Carausium mouet.
Multi in Galliis Christo testimonium reddunt.

A. C. CCXCII. Constantius & Galerius Cæsares appellati.
Constantius Gallias regit.
Pax cum Carausio inita est, relicta illi Britannia.

A. C. CCXCIX. Carausius ab Allecto occisus.

A. C. CCCII. Allecto ab Asclepiodoto Præfecto Prætorio deuicto, Britannia recipitur.

A. C. CCCIII. Crudelissimis Imperatorum edictis, Ecclesiæ clausæ sunt, & dira persecutio cœpit.

A. C. CCCIV. Diocletianus & Maximianus purpuram deponunt, Imperii successoribus Cæsaribus.
Constantius Imperator Gallicanæ Ecclesiæ pacem reddit.





Conſpectus libri Primi.

Conspectus libri secundi.

Conspectus libri tertij.

XXVII

Conspectus libri quarti.





ECCLESIAE GALLICANÆ HISTORIARVM,

LIBER PRIMVS.



ECCLESIÆ, ſponſæ tuæ, variam per diuerſa ſæcula pulchritudinem deſcripturus, IESV CHRISTE DOMINE NOSTER, æternæ tuæ ſapientiæ auxilium imploro. Non enim alteri quàm ſponſo, aut ei, cui ſponſus commiſerit, ſponſæ virginis myſteria, & dotes ſacras licet palàm proferre. Illius per Gallias imperium, pro fide tibi data in tuos hoſtes certamina, glorioſos te duce triumphos, & prudentiſſimam in æternitatis tuæ Regnum filiorum ſuorum educationem, narrare in animo habeo: Tu adde vires infirmo, præbe lumen cœco, & per obſcuras antiquitatis

incertæ tenebras,ac dolosos aduersariorum amfractus, spiritu sancto tuo mentem meam, & calamum, ad veritatis,& gloriæ tuæ certissimum scopum dirige.

I. Gallicanam Ecclesiam certis, & non mutandis finibus conscribere difficile est: maximè,propter varias Galliarum diuisiones. Nam illæ pro arbitrio Imperatorum, modò tres, modò quatuor,tùm septem, posteà verò decem & septem prouincias sortitæ sunt. Iulius Cæsar, qui Gallias propè omnes primus Imperio Romano adiecit, illas in Aquitaniam, Celticam, & Belgicam diuisit: Narbonensis, quæ iam anteà iuris erat populi Romani, inter Gallicanas prouincias, à Iulio omissa, ab Augusto numerata est. Ita vt vniuersa Gallia, in Narbonenses, Lugdunenses, Aquitanos, & Belgas sub Augusto distributa fuerit. Fortè hanc diuisionem Narbone peregit Augustus, vbi ipso VII. & Agrippa III. Coss. A.V.C. DCCXXVII. ante Christum natum XXIV. Conuentu Galliarum habito, census à tribus Galliis, quas pater vicerat, actus; & prouinciæ Galliarum diuisæ sunt. Successu tamen temporis, hæ quatuor prouinciæ subdiuisæ fuerunt,donec inter Præfectos Prætorio vniuerso orbe Romano à Constantino partito: quicquid Præfecti Prætorio Galliarum Vicario per Gallias cessit,Galliis adscriptum. Quapropter cùm dispositioni Vicarij septem prouinciarum, Germania superior, & inferior, atque omnis à Rheno ad Oceanum,Mediterraneum,Pyrenæos,& Alpes,tractus pareret: illæ omnes prouinciæ Gallicanæ dictæ sunt. His tandem prouinciis, quæ primò tantùm septem fuerant, decem adiectæ sunt, ipsis primis in secundas

prouincias diuisis. Quæ mox propter septem prouinciarum in vnum conuentum, & firmissimum inter eas propinquioris societatis vinculum, illarum vniuerso Concilio quotannis Arelate confirmatum: iam totus Galliarum tractus, in duas quasi administrationes distributus: quarum illa decem non antiquas, ista septem, item non priscas, sed promiscuas, antiquas, & nouas prouincias complectebatur. Verùm posteà barbaræ gentes occupatis Galliis, & pro cuiusque Imperio diuisis, sua nomina dederunt. Quamobrem, perpetuam, & immutabilem, per historiæ seriem, Galliarum diuisionem, hoc in exordio statuere non possumus. Sed vt intra quædam spatia Historia nostra decurrat, quos Galliæ limites natura imposuit, illa agnoscet. Igitur quidquid Rheno, Oceano, Mediterraneo, Pyrenęis, & Alpibus includitur; quidquid Aquitani, Belgæ, Celtæ, & Narbonenses incolunt, Historiæ nostræ materiam dabit. Hisce finibus descriptis, à primis Religionis in Gallia parentibus, auspice Deo, illa sumat exordium.

II. Primos Christi Euangelij in Gallia præcones, non eosdem, non iisdem temporibus, æquè omnes agnoscunt. Nam plerique, Petrum & Paulum Apostolos, eorúmve discipulos, primos referunt Ecclesiæ Gallicanæ authores: Quidam Clementem, & proximè succedentes Romanos Pontifices; à quibus primos Galliarum Episcopos missos volunt. Alij posteriori sęculo, à Christo nato annum circiter centesimum septuagesimum, Galliis Christi lumen illuxisse. Hæc adeò tamen incerta sunt, vt neutrum eorum asseri constantissimè possit. Primæ opinionis auctores solus anti-

quitatis amor longa post tempora in eorum animis flagrans, ad vniuersæ Ecclesiæ primordia, in statuendo Gallicanæ principio deduxit. Alios dubia antiquitas ad certiora posteriorum temporum monimenta impellens, illa dedit Galliarum fidei principia, quæ indubitata fuerunt. Horum autem vt certior aliqua ratio nobis constet: An ipsi Apostoli, vel legati ab illis discipuli, in Galliis Christi fidem prædicauerint, indagare debemus: narratâ tamen priùs Occidentalium omnium primâ, si vera foret, Mariæ, Marthæ, & Lazari prædicatione.

III. Mota Hierosolymis in Iesu Christi discipulos persecutione, Stephanus Diaconus, vt Apostolorum Acta describunt, lapidibus obrutus, primùm Christo crucifixo testimonium sanguine suo reddidit. Exinde acrioribus Iudæorum odiis vexati Christiani, varias in orbis partes dispersi sunt. Martha, & Maria, Lazari à mortuis excitati sorores, vnà cum ipso fratre, & Marcella ancilla, (quæ prædicanti Christo acclamasse dicitur his verbis, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti) ac Sedonio (qui à natiuitate cœcus visum accepit à Christo) Maximino ex Septuaginta duobus discipulis à Petro Apostolo commendatę, mari se commiserunt. Quibus diuino ductu ad oram Prouinciæ appulsis, Massilia Lazarum, Aquæ Sextię Maximinum Episcopos acceperunt. Maria solitudinem penetrans, vitam inter Angelorum choros transegit, & locum pœnitentiâ suâ, & corporis sepulturâ posterioribus sęculis celebrem reliquit. Martha verò, miraculis toto illo tractu illustrior, ad Rhodani fluminis ripam Draconis fu-

gandi cauſa ab incolis aduocatur. Ille Taraſcus dictus, Auenionem inter, & Arelatem, cuncta vaſtabat, nautis æquè ac viatoribus, terrâ, & flumine infenſus. Quẽ vbi precibus ſuis, ſigno crucis, & aquâ benedictâ manſuefactum, Martha ſuo cingulo alligauit, & populo transfigendum dedit; ab eo locum nomen mutaſſe, & Taraſconis accepiſſe tradunt. Illic Martha reliquam vitam ab incolis exorata duxit, Auenionenſibus, & Arelatenſibus beneficia multa conferens. Hæc vulgaria horum ſanctorum Acta teſtantur, quorum fidem multa eleuant. Ipſe primùm auctor nouus, qui poſterioribus ſęculis ex vulgi ſermonibus iſta compoſuit, atque multa veritati hiſtoriæ parùm conſentanea tradidit: vt cùm Petrum Apoſtolum diſcipulis ſuis Gallias diuidentem, Bituricas Auſtregiſilo (qui poſt annum quingenteſimum vixit) Lugdunum Irenæo (qui ſecundo ab hinc ſęculo Lugdunenſibus præfuit) commendaſſe refert. Tum ſcriptorum vtriuſque linguæ, & Imperij auctoritas aduerſatur, qui Mariam Epheſi dormiuiſſe, & inde corpus eius cum fratre Lazaro Conſtantinopolim tranſlatum; Marcellum, & Synthicen in Myſia, inde in Prouinciam Marcellæ corpus allatum fuiſſe memorant. Prætereà, ſi vera eſt illa prædicatio, nõ iam à Petro & Paulo, ſed ab illis mulieribus, Occidens Chriſti religionem primùm accepit. Attamen illa traditio aliqua etiam authoritate ſubnixa eſt, aduerſùs quam abſit vt ſentiam, ſi per Eccleſiam non licet. Hac noua traditione præmiſſa de Apoſtolis eorumque diſcipulis inquirendum.

IV. Petrum & Paulum Apoſtolos Occidens ſuæ re-

ligionis autores colit: nec ab aliis Italia, Galliç, Hispaniç & Affrica, quàm ab his Apostolorum Principibus, eorúmve discipulis, se fidem accepisse gloriantur. Philippus enim in Gallogræcia, non in Gallia prædicauit. In Gallias Petrum profectum fuisse non legitur. At Paulus, secundùm animi sui in Epistolà ad Romanos propositum, in Hispaniam proficiscentem, Narbonensem prouinciam lustrasse non est nupera traditio. Nam licèt illa Pauli in Hispaniam profectio, communi omnium suffragio non recipiatur: vincit tamen authorum tam Græcorum, quàm Latinorum illam asserentium maior numerus. Hoc in transitu Viennç Crescentem, Arelate Trophimum, Narbone Paulum Sergium Episcopos constituisse ferunt. Circa singulos rei veritatem perquiramus.

V. Crescentem ipse Apostolus Paulus II. ad Timotheum cap. IV. ait se in Γαλατίαν misisse: quo loco Theodoretus Gallias interpretatur: & Epiphanius illos arguit erroris, qui Galatiam, seu Gallogræciam, non Galliam intelligunt. Hæc autem Crescentis missio, in annum primum Pauli Romam aduentus incidit; idcircò Viennæ à transeunte Paulo relinqui non potuit, nisi iam antè Viennâ Romam redierat. Quocumque tamen modo res se habuerit, Crescentem destinatum Gallogræcis, in transitu per Gallias, Viennensem, & deinde Moguntinam Ecclesiam instituisse referunt Martyrologia; quibus ambarum Ecclesiarum tabulæ cosentiunt. Verùm non rectâ ibat Crescens in Gallogræciam, per Gallias, & Germaniam iter habens: & stupenda illa miracula in peregrinatione

nimis

mis flexuosâ à Crescente patrata; historiæ fidem minuunt. Atque adeò fuit obscura, & incerta hęc de Crescente narratio, vt Latini, & Galli, Crescentem in Gallogræcia obiisse vno ore affirment: Græci verò in diuersas eant sententias, & eorum aliqui, illum in Gallia sub Nerone decessisse referant.

VI. Trophimum, cuius Paulus meminit II. ad Corinthios cap. IV. & Acta Apostolorum cap. XX. & XXI. eum ipsum esse qui primus Arelatensi Ecclesiæ à transeunte Paulo datus est Episcopus, Arelatensium constans est traditio, scriptorum authoritate, & aliquibus monumentis confirmata. Nihilominus tamen nouam esse hanc traditionem, illam asserentium authorum ætas indicat. Neque illa Papæ Zozimi epistola, à Martyrologio Romano in opinionis confirmationem illata; illi adstipulari videtur. Tantum enim abest vt illa epistola (quam non extare rectè notauerat Baronius, antequam ex Codice Arelatensis Ecclesiæ numero quinto inter Epistolas Zozimi relata fuisset) hanc Pauli institutionem asserat; quin potiùs illam omninò destruit. Enimuerò cùm Zozimi, & Leonis Pontificum Romanorum, tum Narbonensis prouinciæ Episcoporum ad Leonem Epistolæ, ex Archiuis Ecclesiæ Arelatensis (si modò legitimæ sunt, quod infra enucleabimus) editæ, diligentiùs illas intuenti mihi, Pauli missioni contrariæ esse videntur. Ait Zozimus Trophimum à sede Romana missum; non ergo à Paulo, non etiam à Petro. Cur enim dignitatem Arelatensis Ecclesiæ per Romanæ sedis eminentiam extollens, de Petro;

& Paulo, per quos illi cathedræ omnis authoritas, tantum splendoris Arelatensi collaturis tacuisset? Et quamuis Narbonenses Episcopi in libello ad Leonem, Petro Trophimi missionem adscribant; tacet tamen Leo, nec Petrum illius Ecclesiæ agnoscit authorem. Cæterùm figuratum loquendi modum illorum esse existimo, qui à Petro Trophimum missum esse affirmant; Nam Petrum pro Petri cathedra accipiunt: atque ita Episcopi Narbonenses, cum Zozimo Pontifice conuenient.

VII. In eodem Pauli transitu, Narbone Paulum Sergium, priùs Cypri Proconsulem, Episcopum ordinatum fuisse vetus est fama, quam Græci, & Latini posterioris ętatis scriptores collegerunt. Ipsius tamen Narbonensis Ecclesię tabulę hac in re fluctuant. Nam Petrus Hulardi Presbyter Ecclesię sancti Pauli Narbonę, qui anno Christi M. CCCLXIV. ex variis antiquis monumentis Pauli vitam concinnauit: Eum Apostoli Pauli iam cęsi monitu, Cypro Romam, inde Narbonam venisse scribit. Et cùm sibi ipsi Stephani Papæ VIII. epistolam obiecit, quę Paulum ab Apostolo in Hispanias proficiscente, & in reditu ipsas illi commendante, Narbone relictum esse refert: modò iterùm Cyprum rediisse, modò incerta, & futilia alia respondet, vt se expediat. Verùm Pauli Acta manuscripta, quę infrà referam, silent de Paulo Apostolo, & de Sergio Cypri Proconsule. Prętereà in antiquissimo Romano martyrologio legitur XI. Calendas Aprilis Narbonę sancti Pauli Apostolorum discipuli, nulla Pauli

Apostoli facta mentione.

VIII. Quo igitur pacto in posterorum mentes irrepsit illa opinio, vt hos tres viros Pauli discipulos crederent? Nullam aliam traditionis illius rationem video, quàm homonymiam. Nam Crescentem, & Trophimum Pauli discipulos fuisse; & Paulum Sergium Proconsulem Cypri, inter primos Pauli triumphos sub iugum Christi redactum, Saülo Apostolo, vt olim Romanis victas gentes, nomen Pauli dedisse legerant. At cùm eiusdem nominis sanctissimis viris suæ fidei primordia deberent, hos eosdem esse, tùm ob insitum antiquitatis amorem, tum propter vehemens studium erga primos suæ religionis authores, facillimè sibi persuaserunt. Cùm etiam Imperatorum edictis combusta, & barbararum nationum incursionibus direpta essent veterum Patrum monumenta, solúmque ferè illorum nomen reliquorum actorum obliuioni superesset: libera cuique data est vetustissimos illos patres veris, fictísve laudibus extollendi occasio. Primos Episcopos illos fuisse, eorúmque aliqua præclara facinora à maioribus per manus acceperant, Apostolicos viros nouerant: confestim discipulos esse Apostolorum, qui primi in Occidente Christi fidem prædicarunt, & propter similitudinem nominum, eos ipsos, quorum in certioribus actis mentio, existimare. Tum, si qua præclarè acta in sacris libris, aut certissima traditione incertæ personæ adscripta fuerant, his discipulis in maius eorum decus affingere. Hęc in actis Crescentis, Trophimi, Pauli, Mar-

Velaunũ Georgium, Petrocorios Frontonem, Turonos Gatianum, Catalaunos Memmium, Bellouacos Lucianum, Cenomanos Iulianum, Treueros Valerium, Eucharium, Maternum, Tullos Manſuetum, Mediomatricas Clementem, Remos Sixtum, Bituricas Vrſinum, Sanctonas Eutropium, Aruernos Auſtremonium, & pleroſque alios, quos ſingulæ Galliarum Eccleſiæ primos Epiſcopos venerantur. Verumtamen hac etiam in re anceps eſt, cùm Scriptorum, tùm traditionis fides: Nam ſi cunctorum ſuffragia in vnum collegerimus, illa in diuerſas ire partes, & hæc hos Petro, hos Clementi; illa alios aliis Pontificibus adſcribere animaduertemus. In hoc tamen vno conueniunt, vt vel à Petro, vel à proximis ſucceſſoribus maiorem illorum numerum miſſum eſſe affirment. De Frontone, Georgio, Memmio, Materno nemo ferè poſteriorum dubitat, quin à Petro prædicandæ in Galliis fidei poteſtatem acceperint. Dionyſius, Martialis, Paulus, Iulianus, Gatianus, Sixtus, & alij modò à Petro, modò à Clemente, modò ab aliis intra prima à Christi paſſione ſæcula miſſi dicuntur. Tot in hiſtoriam errores induxit obſcura antiquitas, quæ primùm vel per Scriptorum incuriam neglecta, vel propter ſæculi iniquitatem intacta, vel ſi ſcriptis mandata iniuria temporum aboleta, & ad poſterorum votum reſtituta, non ſine labe, & macula, qualiſcumque demum ſupereſt, ad nos vſque peruenit. Priora ſanctorum geſta, vel Romanorum crudelitate, vel nationum barbarie damnata, aliquam illo-

rum solùm memoriam posteris reliquerunt: quæ nec incorruptam antiquam puritatem, nec priscam rerum gestarum fidem intactam, per tot sæcula dilapsa seruare potuit. Quare dum posteri, vel antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi, vel sanctorum intercessionibus obstricti, restituendis illorum actis animum nimia religione affectum applicuerunt, plerumque rumores ex ore vulgi colligentes, sibíque plus quàm deceret indulgentes, veterum patrum vitas, & acta conscripsere. Cæterùm quia humanæ menti quoddam antiquitatis studium natura indidit, quo cuncti ferè populi ad consecrandas origines suas impulsi sunt; eo amore Christiani præditi, de fidei suæ antiquitate inuicem decertarunt. Maximè verò propterea quòd magnum semper pro religione præiudicium tulit antiquitas, quæ fidem ab ipso legislatoris ore acceptam, posteritati venerandam reliquit. Tantò enim illibata religio, quantò ad suum authorem magis accedit; tantò purior, quantò scaturiginibus propinquior, & tantò nobilior, quantò, vt principes fluuij, ab altioribus fontibus emanat. Inde inter Christianos de fide disceptantes, semper ad Apostolicas Ecclesias recursum est; vt ex ipsarum antiquissima traditione omnis dubitatio tolleretur. Tantúmque viguit in Christianorum animis ille antiquitatis amor, vt nulla gens à fidei Christianæ cunabulis tam dissita reperta sit, quæ non ab Christi discipulis eam se accepisse prædicarit. Ac cùm Petrus Apostolorum Principatu, & vrbis suæ dignitate cunctis præcelleret, ex

incertæ tenebras, ac dolosos aduersariorum amfractus, spiritu sancto tuo mentem meam, & calamum, ad veritatis, & gloriæ tuæ certissimum scopum dirige.

I. Gallicanam Ecclesiam certis, & non mutandis finibus conscribere difficile est: maximè, propter varias Galliarum diuisiones. Nam illæ pro arbitrio Imperatorum, mòdò tres, modò quatuor, tùm septem, posteà verò decem & septem prouincias sortitæ sunt. Iulius Cæsar, qui Gallias propè omnes primus Imperio Romano adiecit, illas in Aquitaniam, Celticam, & Belgicam diuisit: Narbonensis, quæ iam anteà iuris erat populi Romani, inter Gallicanas prouincias, à Iulio omissa, ab Augusto numerata est. Ita vt vniuersa Gallia, in Narbonenses, Lugdunenses, Aquitanos, & Belgas sub Augusto distributa fuerit. Fortè hanc diuisionem Narbone peregit Augustus, vbi ipso VII. & Agrippa III. Coss. A.V.C. DCCXXVII. ante Christum natum XXIV. Conuentu Galliarum habito, census à tribus Galliis, quas pater vicerat, actus; & prouinciæ Galliarum diuisæ sunt. Successu tamen temporis, hæ quatuor prouinciæ subdiuisæ fuerunt, donec inter Præfectos Prætorio vniuerso orbe Romano à Constantino partito: quicquid Præfecti Prætorio Galliarum Vicario per Gallias cessit, Galliis adscriptum. Quapropter cùm dispositioni Vicarij septem prouinciarum, Germania superior, & inferior, atque omnis à Rheno ad Oceanum, Mediterraneum, Pyrenæos, & Alpes, tractus pareret: illæ omnes prouinciæ Gallicanæ dictæ sunt. His tandem prouinciis, quæ primò tantùm septem fuerant, decem adiectæ sunt, ipsis primis in secundas

prouincias diuisis. Quæ mox propter septem prouinciarum in vnum conuentum, & firmissimum inter eas propinquioris societatis vinculum, illarum vniuerso Concilio quotannis Arelate confirmatum: iam totus Galliarum tractus, in duas quasi administrationes distributus: quarum illa decem non antiquas, ista septem, item non priscas, sed promiscuas, antiquas, & nouas prouincias complectebatur. Verùm posteà barbaræ gentes occupatis Galliis, & pro cuiusque Imperio diuisis, sua nomina dederunt. Quamobrem, perpetuam, & immutabilem, per historiæ seriem, Galliarum diuisionem, hoc in exordio statuere non possumus. Sed vt intra quædam spatia Historia nostra decurrat, quos Galliæ limites natura imposuit, illa agnoscet. Igitur quidquid Rheno, Oceano, Mediterraneo, Pyrenęis, & Alpibus includitur; quidquid Aquitani, Belgæ, Celtæ, & Narbonenses incolunt, Historiæ nostræ materiam dabit. Hisce finibus descriptis, à primis Religionis in Gallia parentibus, auspice Deo, illa sumat exordium.

II. Primos Christi Euangelij in Gallia præcones, non eosdem, non iisdem temporibus, æquè omnes agnoscunt. Nam plerique, Petrum & Paulum Apostolos, eorúmve discipulos, primos referunt Ecclesiæ Gallicanæ authores: Quidam Clementem, & proximè succedentes Romanos Pontifices; à quibus primos Galliarum Episcopos missos volunt. Alij posteriori sęculo, à Christo nato annum circiter centesimum septuagesimum, Galliis Christi lumen illuxisse. Hæc adeò tamen incerta sunt, vt neutrum eorum asseri constantissimè possit. Primæ opinionis auctores solus anti-

quitatis amor longa post tempora in eorum animis flagrans, ad vniuersæ Ecclesiæ primordia, in statuendo Gallicanæ principio deduxit. Alios dubia antiquitas ad certiora posteriorum temporum monimenta impellens, illa dedit Galliarum fidei principia, quæ indubitata fuerunt. Horum autem vt certior aliqua ratio nobis constet: An ipsi Apostoli, vel legati ab illis discipuli, in Galliis Christi fidem prædicauerint, indagare debemus: narratâ tamen priùs Occidentalium omnium primâ, si vera foret, Mariæ, Marthæ, & Lazari prædicatione.

III. Mota Hierosolymis in Iesu Christi discipulos persecutione, Stephanus Diaconus, vt Apostolorum Acta describunt, lapidibus obrutus, primùm Christo crucifixo testimonium sanguine suo reddidit. Exinde acrioribus Iudæorum odiis vexati Christiani, varias in orbis partes dispersi sunt. Martha, & Maria, Lazari à mortuis excitati sorores, vnà cum ipso fratre, & Marcella ancilla, (quæ prædicanti Christo acclamasse dicitur his verbis, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti) ac Sedonio (qui à natiuitate cœcus visum accepit à Christo) Maximino ex Septuaginta duobus discipulis à Petro Apostolo commendatę, mari se commiserunt. Quibus diuino ductu ad oram Prouinciæ appulsis, Massilia Lazarum, Aquæ Sextię Maximinum Episcopos acceperunt. Maria solitudinem penetrans, vitam inter Angelorum choros transegit, & locum pœnitentiâ suâ, & corporis sepulturâ posterioribus sęculis celebrem reliquit. Martha verò, miraculis toto illo tractu illustrior, ad Rhodani fluminis ripam Draconis fu-

gandi cauſa ab incolis aduocatur. Ille Taraſcus dictus, Auenionem inter,& Arelatem,cuncta vaſtabat, nautis æquè ac viatoribus,terrâ, & flumine infenſus. Quē vbi precibus ſuis, ſigno crucis, & aquâ benedictâ manſuefactum,Martha ſuo cingulo alligauit, & populo transfigendum dedit; ab eo locum nomen mutaſſe, & Taraſconis accepiſſe tradunt.Illic Martha reliquam vitam ab incolis exorata duxit,Auenionenſibus, & Arelatenſibus beneficia multa conferens. Hæc vulgaria horum ſanctorum Acta teſtantur, quorum fidem multa eleuant. Ipſe primùm auctor nouus, qui poſterioribus ſęculis ex vulgi ſermonibus iſta compoſuit, atque multa veritati hiſtoriæ parùm conſentanęa tradidit: vt cùm Petrum Apoſtolum diſcipulis ſuis Gallias diuidentem, Bituricas Auſtregiſilo (qui poſt annum quingenteſimum vixit) Lugdunum Irenæo (qui ſecundo ab hinc ſęculo Lugdunenſibus præfuit) commendaſſe refert. Tum ſcriptorum vtriuſque linguæ,& Imperij auctoritas aduerſatur, qui Mariam Epheſi dormiuiſſe, & inde corpus eius cum fratre Lazaro Conſtantinopolim tranſlatum;Marcellum, & Synthicen in Myſia, inde in Prouinciam Marcellæ corpus allatum fuiſſe memorant. Præterea,ſi vera eſt illa prædicatio,nō iam à Petro & Paulo, ſed ab illis mulieribus,Occidens Chriſti religionem primùm accepit. Attamen illa traditio aliqua etiam authoritate ſubnixa eſt, aduersùs quam abſit vt ſentiam, ſi per Eccleſiam non licet. Hac noua traditione præmiſſa de Apoſtolis eorumque diſcipulis inquirendum.

IV. Petrum & Paulum Apoſtolos Occidens ſuæ re-

ligionis autores colit: nec ab aliis Italia, Galliç, Hiſpaniç & Affrica, quàm ab his Apoſtolorum Principibus, eorúmve diſcipulis, ſe fidem accepiſſe gloriantur. Philippus enim in Gallogræcia, non in Gallia prædicauit. In Gallias Petrum profectum fuiſſe non legitur. At Paulus, ſecundùm animi ſui in Epiſtolà ad Romanos propoſitum, in Hiſpaniam proficiſcentem, Narbonenſem prouinciam luſtraſſe nõn eſt nupera traditio. Nam licèt illa Pauli in Hiſpaniam profectio, communi omnium ſuffragio non recipiatur: vincit tamen authorum tam Græcorum, quàm Latinorum illam aſſerentium maior numerus. Hoc in tranſitu Vienną Creſcentem, Arelate Trophimum, Narbone Paulum Sergium Epiſcopos conſtituiſſe ferunt. Circa ſingulos rei veritatem perquiramus.

V. Creſcentem ipſe Apoſtolus Paulus II. ad Timotheum cap. IV. ait ſe in Γαλατίαι miſiſſe: quo loco Theodoretus Gallias interpretatur: & Epiphanius illos arguit erroris, qui Galatiam, ſeu Gallogræciam, non Galliam intelligunt. Hæc autem Creſcentis miſſio, in annum primum Pauli Romam aduentus incidit; idcircò Viennæ à tranſeunte Paulo relinqui non potuit, niſi iam antè Viennâ Romam redierat. Quocumque tamen modo res ſe habuerit, Creſcentem deſtinatum Gallogræcis, in tranſitu per Gallias, Viennenſem, & deinde Moguntinam Eccleſiam inſtituiſſe referunt Martyrologia; quibus ambarum Eccleſiarum tabulæ coſentiunt. Verùm non rectâ ibat Creſcens in Gallogræciam, per Gallias, & Germaniam iter habens: & ſtupenda illa miracula in peregrinatione

nimis

mis flexuoſâ à Creſcente patrata, hiſtoriæ fidem minuunt. Atque adeò fuit obſcura, & incerta hęc de Creſcente narratio, vt Latini, & Galli, Creſcentem in Gallogræcia obiiſſe vno ore affirment: Græci verò in diuerſas eant ſententias, & eorum aliqui, illum in Gallia ſub Nerone deceſſiſſe referant.

VI. Trophimum, cuius Paulus meminit II. ad Corinthios cap. IV. & Acta Apoſtolorum cap. XX. & XXI. eum ipſum eſſe qui primus Arelatenſi Eccleſiæ à tranſeunte Paulo datus eſt Epiſcopus, Arelatenſium conſtans eſt traditio, ſcriptorum authoritate, & aliquibus monumentis confirmata. Nihilominus tamen nouam eſſe hanc traditionem, illam aſſerentium authorum ætas indicat. Neque illa Papæ Zozimi epiſtola, à Martyrologio Romano in opinionis confirmationem illata; illi adſtipulari videtur. Tantum enim abeſt vt illa epiſtola (quam non extare rectè notauerat Baronius, antequam ex Codice Arelatenſis Eccleſiæ numero quinto inter Epiſtolas Zozimi relata fuiſſet) hanc Pauli inſtitutionem aſſerat; quin potiùs illam omninò deſtruit. Enimuerò cùm Zozimi, & Leonis Pontificum Romanorum, tum Narbonenſis prouinciæ Epiſcoporum ad Leonem Epiſtolæ, ex Archiuis Eccleſiæ Arelatenſis (ſi modò legitimæ ſunt, quod infra enucleabimus) editæ, diligentiùs illas intuenti mihi, Pauli miſſioni contrariæ eſſe videntur. Ait Zozimus Trophimum à ſede Romana miſſum, non ergo à Paulo, non etiam à Petro. Cur enim dignitatem Arelatenſis Eccleſiæ per Romanæ ſedis eminentiam extollens, de Petro,

& Paulo, per quos illi cathedræ omnis authoritas, tantum splendoris Arelatensi collaturis tacuisset? Et quamuis Narbonenses Episcopi in libello ad Leonem, Petro Trophimi missionem adscribant; tacet tamen Leo, nec Petrum illius Ecclesiæ agnoscit authorem. Cæterùm figuratum loquendi modum illorum esse existimo, qui à Petro Trophimum missum esse affirmant; Nam Petrum pro Petri cathedra accipiunt: atque ita Episcopi Narbonenses, cum Zozimo Pontifice conuenient.

VII. In eodem Pauli transitu, Narbone Paulum Sergium, priùs Cypri Proconsulem, Episcopum ordinatum fuisse vetus est fama, quam Græci, & Latini posterioris ętatis scriptores collegerunt. Ipsius tamen Narbonensis Ecclesię tabulę hac in re fluctuant. Nam Petrus Hulardi Presbyter Ecclesię sancti Pauli Narbonę, qui anno Christi M. CCCLXIV. ex variis antiquis monumentis Pauli vitam concinnauit: Eum Apostoli Pauli iam cęsi monitu, Cypro Romam, inde Narbonam venisse scribit. Et cùm sibi ipsi Stephani Papæ VIII. epistolam obiecit, quę Paulum ab Apostolo in Hispanias proficiscente, & in reditu ipsas illi commendante, Narbone relictum esse refert: modò iterùm Cyprum rediisse, modò incerta, & futilia alia respondet, vt se expediat. Verùm Pauli Acta manuscripta, quę infrà referam, silent de Paulo Apostolo, & de Sergio Cypri Proconsule. Prętereà in antiquissimo Romano martyrologio legitur XI. Calendas Aprilis Narbonę sancti Pauli Apostolorum discipuli, nulla Pauli

Apostoli facta mentione.

VIII. Quo igitur pacto in posterorum mentes irrepsit illa opinio, vt hos tres viros Pauli discipulos crederent? Nullam aliam traditionis illius rationem video, quàm homonymiam. Nam Crescentem, & Trophimum Pauli discipulos fuisse; & Paulum Sergium Proconsulem Cypri, inter primos Pauli triumphos sub iugum Christi redactum, Saülo Apostolo, vt olim Romanis victas gentes, nomen Pauli dedisse legerant. At cùm eiusdem nominis sanctissimis viris suæ fidei primordia deberent, hos eosdem esse, tùm ob insitum antiquitatis amorem, tum propter vehemens studium erga primos suæ religionis authores, facillimè sibi persuaserunt. Cùm etiam Imperatorum edictis combusta, & barbararum nationum incursionibus direpta essent veterum Patrum monumenta, solúmque ferè illorum nomen reliquorum actorum obliuioni superesset: libera cuique data est vetustissimos illos patres veris, fictísve laudibus extollendi occasio. Primos Episcopos illos fuisse, eorúmque aliqua præclara facinora à maioribus per manus acceperant, Apostolicos viros nouerant: confestim discipulos esse Apostolorum, qui primi in Occidente Christi fidem prædicarunt, & propter similitudinem nominum, eos ipsos, quorum in certioribus actis mentio, existimare. Tum, si qua præclarè acta in sacris libris, aut certissima traditione incertæ personæ adscripta fuerant, his discipulis in maius eorum decus affingere. Hæc in actis Crescentis, Trophimi, Pauli, Mar-

tialis, & aliorum Galliç Episcoporum obseruare cuique facile est. Horum duos, Trophimum, & Paulum discipulos Apostolorum vetustissimum Romanum Martyrologium appellat: non quòd ipsos Apostolos, sed proximos eorum successores audiuerint. Nam discipulos Apostolorum, tum eos, qui ab ipsis Apostolis edocti fuerunt, tum illos, qui discipulos Apostolorum habuerunt Magistros, accipere debemus. Hoc enim modo Irenæus Gallicanæ Ecclesiæ maximum lumen, vir Apostolicorum temporum, & Apostolorum successor dictus est, eò quòd à Polycarpo Ioannis Apostoli discipulo Christi religionem accepisset. Quapropter licèt à discipulis Apostolorum fundata fuerit Ecclesia Gallicana; non ideò tamen ad ipsorum Apostolorum ętatem, aut proximè succedentia tempora illius primordia necessariò referenda sunt. Etenim per longa curricula vitam transigentes Apostolorum discipuli, in suprema ætate ad Gallias Episcopos mittere potuerunt. Polycarpus Smyrnæ Episcopus, Apostolorum discipulus, in ipso ictu martyrij, annos octoginta se Christianam vitam professum fuisse gloriatus: Pothinus Lugdunensis Episcopus sub persecutoris Aurelij gladio nonagenario maior, serò, & diù post Apostolos in Galliis Christi fidem annunciarunt.

IX. Hos ergo Apostoli Pauli discipulos, in Gallijs ad Christi fidem prędicandam relictos fuisse traditum est. Alios quoque à Petro Episcopos missos fuisse constans fama fuit; ad quorum acta, breuiter explicanda, temporis rationem proponamus.

X. Anno Imperij Claudij II. à Christi Passione XII. Petrus Apostolus in totius orbis Imperij solio Christianæ religionis thronum collocaturus, Romam venit, iudicans ex vrbe omnium matre in reliquas Christi fidem faciliori via progressuram. Inde discipulos in varias occidentis partes prædicandi Euangelij causa misisse, Gallias ab eo suos Apostolos accepisse ferunt. Multos refert maiorum ad nos vsque dilapsa traditio, quæ tamen in illis sigillatim recensendis parùm sibi constat. Etenim quidam eos omnes, qui in aliqua Galliarum prouincia primò Christum annunciarunt, à Petro missos fuisse volunt: alij verò non cunctis prouincijs, sed solùm quibusdam primos Episcopos Petrum dedisse tradunt. Inter hæc fluctuat hodierna traditio, quæ ab aliquot sæculis in Ecclesijs Gallicanis inualuit. Illis autem omninò aduersatur priorum sæculorum authoritas, quæ nullos à Petro, vel alijs Apostolis missos Episcopos Gallicanam Ecclesiam instituisse, sed stabilita primùm in Italia Christiana fide, Petri successores Romanos Pontifices Galliarum misertos, varios successu temporum Episcopos delegasse narrat. Nos Ecclesiæ iudicio hunc nodum dissoluendum relinquentes, paucis, ne illud desideretur, Petri legatorum historiam delineabimus.

XI. De tribus Pauli discipulis iam satis suprà, vt inutilis sit repetitio, licèt ab aliquibus inter Petri discipulos numerentur. Ergo alios à Petro missos referunt, in Aquitaniam Martialem, Tolosam Saturninum, Parisios Dionysium, Narbonam Paulum,



Velaunũ Georgium, Petrocorios Frontonem, Turonos Gatianum, Catalaunos Memmium, Belloua- cos Lucianum, Cenomanos Iulianum, Treueros Valerium, Eucharium, Maternum, Tullos Mansuetum, Mediomatricas Clementem, Remos Sixtum, Bituricas Vrsinum, Sanctonas Eutropium, Aruernos Austremonium, & plerosque alios, quos singulæ Galliarum Ecclesiæ primos Episcopos venerantur. Verumtamen hac etiam in re anceps est, cùm Scriptorum, tùm traditionis fides: Nam si cunctorum suffragia in vnum collegerimus, illa in diuersas ire partes, & hæc hos Petro, hos Clementi; illa alios aliis Pontificibus adscribere animaduertemus. In hoc tamen vno conueniunt, vt vel à Petro, vel à proximis successoribus maiorem illorum numerum missum esse affirment. De Frontone, Georgio, Memmio, Materno nemo ferè posteriorum dubitat, quin à Petro prædicandæ in Galliis fidei potestatem acceperint. Dionysius, Martialis, Paulus, Iulianus, Gatianus, Sixtus, & alij modò à Petro, modò à Clemente, modò ab aliis intra prima à Christi passione sæcula missi dicuntur. Tot in historiam errores induxit obscura antiquitas, quæ primùm vel per Scriptorum incuriam neglecta, vel propter sæculi iniquitatem intacta, vel si scriptis mandata iniuria temporum aboleta, & ad posterorum votum restituta, non sine labe, & macula, qualiscumque demum superest, ad nos vsque peruenit. Priora sanctorum gesta, vel Romanorum crudelitate, vel nationum barbarie damnata, aliquam illo-

rum solùm memoriam posteris reliquerunt: quæ nec incorruptam antiquam puritatem, nec priscam rerum gestarum fidem intactam, per tot sæcula dilapsa seruare potuit. Quare dum posteri, vel antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi, vel sanctorum intercessionibus obstricti, restituendis illorum actis animum nimia religione affectum applicuerunt, plerumque rumores ex ore vulgi colligentes, sibíque plus quàm deceret indulgentes, veterum patrum vitas, & acta conscripsere. Cæterùm quia humanæ menti quoddam antiquitatis studium natura indidit, quo cuncti ferè populi ad consecrandas origines suas impulsi sunt; eo amore Christiani prædití, de fidei suæ antiquitate inuicem decertarunt. Maximè verò propterea quòd magnum semper pro religione præiudicium tulit antiquitas, quæ fidem ab ipso legislatoris ore acceptam, posteritati venerandam reliquit. Tantò enim illibata religio, quantò ad suum authorem magis accedit; tantò purior, quantò scaturiginibus propinquior, & tantò nobilior, quantò, vt principes fluuij, ab altioribus fontibus emanat. Inde inter Christianos de fide disceptantes, semper ad Apostolicas Ecclesias recursum est; vt ex ipsarum antiquissima traditione omnis dubitatio tolleretur. Tantúmque viguit in Christianorum animis ille antiquitatis amor, vt nulla gens à fidei Christianæ cunabulis tam dissita reperta sit, quæ non ab Christi discipulis eam se accepisse prædicarit. Ac cùm Petrus Apostolorum Principatu, & vrbis suæ dignitate cunctis præcelleret, ex

eius petra suæ fidei riuum certatim singuli deduxerunt. Ipsíque Romani Episcopi vt in volentes potestatem suam assererent, nouis subinde legationibus, antiquatam fermè persecutionibus fidem, iterùm promulgantes, orbis vniuersi religionem, quòd à sede orbis principe, præcipua religionis matre, Petri cathedra deriuasset, figurato quodam loquendi modo ab ipso Petro emanasse prædicarunt. Hæc prima existimo traditionis hodiernæ fundamenta; quæ ne procaciter negligere videar, eorum Episcoporum, qui à Petro missi dicuntur res gestas ex ipsius traditionis monimentis Historiæ nostræ commendabo.

XII. Memmius ex clarissima Memmiorum Romana familia oriundus cum Dionysio Parisiensi, Sixto Remensi, Euchario Treuerensi, Sabiniano Senonensi, Sinicio Suessionensi Episcopis, & aliis sex eiusdem ordinis viris, ac Donatiano Diacono, & Domitiano Subdiacono à Petro missus in Gallias venit. Verùm cùm iam ad decem, & octo millia passuum processissent, Domitianus obijt. Recurrit ad Petrum Memmius, & acceptam ab eo vestem mortuo imponit, & suscitat. Pergit Catalaunum ciuitatem Belgarum: at à Gentilibus repudiatus, in speluncam vrbi vicinam, quæ Buxeria dicitur, secessit: è qua miraculorum fama ab accurrente populo in vrbem deducitur. Ad eum Poma soror septimo Episcopatus anno accedens, miraculis vniuersæ regioni innotuit. Ipse senio confectus, prodigiis clarus, anno Episcopatus sui nonagesimo Nonas Augusti

gusti fœlicem animam Deo reddidit. Ex quibus Memmium ad annum Christi centesimum trigesimum quintum peruenisse oportet.

XIII. Frontonem eius acta narrant de Tribu Iuda, patre Simeone, matre Frontonia, ex Lycaoniæ finibus oriundum: iubente Christo à Petro baptisatum, & in septuaginta duorum discipulorum numerum adscriptum, post Domini mortem Petrum Romam secutum fuisse. Româ, post multa patrata miracula, secundùm diuinam reuelationem, vnà cum aliis discipulis in Gallias mittitur. Cùm autem ad lacum Vulsinum peruenissent, Georgius Frontonis comes assiduus moritur: sed admoto baculo Petri, ad quem auxilium petiturus Fronto redierat, suscitatur. Obstupefacti tanto miraculo Gentiles, certatim in baptismum ruunt, ex quibus septuaginta duos secum Fronto duxit in Galliam. Superatis Alpibus quisque in delegatam prouinciam pergere: Fronto, & Georgius, Velaunos accedere, à matrona quadam in vico extra vrbem, quæ Villa dicitur, ad Bornam flumen excipi, Christi fidem, & Regnum cœlorum annunciare, Gentilibus instare, ad Euangelium vi quadam diuina rapere, Idola destruere, Ecclesias ædificare. Intereà illa, quæ sanctos Christi Pontifices matrona susceperat, diuino somnio monita, proximum Velaunensi vrbi montem, qui Anitium, seu Podium dicitur, noctu ascendit. Eius cacumini infixus lapis instar altaris, dormientem illam excepit. Tum beatas mentes lapidem illum circumeuntes, & Reginam diuino diademate refulgentem, in medio

coronæ ſedentem videre ſibi viſa eſt: Cuius nomen ſciſcitanti reſponſum eſt, eam eſſe cœli, & terræ Reginam, Chriſti diſcipulis Georgio, & Frontoni amicam. Expergefacta viſionem admiratur, & refert Epiſcopis, qui futuram loci religionem animo præuidentes, hunc viſionis locum, ne animalibus pateret, ſepiri imperarunt. Hîc poſteri Virginem Mariam Podienſem honore peculiari coluerunt. Cæterùm dum Chriſti Euangelium iam apud Velaunos agnoſcitur: Georgio vale dicit Fronto, & cum Aniano, Frontaſio, Silano, Seuerino, & aliis diſcipulis Petrocorios perrexit. Hic dæmonem eijcit, Maximillam baptizat, maritum eius *Chilpericum* paralyſi ſacro Chriſti lauacro liberat, eodémque ſacramento liberos eorum *Attinium*, & *Gelaſium* cum ducentis aliis peracto triduano ieiunio in Eccleſiæ ſinum recipit: deinde cœcum illuminat, & *Aurelium Ciuitatis Comitem* vlceribus ſanat. Ille Chriſtianæ fidei zelo accenſus, Frontonis, eiúſque ſucceſſorum *Epiſcoporum poteſtati, & temporali dominio ſe ſuóſque ſucceſſores ſubiecit, palatium tradidit*, in quo Saluatori Domino, Beatæ Virgini Mariæ, & Ioanni Baptiſtæ Eccleſiam Fronto dedicauit. Illidij, & Benedictæ filium à mortuis ſuſcitatum, & Paſcentij filium, pariter ad portam Romanam rediuiuum, cum aliis ſeptem millibus baptiſat. Simulachra Deorum diruuntur, infante referente eos cum cultoribus in inferno torqueri. Martis templum vanis ſuis Idolis ſpoliatum, quæ ſigno Crucis euerſa, & quantúmvis vociferarentur igni tradita, Protomartyris

Stephani cultui cessit. Hoc in templo Fronto suam cathedram fixit, & institutos septuaginta duos clericos, secundùm Apostolicam regulam religioni inseruire iussit. Discipulos exemplo Christi binos, & binos in Euangelij prædicationem mittit: Ipse indefesse in vrbe Christi opus vrget, Veneris statuam signo Crucis euertit; è qua draco exiliens cultores suos partim flatu, partim cauda enecat; exsuscitatos Fronto baptizat, dracone in desertum amandato. Intereà Claudius Imperator Britannicam expeditionem suscipiens, quæ in annum Christi quadragesimum quintum incidit, *Squirium cognatum Annibali Romani Senatoris filium* in Aquitaniam mittit. Coram Squirio impietatis, & nouæ superstitionis reus Fronto sistitur, & tentantis eum percutere, apparitoris dextera erecta diriguit, fulgore Frontonem ambiente. Inde ad locum, qui dicitur Podium, cum discipulis secedit, & Virgini Deiparæ Ecclesiam ædificat. Concurrit ad pastorem Christianorum multitudo: Discipuli Frontasius, Seuerinus, Seuerianus, & Silanus à Squirio damnantur IV. nonas Ianuarij, & cum frequentes ad Frontonem turbas Squirius compescere nequiret, Frontonem relegat. qui seditionem in Squirium motam componens, à Christo noctu consolatione accepta, & Calepodio presbytero Ecclesiâ commendatâ, cum Aniano presbytero, Nectario & Cronopio densa siluarum ingreditur. Fœlix exilium, quod tot, tantósque à vera Religione exules, in patriam, & Christi regnum reduxit!

XIV. Longum, & ſtupendum Frontonis iter deſcribitur, quod breuiſſimè delineo. Ad vicum *Preßiacum* veniens; incolas ad Chriſti fidem conuertit: Apud *Brantonium* Mercurio in puluerem redacto mortuum ſuſcitat, & Eccleſiam Saluatori conſecrat. Engoliſmæ pauci Euangelium recipiunt; apud Santonas dæmones eijcit, Burdegalæ oraculis ſilentium imponit; idola deſtruit, altare Protomartyri dedicat, cœmeterium benedicit; inſurgentibus flaminibus verberatus, ab vrbe eijcitur, iuſſu *Sigeberti Comitis*, qui in criminis ſui pœnam eadem nocte paralyſi afficitur. Eiecto à puella dæmone, ad Blauiam caſtrum transfretat, carceribus vinctos liberat; Præfectum, & populum baptizat, & Eccleſiam in Saluatoris honorem conſtruit. Santonas iterùm redit, luce in itinere cæco redditâ, à Chriſtianis cum honore ſuſceptus ibi diutiùs commoratur. Indè in Pictones paucis conuerſis, ab *Arcadio Comite* verberibus cæſus expellitur. Verùm monente Angelo redit, quoſdam baptizat, & Nectarium Epiſcopum inſtituit. Cenomanis à Iuliano Epiſcopo ſuſcipitur. In ſecundam Lugdunenſem regrediens, ad fluuium Neronã, in loco, qui dicitur *Foreſta de Paſſagio* conſedit; *Eufrici loci Domini* filium mortuum ſuſcitat, incolas baptizat, Eccleſiam conſtruit, clericos inſtituit. Sueſſione fidem prædicat, & ad locum, qui Negoliacus nuncupatur ad flumen Doronæ ab incolis rogatus accedit. Regionem horrendus draco vaſtabat, quem Fronto in eum expuens, interfecit. In eius beneficij gratiam, & admirationem, eius prædicationi incolæ dant

manus, & Ecclesiam ædificant. In ea dum Pentecostes festo sacras vestes Fronto indutus ad altare sacra facturus accessisset, vinum defuit; ac cum diù, multúmque ob loci penuriam frustrà expectaret, tacitus secum illachrymans preces ad Deum fudit. Tum ecce subitò columba niue candidior aduolans rostro phialam vino plenam affert, quæ ex incognita materia composita, longa per tempora multis miraculis celebris, in eadem Ecclesia seruata est. Ex hoc loco à *Duce Lotaringo* aduocatus dæmonem ab eius filia fugat, & à Clemente Metensi Episcopo Metas deducitur. In itinere adolescentem à serpente liberat, in vrbe energumenos sanat. Tandem in Lemouicinum pagum redit; & in Briuensi regione, in loco qui Nogentius dicitur, ad fluuium Dordoniæ resedit: Draconem, & serpentes signo crucis expellit, Ecclesiam construit, & cum discipulis orationi vacat, trecentis vicibus die, totidem nocte genua coram Deo flectendo.

XV. Hæc fuere Frontonis peregrinationis prodigia. Quem vbi rediisse Squirius ab Angeli monitu accepit, septuaginta camelos cibariis onustos ad eum mittit: mox ipse subsequens baptizatur, & Georgij nomen accipit. Occurrente populi multitudine Fronto in vrbem reducitur, eiusque precibus accurrentis mulieris puer in feruens æneum lapsus, ludens, & incolumis seruatur. Multis patratis miraculis Agennensibus, & Burdegalensibus iterùm prædicat Christum, & Martham Tarascone cum Georgio inuisit. Inde Tolosam properans fidem annunciat; &

puerum, qui eius audiendi deſiderio flumen traijciens ſubmerſus fuerat, poſt triduum vitæ reſtituit. Petrocorios reuerſus, acceptâ Apoſtolorum Petri, & Pauli morte Eccleſiam, quæ in hodiernum diem S. Petri Senioris, ædificat. Cùm autem anno primo Veſpaſiani Petrocoriis ſacra faceret, ductus eſt à Domino in exequias Marthæ Taraſconem: ac cum à Diacono benedictionem ad Euangelium legendum petituro excuteretur, ad ſe redit, & quæ peracta eſſent Taraſcone narrat: Rogat inſuper vt eant quæſitũ annulũ, & chirothecas, quas, dum ad corpus Marthæ ſepulchro tradendum ſe aptaret, illius Eccleſię Cimeliarchæ commendauerat. Rem ita ſe habuiſſe miſſi nuncij referunt, & annulum, vnamque chirothecam reportant, aliâ in tantæ rei teſtimonium Taraſcone relictâ, in qua & adhuc viſitur. His aliiſque præclaris rebus peractis, inter ſacrorum ſolemnia Fronto mortem imminere à Chriſto monitus, populum conuocat, ſepulchrum iuxta diſcipulos martyres præparat, Anianum ſucceſſorem nominat, & ſacris peractis beatam animam efflat VIII. Cal. Nouembris, Anno Reſurrectionis Chriſti XLV. Veſpaſiani II. Monitus diuina reuelatione Georgius Velaunenſis ad exequias venit. Hactenus ex geſtis Frontonis, quæ Anianum, Cronopium, & Sobaldum Epiſcopos eius ſucceſſores ſcripſiſſe ferunt. Illa tamen & ſermonis character, & propria cùm hominum, tùm locorum vocabula à nupero quodam & ridiculo ſcriptore non ante quadrigentos, aut circiter annos compoſita fuiſſe cuilibet intuenti demonſtrant.

Alia eiusdem Frontonis legimus acta in veteri manuscripto, quæ Aquitanum eum faciunt, ab Isquirino Præside relegatum, in Ægyptum profectum, inde Romam ad Petrum, & multa alia complectuntur superiùs à nobis allatis simillima, aliáque ex Fronti Abbatis actis excerpta. Hic enim vnus est ex erroribus horum vitarum sanctorum Patrum scriptorum, vt nulla temporum ratione habita, in vnius vitam congerant, quæcumque aliis eiusdem nominis sanctis accidisse cognouerint. Chronopium Frontonis comitem hæc acta scribunt. At Chronopius Conciliis Agathensi, & Aurelianensi primo & secundo interfuit, quem annos nonaginta vixisse author est Fortunatus in eius Epitaphio. Alium etiam authorem agnoscit Concilium Lemouicense de Martialis Apostolatu habitum anno M.XXXI. Illic enim Abbas Solemniacensis Fronti dignitatem examinans, nouam ait eius esse vitam ab Hausberto Engolismensi Chor-Episcopo circa annum Christi DCCCCLXX. captandi lucri causa compositam. Atque in Fronti antiquitatis assertores inuehens, negat illum Apostolum, qui Petrocoriis natus; negat primum Euangelij præconem, qui apud suos in scholis Christianorum sacram Scripturam edoctus in clericum detonsus fuerit; qui prodigia multa, miracula nulla ad subuertendam Idololatriam patrauerit. Ex quibus certò colligimus eam, quam superiùs secuti sumus Fronti vitam, orante in Concilio illo Abbate, scriptam adhuc non fuisse. Namque si tunc temporis cognita, neque

prodigia Fronti virtute patrata, neque Apoſtolatum eius negaſſet. Poſterior ſolùm, quam ſuprà citauimus, pro legitima agnoſcebatur; cui tamen iuſto titulo ſpuriam notam inurit ille Abbas, tum ab authoris ætate qui circa annum 970. ſcripſit, tum ab eius damnata lucri cupiditate. Georgium Frontonis comitem, Velauni primum Epiſcopum habuêre, cuius acta illuſtriora eiuſdem Frontonis geſta comprehendunt.

XVII. De Clemente à Petro in Gallias miſſo dicturis occurrit nominis ſimilitudo, quæ eumdem cum Romano Epiſcopo Clemente apud pleroſque fecit. Pugnant tamen ipſius acta, quæ licèt à Petro cum aliis primis Epiſcopis in Gallias miſſum narrent, alium tamen ab Epiſcopo Romano agnoſcũt, & in Gallia occubuiſſe tradunt. Ille Gallias ingreſſus, in Belgica apud Mediomatricas conſedit. Amphitheatro vrbis multitudine ſerpentium referto, tanta peſtiferis eorum flatibus erat illata ciuibus clades, vt iam vrbe deſerta, infecto circùm aëre, ipſos in agros ſæua calamitas ſequeretur. Iam permixtæ brutorum hominúmque cædes fœtore peſtem augebant, & ingrato aduersùs morbum remediis reluctantem mortalium labore, vel immortalium Deorum auxilium, vel ſuprema regionis ruina expectabatur. Cùm veri Dei, non vanorum dæmonum miniſter Clemens, Chriſti religionem beneficio publico Belgis perſuaſit, Non Alexicacis, ſed cœleſti pane munitus, vaſtam Mediomatricum ciuitatis ſolitudinem ingreditur, ſerpentibus Magiſtri nomine imperat,

imperat; eorum Ducem corpore ingentem alligat, & sequente longo anguium agmine in vicinum Salliæ flumen eiicit, ac Christi, qua pollebat authoritate, in loca animalibus omnibus inuia, nullo in itinere læso deportat. Concurrit multitudo salutis publicæ Christo Deo votum solutura; eius religionis sacramento se adstringit, Idola destruit, atque vno salutari baptismi lauacro mentis, & corporis sanitatem recipit. Longa per tempora Metenses edocuit Clemens, Petro Apostolo Basilicam; aliam Ioanni Baptistæ dedicato baptisterio, tertiam crypta miranda, & fonte limpidissimo ornatam construxit. Eius acta diu, multúmque barbarorum incursionibus deperdita latuisse refert eius vitæ author.

XVIII. Saturninum etiam à Petro missum fuisse volunt: cuius acta triplicia, & omninò diuersa legimus in manuscriptis codicibus. Quorum alia *Egeæ Regis Achaiæ, & Cassandræ filiæ Regis Niniuitæ Ptolomæi filium*, ex Ioannis Baptistæ discipulis, postmodum inter septuaginta duos Iesu Christi connumeratum, Romam cum Petro venisse; inde in Gallias ab eo missum, Nemausi Honestum Hamelij, & Honestæ filium baptizasse, Presbyterum ordinasse, & secum Tolosam duxisse narrant. Tolosæ Quiriacen vxorem Agathonis Senatoris leprâ per baptismum mundat, Oraculis silentium imponit; in Aquitaniam pergit, Elusæ Ecclesiam condit, Honestum Pompeiopolim præmittit, & sequutus, Senatores Firmum, Firminum, Fortunatum, cum aliis quadraginta millibus baptizat. Inde Hispanias lu-

ſtrat. Toloſam reuerſus, vltimo ſupplicio pro Chriſti nomine afficitur, anno ætatis LXX. à Chriſti paſſione XXXIX. Multa adduntur de Firmo, & Firmino, quæ inferiùs ſuo loco deſcribemus. Hæc autem acta ex antiquis Saturnini geſtis, præcipuè ex his, quæ Honeſtus diſcipulus ſcripſit, horum author ſe excerpſiſſe teſtatur. Secunda acta prioribus aliquantùm ſimilia; eum ex collegio Apoſtolico, cum Petro ad Gentes miſſum *ſub Claudio Principe* (ſcriptum erat priùs ſub Maximiano, & Diocletiano Principibus, ſed expunctum eſt, vt Claudio poneretur) *qui curis potiebatur Impcralibus, Decióque, & Grato qui Conſulatu fungebantur.* Narrantur deinde reliqua, quæ in prioribus actis, his ſolùm omiſſis, quæ de Toleto, & Primatia in ſuperioribus ſcripta fuiſſe mox dicemus. Scilicet hæc reſciſa ſunt, quia horum author fuit Hiſpanus, Gallorum Epiſcoporum in Hiſpanos authoritatem reſpuens: Nam ſubnectitur: *Explicit Paßio ſancti Saturnini Toloſani Pontificis, quæ ſcriptorum vitio fuerat deprauata, ſed à Borello Auſonenſi Scholaſtico eſt correcta, quæ ab eiuſdem literato authore fuerat dictata.*

XIX. Tertia vero acta quæ legimus illa ſunt, quæ retulit Surius tomo VI. de quibus, pluribus infrà agemus. Cæterùm omittenda non exiſtimamus, quæ illa prima acta de Metropoli Eluſana à Saturnino conſtituta narrant his verbis. *Cúmque perge et de Toloſa ad HelyZonam Ciuitatem, venit ad vi um, qui vocabatur Villa Clara, pro eo quòd orto ſole ſemper clareſcit mons, qui vocatur Clarus: vbi poſteà ædificata eſt ciuitas,*

quæ nunc Auxis appellatur, & ibi audita beati Petri Apostoli paßione; ædificauit Ecclesiam in nomine ipsius super fluuium, qui Gertius appellatur. Perrexit autem inde Helzam ciuitatem, & qui ibi tunc non credebant in Christum, ad eius prædicationem citiùs conuersi crediderunt. Omnes itaque in vnum conuenerunt, & accepto consilio ædificauerunt Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ Virginis Matris Dei, ibique beatus Saturninus constituit Episcopum nomine Paternum, qui de Toleto audiens famam eius venerat ad eumdem, & cum eo septem annis fuerat commoratus, & docuit eum omnem Ecclesiasticam doctrinam; eamdemque sedem Metropolitanam esse constituit, vt esset honorabilior aliis ciuitatibus, quæ in circuitu erant, & vt ad eum conuenirent omnes Episcopi ad Concilium sicut mos est Episcoporum suffraganeorum. Ac inferiùs cum de prædicatione Saturnini in Hispania verba faciunt, hęc scribunt. *Statuitque de quibus Ecclesiis conuenirent ad Concilium Toletanum, videlicet de Pampilonia, atque Nazaria, seu & Rotta, nec-non & de aliis. Eas verò quæ vicinæ sunt montibus niualibus, conuenire præcepit ad Concilium Elyzonæ ciuitatis* Hæc, modò ab authore actorum in antiquitatis similitudinem ficta non sint, antiqua esse gesta demonstrant. Nam quamuis à Saturnino hæc eo ordine disposita fuisse mihi non persuadeam; attamen cùm Elusam Nouempopuloniæ metropolim agnoscunt, quæ ante nongentos annos solo æquata Ausciis ius metropolicum cessit, non à scriptore nupero illa fuisse composita existimo. Mortem verò Saturnini eodem modo singula gesta referunt, de qua nobis dicendum inferiùs.

XX. Ex Petri discipulis, Leuci Belgicæ populi, Mansuetum Episcopum habuerunt. Cuius acta iussu Gerardi Tullensis Episcopi Azzo Abbas descripsit; quem Gerardum ex ipsis actis constat Gauzlino successisse, anno Christi nongentesimo sexagesimo tertio. Porrò Mansuetum, natione Scotum, cum aliis discipulis Româ à Petro missum fuisse declarant. Socios eius accipe ex gestis Sinicium Remorum, Fœlicem, & Clementem Mediomatricum, Memmium, Catalaunorum. Leucis *Rex Leo* imperans gentilium cultibus prophanis deditus, Clementem Christum prædicantem aure surda præteribat. Instabat Clemens, & ad humile propter ciuitatis muros tugurium secedens, venientibus turbis salutis verbum proferebat. Regina à domesticis prædicationem accepit: virum quemdam, genere ignotum, sermone, vultu & habitu peregrinum, Christum Deum colendum, publicè asserere. Illa Regis absentiâ captatâ, Mansuetum optat audire, eius prædicationi credit: at dilatum metu mariti baptismum, postmodùm vnà cum Rege, & vniuerso populo hac occasione recepit. Solemnes ludos populus coram Rege agebat, cùm vnicus eius filius ad vrbis murum ludens in Mosellam decidit. Turbatâ funere Regiâ, dormienti Reginæ Mansuetus adstitit, ac iusti doloris misertus, filium rediuiuum pollicetur, modò Christi religionem profiteatur. Perquiritur Christi sacerdos, & tertio die repertus, ad Regum, & populi lacrymas, ac publicam Christi confessionem, pueri corpus exanime è flumine suis precibus eruit; ac ite-

rato Christianitatis publico voto, vitæ restituit. Narrat quæcumque in inferis vidisset puer, & parentes, & populum ad Christianam religionem hortatus, baptismum petit. Plaudit multitudo, votóque pueri assentiens, Rege cum familia præeunte, salutari baptismo Christianis mysteriis initiatur. Tum Idola destrui, Ecclesiæ construi, & communi omnium suffragio Mansuetus in Pastorem præfici. Ecclesias, beatæ Virgini, Stephano, & Ioanni Baptistæ ad Fontes Mãsuetus dedicauit; Eóque in suburbano, in quod primùm adueniens diuerterat, consciâ sibi solitudine, noctes insomnes orationibus deinceps transegit. Hoc etiam in loco Ecclesiam sancto Petro dedicasse eadem acta scribunt, cùm Apostoli mortem accepisset, in eáque longa per tempora vitam transegisse; & tandem sepultum fuisse. Hæc ex gestis ab Azone descriptis, qui multa Mansueti miracula subijciens, obliuionem rerum gestarum hac ratione excusat. *Quod vel propter irruptiones barbararum gentium, vel propter scriptorum inopiam, sine dubio sunt prætermissa vel perdita.* Ex qua gestorum amissione orta est huius Mansueti confusio, cum Mansueto Scoto, vt hic perhibetur, qui Concilio Turonensi interfuit.

XXI. Eadem Belgica prouincia à Petro Eucharium, Valerium, & Maternum accepit, qui in Treuericæ vrbis Episcopatu inuicem sibi successerunt. Eucharius Episcopali ordine insignitus, Valerius Diaconus, Maternus Subdiaconus Româ in Gallias profecti sunt. Iam vbique disseminato verbo Christi ad quoddam Galliæ castrum Elegia nuncupatum per-

uenerant. (Illud Eligiam Argentinensis Diœcesis vicùm aliqui volunt) cùm Maternus febri correptus obijt. Ea morte commotus Eucharius, messi, quam multam fore animo præuidebat, substractum hunc operarium ægrè dolens, commendato terræ Materno, Romam cum Valerio repetit. Rem gestam Petro narrat; ereptum sibi Maternum reddi precatur, cùm vt Euangelij prædicationi subsidio sit, tum vt Gentes, Christi, quem prædicant à mortuis resurrexisse, veram diuinitatem per Materni resurrectionem agnoscant. Solatur Eucharium Petrus, & hanc temporalem Materni mortem plurimis saluti fore spondet: datóque suo baculo iubet Materni corpori imponi, & defuncto dici. *Præcipit tibi Petrus Apostolus, vt in nomine Christi Iesu à morte resurgas, & commissum ministerium nobiscum perficias.* Redit Eucharius, Maternus effoditur, & accepto Petri mandato resurgit. Ad hanc diem apud Hellum vicum tertio miliari à Selestadio distantem in Alsatia sepulchrum ostendi, in quo Maternus quadraginta dies jacuerit, Rhenanus est author. Hanc etiam ob rationem Romanum Episcopum baculo, seu pedo pastorali non vti, quòd Euchario Petrus tradiderit, Innocentius III. scripsit lib. 1. mysteriorum Missæ cap. 62. quamuis Glossa ad c. vnic. *Extra. de sacra vnctione*, eiusdem Innocentij, ad baculum Martiali datum à Petro referat. Vtraque tamen Ecclesia, Treuirensis, & Burdegalensis, hunc Petri baculum summa cum veneratione custodit.

Materno coram multitudine suscitato; illa Dei

Eucharij potestatem admirata, eum se colere profitetur, & ab Episcopo, secundùm beati Petri prophetiam, baptismi gratiam recipit. Inde progressi Petri discipuli Treueros veniunt, vrbem Galliarum nobilissimam, & Belgicæ Metropolim. At cùm Eucharius verbum Dei publicè prædicaret, sacerdotum Idolorum factione lapidibus à populo impetitur: &, mirum dictu! pars turbæ extento brachio diriguit, pars ad colligendos lapides inclinata, capite, manibúsque in terram fixis hæsit: cunctísque eum corporis habitum, quem ad Eucharium percutiendum composuerant, rectum, fixum, incuruum, immobiles seruarunt. Sola iudicij vis ad crimen agnoscendum, soláque linguæ libertas ad veniam exposcendam, à numine verbi sui præconem vindicante, relictæ sunt. Professi Dei virtutem, corporis libertati Eucharij precibus restituuntur. Hanc Prædicationem Christi, insigni miraculo Eucharius consignauit. Cùm enim Matrona Albana nomine illi interesset, filium domi obiisse nunciatur: Accedit rogatus Eucharius, & in nomine Christi mortuum suscitat, eum cum matre & familia baptizat, & sacris vsibus domum dedicat. Crescebat in dies Christi religio, quam per visum persuasus vnus ex Senatoribus amplexus est; eúmque secutus populus Treueris tantum in numerum creuit, vt in fluuio, qui mediam ciuitatem perlabitur, per triduum baptizaretur; & ex infusione sacri olei, nomen Oliuæ fluuium accepisse feratur. Tandem miraculorum fama celebris Eucharius, anno Episcopatus vicesimo tertio, VI. Idus De-

cembris, Valerio Ecclesia commendata, decessit, & in templo, quod extra mœnia vrbis extructum, sepultus est.

XXII. A Petro Sauinianum, Potentianum, & Altinum Galliæ receperunt. Senonas ad Christi fidem Sauinianus adduxit, & ab Gentilibus occisus, successorem habuit Potentianum martyrij consortem. Cum eo pariter passi Eodaldus, Altinus, & Serotinus. Petro viuenti Ecclesiam dedicasse fertur Sauinianus, quæ Petri viui posterioribus sæculis nomen habuerit. Linum quoque Petri in cathedra Romana successorem Vesontios accepisse volunt, multósque alios Petri discipulos singulæ Galliarum Ecclesiæ venerantur. Ego verò, quamuis traditionem, quæcumque illa sit, reuerear, hæc tamen omnia adeò ab historica veritate aliena, mihi non persuadeo. Nam tot erroribus priscas narrationes obduxit antiquitatis amor, & Petri principatus studium, vt quâ agendum sit, non agnoscam. Itaque accelero, & ex his amfractibus erumpendi desiderio, cursim hæc omnia perago; iamque metam aspiciens, vnum Martialem Petri discipulum præcipuum absoluo.

XXIII. Martialis à Petro consanguineo iussu Christi cum Marcello, & Elizabeth parentibus baptizatus, præcipuis Domini actionibus interfuit. Petrum Antiochiam, inde Romam secutus, in Gallias cum Alpiniano, & Austricliano, Christi fidem prædicaturus mittitur. In itinere mortuum Austriclianum apud *Elsam vicum accepto Petri baculo suscitat.* Tulli Arnulphi filiam à dæmone liberat; Neruæ *Ca-*

stri

ſtri Domini, Neronis Imperatoris conſanguinei filium à dæmone necatum, in nomine Ieſu vitæ reſtituit, & cum tribus millibus hominum baptizat. Ad *Ergedium vicum* Idola deſtruens, à ſacerdotibus templorum cæditur, qui imminente vindicta Dei obcœcantur, neque priùs lumen recipiunt, quàm Christum Deum fatentibus dæmonibus, ſimulachris omnibus confractis, ipſi pedibus Martialis aduoluti ſunt. Lemouicũm vrbem ingreſſus, à Suſanna hoſpitio excipitur, eam cum filia Valeria baptizat, furioſum ſanat, à Flaminibus cæſus in carcerem conijcitur. Pro Martialis libertate natura conſpirat, vndique fulgura, & tonitrua cœlum turbant, terra motibus quatitur; Flamines fulgure tacti cadunt; & prodigiis commotus populus accurrit ad carcerem. Martialis de dæmone triumphans egreditur, turba acclamante, Flamines ſuſcitat, eorúmque de Christi diuinitate audito teſtimonio, viginti duo hominum millia baptizat. Iuuante populo Idolorum templum deſtruitur, & Chriſtianis vſibus conſecratum Protomartyri dicatur. Vixit Suſanna bonis ſuis Eccleſiæ relictis, eiúſque filia Valeria ſe virginem Deo conſecrat. At cùm eius ſponſus *Stephanus Dux* (hæc ſunt actorum verba) *tenens Principatum à fluuio Rhodani vſque ad mare Oceanum, Vaſconum, atque Gotthorum gentem regendi habens poteſtatem vſque ad montes Pyrenæos*, eam ducturus Lemouicas veniſſet: Valeria iam Chriſto deſponſata nuptias renuit, & Stephani iuſſu capite plectitur. Pœnituit tamen Stephanum, & ad Martialis pedes prouolutum Chriſti miſericordia re-

F

cepit. Baptisat illum Episcopus cum omni comitatu; munera in Ecclesiam conferuntur, *Clero annonæ, & redditus destinantur, hospitales domus* construuntur, & ad Valeriæ *sepulchrum Ecclesia à Stephano ædificatur.* Intereà *à Nerone Stephanus cum exercitu euocatus Romam pergit*, Petrum Apostolum inuisit, & nudis pedibus cum omni exercitu coram eo prosternitur. Lætatur Apostolus tantam multitudinem à Martiali in Iesu Christi numeros adscriptam, & acceptis discipuli prodigiis, *Stephano cædis Valeriæ veniam indulget. Ducentas libras auri à Nerone sibi datas, Petro Stephanus offert*: Ille ad Martialem deferri, & Ecclesias ædificari iubet. Redit exercitus in Gallias, & Stephano Duce ad Martialem properat, pro reditu gratias acturus. Cùm ad Vigennam fluuium consedisset, *Arcadij Comitis filius Hildebertus* à dæmonibus demersus est. Martialis dæmonibus imperat, corpus ripæ restituitur, ipsi dæmones Æthiopum habitu videntur, & mira de inferno, ac suis nominibus declarant. Excitatur tandem Hildebertus, quæcumque in inferis vidisset, *ipsumque purgatorium ignem*, describit. Deinde caput totondit, exercitationem seueram professus: Arcadius pater in tanti beneficij gratiam, Ecclesiæ bona contulit. Stephanus, missis per omnes nationes sibi subditas edictis, Idola destrui, & Christum coli imperat; ac reliquam religioso cultu vitam transigens, quatuor vicibus per anni quatuor tempora, quot annis, cum subditis populis Martialem inuisit: & in cilicio, cinere, & ieiunio tres dies in Ecclesia sancti Stephani orationibus vacat. Iam per om-

nes Gallias miraculorum famâ, & vitæ sanctitate notissimus Martialis, *Sigebertum Comitem Burdegalensem* paralysi liberat, dato suo baculo Benedictæ illius vxori. Huius hortatu diruuntur Burdegalæ Idola, *Ignoti qui colebatur Dei* templo seruato, cuncta regio Christi fidem accipit, & multa hominum millia à Martiale baptizantur. Insignis iterùm miraculis eius baculus, qui religiosè à Benedicta seruatus, in hodiernum diem custoditur. Hic ille est Martialis baculus, quem à Petro accepisse vulgò creditur. Accepto beatorum Apostolorum Petri, & Pauli martyrio, incœptam Ecclesiam perficit, aptat sibi, Stephano, & Valeriæ sepulchra; Protomartyri, & Apostolis oratoria dedicat; *lampadibus, crucibus aureis, & pretiosissimis cimeliis Ecclesiam ornat*, & magno cum apparatu præsente Stephano Duce, & conuiuis peregrinis administrante, illius dedicationem celebrat, Dæmonum eiectione, & miraculis illustrem, quæ in vltimum Neronis annum incidit. Quadraginta Clericos in illa Ecclesia instituit, hospitalem domum in quingentorum pauperum victum ædificat, & Aurelianum futurum sibi successorem consecrat. Tum pedibus omnes Gallias circumire, & vbique verbum Domini prædicare. Tandem lato decreto, vt omnes Aquitani quotannis vicibus quatuor Lemouicensem Ecclesiam adirent, instanti dormitionis suæ die Aquitanos conuocat, missâ celebratâ, orationem habet ad portam Calcineam benedicit populo, & animam Deo reddit Episcopatus sui anno 28. Christi 74. Vespasiani anno tertio, ætatis suæ 59. pridie Ca-

lendas Iulij. Hæc ex actis Martialis, quæ Aurelianus discipulus, & successor scripsisse dicitur. Verùm quis vel ea percurrens legitimum authoris nomen agnoscet? quî sub Vespasiano, Stephanum, Vasconum, Gothorum, Aruernorum, & Bituricensium Ducem, Sigebertum Burdegalensium Comitem, Hildebertum, Arnulphum, & alios in his actis nominatos vixisse credet? Quis ridicula dæmonum nomina, quis eorum nugas, quis veris nihil similes de inferis relationes recipiet? Omitto Aquitaniam omnem ad Christi fidem redactam; quæ trecentos post annos tota demum subiugata est. Splendida Ecclesiarum ornamenta, earúmque dotes, Clericorum, & Canonicorum certus numerus, Xenodochiorum constructio, & his similia, apud plurimos fidem minuent; atque, si vnum Martialis nomen exemeris, reliqua omnia ficta videbuntur. Hæc ita Ioannes Hesselius Louaniensis doctor iam ante multis erroribus aspersa notauit, ridicula, deliria, & contrarias Scripturæ sacræ propositiones authoris, ipse stilo suo confodit, quem Lector consulat. Certè Aurelianum Martialis discipulum hæc ipsa quæ habemus scripsisse manifestissimè falsum est; atque ipsi illorum assertores ex actis Aureliani solú excerpta fuisse scribunt. Quo autem tempore illa primùm visa sint, incertum: nisi tamen coniectura nos fallat, paulò ante secundam Martialis translationem quæ anno Christi 994. contigit, composita fuisse videntur. Nam scriptor miraculorum quæ in secunda translatione visa sunt, acta sancti Martialis antiqua periisse, à

barbaris nationibus Aquitaniam vastantibus direpta, ipsisque alia substita fuisse declarat. Ergo post pulsos ab Aquitania barbaros restituta fuit Martialis vita, aliquot ante secundam translationem annos. Inde nata Apostolatus in vulgi animis opinio, tandem Concilio Aquitanorum anno M. XXXI. asserta, quidquid contrà Iordanus Lemouicensis Episcopus, & veteri suæ Diœceseos consuetudine, pro certissima lege in mediũ proferret. Nam ad ea tempora à Romano Episcopo Martialis missus fuisse, & circa Decij annos in Galliis vixisse, infra hos annos per Gallias eius discipulos prędicasse credebatur. Hos inter Ausonius Engolismensis primus Episcopus sub Chroco Vandalorum Rege circiter annum Christi CCLX. passus est. Neque alia latissimæ Martialis prædicationi tempora succurrunt, quàm illi pacis Ecclesiasticæ anni à Seuero ad Decium. Inualuit tamen contraria opinio, in cuius subsidium, cùm à plerisque oppugnaretur, confictæ sunt Martialis duæ Epistolæ circa annum Christi M L X. Philippo primo regnante: Hæc enim verba ad calcem earum Epistolarum leguntur.

Hæ duæ Epistolæ, Domitiani persecutione aduersus omnem Dei Ecclesiam vbique feruente, reconditæ fuerunt in sacrario beati Petri, videlicet in Basilica prædicti Apostoli, in tumulo cuiusdam, in qua etiam Pontificum sepultura antiquiùs solebat haberi, vbi hactenus, vt in titulo scriptum reperimus, latuerunt. Nostro autem in tempore Philippo Rege regnante sunt repertæ, quæ nimiâ vetustate consumptæ, signis, & literis penè nobis incognitis (vt mos antiquorum fue-

rat, scriptæ, vix tamen legi potuerunt, largiente Domino nostro Jesu Christo, cui laus debetur, honor omnis, & victoria in sæcula sæculorum Amen. Hæ Epistolæ ad Burdegalenses, & Tolosanos scriptæ, ipso Concilij tempore, quo quæstio de Apostolatu Martialis agebatur in fidem posteris faciendam confingi, & terræ mandari potuerunt, exemplo antiquariorum qui numismata in priscorum similitudinem cusa, rubiginem, & aliquam antiquitatis notam contractura in terram fodiunt, adulterato vultu post aliquot annos eruenda. Ac demum sub ipso Philippo, casu pridem ab illarum artifice præuiso, è terra erutæ, fidem posteris fecerunt. Verùm adeò fuerunt rudi arte compositæ, vt impostura cuilibet, vel parùm acuto primo intuitu appareat: Falsa enim, & Euangelio pugnantia continent: Ex Hieronymi versione sacram Scripturam citant; Galliarum Regem Stephanum, Satrapas, & alia, quæ ex ipsa vita excerpta sunt, ridiculè nobis obtrudunt: Illa sagaci ingenio Cardinalis Bellarminus omnium oculis exposuit, ad quem lectorem remittimus. Nos enim tot figmentorum, & fabellarum tædio, ad certiora documenta properamus.

XXIII Descripsimus Petri & Pauli legatorum acta, quæ vel certa antiquitas ad nos trãsmisit, vel antiquitatis ęmula posteritas cõfinxit. Illa, si vera sunt, ad posteriora tempora, quibus illos credimus vixisse, reduces: quæ, ne delicatis animis nouatores videamur, à sedibus, quas fixit posteritas, non mouimus. Si falsa, & fabulosa; authores argue, quorum mentem, & sæ-

pissimè verba secuti sumus, ne aliquid omisisse dicamur. Itaque absolutis Apostolorum legationibus, successorum missiones attingamus.

XXIV. Vlpio Trajano, & Acilio Glabrione Consulibus, Domitiani Imperatoris anno X. Christi LXXXXIII. Cleto Pontifici Romano Clemens suffectus est, quo sedente vehemens in Christianos fuit persecutio, Nerua Imperium capessente repressa anno Christi LXXXXVIII. Illa in Gallia passos fuisse ferunt, Dionysium Parisiensem Episcopum, Eutropium Santonensem, Lucianum Bellouacensem, Nicasium Rothomagensem, Maximianum, Iulianum, Quirinum presbyteros, Scubiculum Diaconum, Caraunum, Patientiam virginem, & alios, quorum maximam partem in Gallias Clemens miserat. At cùm tandem sub Nerua Dionysius à Clemente missus dicatur, nimirum post Ioannem Apostolum edicto Neruæ ex Insula reuersum, & plerique eorum, qui in Gallia sub Domitiano passi feruntur, Dionysij comites fuerint, sine dubio ad posteriora tempora referendi sunt. Ita tamen confusa res est, vt ipse Dionysius, qui demum Nerua imperante Athenis in Gallias migrasse dicitur, sub Domitiano martyrij coronam accepisse legatur. Itaque, incerto anno à Clemente in Gallias legatorum Episcoporum, acta repetamus.

XXV. Inter Clementis Legatos præcipuus est Dionysius, nominis famâ, & Apostoli Pauli magisterio: quare illius discipuli, vel socij, antiquiores Galliarum Episcopi passim dicuntur. In his Regu-

lus, qui & Syluanectenſis, & Arelatenſis Epiſcopus, Sanctinus Meldenſis, Iulianus Cenomanenſis, Lucianus Bellouacenſis, & quicumque primi in Galliis Chriſtianæ religionis authores vulgò creduntur.

XXVI. De Dionyſio incertum eſt, etiam inter eos, qui Areopagitam illum eſſe dicunt, quo demum tempore in Gallias venerit. Plures tamen illum à Clemente Papa cum Regulo, Ruſtico, Eleuthero, & aliis pleriſque miſſum referunt. Eius acta, ſub Domitiano Imperatore, iudicante Feſcennino Siſinnio Præfecto, capite plexum fuiſſe narrant. Illa iubente ipſo Dionyſio à Sanctino, & Antonino diſcipulis conſcripta, & Anacleto Papæ oblata, à Methodio Græcè edita, ab Anaſtaſio Bibliothecario latinè reddita, ſcribit Hincmarus Remenſis Epiſcopus. Plerique verò contra eorum actorum fidem, alium ab Areopagita Dionyſium Pariſienſem aſſerunt. Ariſtidis authoritatem producunt in medium, illius nempe Athenienſis, qui in eo opere, quod de religione Chriſtiana ſub Adriano compoſuit, Dionyſium Areopagitam eodem imperante martyrium Athenis ſubiiſſe refert. Vetus etiam Martyrologium afferunt, quod Areopagitę memoriam Athenis diẹ tertia Octobris, & Pariſienſis die nona celebrat, vt hodie quoque in pleriſque Galliæ Eccleſijs obſeruatur. Prætereà de nouitate opinionis excipiunt, quæ octingentis ab hinc annis nata ſit; anterioribus ſæculis Eccleſia Gallicana contrarium ſentiente, & vix tandem, nec omninò, in illam de Areopagita ſententiam illapſa. Nam perditis Græcorum rebus, qui à Francorum Regibus

gibus ſuppetias poſtulabant, ingenio Græco factum eſt, vt ſancti Dionyſij monachis, penes quos maxima Galliæ pars rerum erat, ſuo Dionyſio dignitatem Areopagiticam, & Pauli Apoſtoli doctrinam tum primùm affingentibus, vltrò applauderetur, & veris, fictiſue monimentis tota res confirmaretur. Non facilè tamen Francorum prudentiores, Græcæ adulationi crediderunt: Non ipſe Ioannes Scotus, qui eo tempore primus Dionyſij Areopagitæ opera in latinum ſermonem vertit. Ille in Epiſtola ad Carolum Magnum ſcribit: Non antiquos patres, qui Areopagitæ Dionyſij meminerunt, ſed nouos quoſdam, neque nominis famâ, neque doctrinæ authoritate celebres, hunc Areopagitã eumdem cum Pariſienſi temerè affirmare, hũc Clemente Petri ſucceſſore ſedente Romam veniſſe, in Gallias ab eo Legatũ, cum Ruſtico, & Eleuthero martyrium ſubiiſſe. Tandem varias primis Eccleſiæ temporibus Epiſcoporum tranſlationes, ab hiſtoricis diligenti cura notatas adducunt, & nuſquam inter illas Areopagitæ Athenis in Galliam tranſlatio legitur; quæ ſi reuera contigiſſet, propter viri dignitatem obſeruanda fuerat. Verùm hæc omnia, quibus reſpondent ſententiæ vulgaris aſſertores, Areopagiticam dignitatem Dionyſij ſolùm oppugnant, quæ cum in id tempus, quo primùm in Galliis hæc opinio cœpit, nos hiſtoria noſtra deduxerit, diligentiùs expendemus. At Dionyſium in Galliam à Clemente miſſum non fuiſſe minimè probant: Et ſi Seueri, & Gregorij authoritatem inferiùs à nobis explicandam excipias, nihil

est quod opponi possit: Nam omnes ferè scriptores, & passiua Dionysij acta consentire videntur. Verùm ante Caroli Magni & Ludouici Pij imperium, nullum Dionysio Parisiensi eam ætatem, & dignitatem adscripsisse: ab eo verò tempore, non omnes Gallos huic nouæ traditioni manus dedisse legimus. In Concilio Lemouicensi superiùs à nobis relato Clericus quidam Engolismensis vulgarem de Dionysio opinionem arguit, ipsumque Areopagitam omninò negat. Id olim se, vulgi sententiam sequutum, existimasse fatetur: at Marcelli martyris vitâ perlectâ mutasse sententiam. Illic enim Dionysius, & Saturninus fratres, Egeæ filij, Româ à Clemente missi, & Sixto Papa, ac Laurentio hortantibus Marcellus alter frater secutus in Gallias. Quæ licèt confusa, & falsis, verisque composita maximè perturbata sint, lucis tamen radium aliquem immittunt, & veritatem nobis afflant. Saturninus Egeæ filius dicitur in vita sua, missus cum Dionysio ad Gregorium: Sixtus autem, & Laurentiús anno Christi CCLX. octauo post Saturnini passionem anno, vixere. Quia tamen inualuit ea opinio, vt à Clemente missus dicatur Dionysius, ex actis res eius gestas repetamus. In quibus primùm obseruatur non à Clemente, sed à successoribus Apostolorum missum Dionysium narrari. Illa diuersa sunt ab his, quæ Surius ex antiquis, & Hincmaro; politiori etiam stylo in duobus manuscriptis codicibus reperta. Quorum præfatio, veterum sanctorum vitas in obscuro, & incerto diù iacuisse, ac è longi temporis silentio horum

authorem illa eduxiſſe, teſtatur. Addit comites Dionyſij, Saturninum Toloſæ à tauro tractum, Paulum Narbonę domeſticâ calumniâ impetitum, quieuiſſe. Huius præfationis pars in actis ab Hilduino compoſitis legitur, quem reliqua de Liſbio, aliíſque, quæ in hac vita deſunt ſuo imperio, & arbitrio inſeruiſſe, cuilibet vtraque acta cõferenti conſtabit. Dionyſius Pariſiis Chriſti fidem promulgans, iam deſtructis idolis & magnâ gentis parte in ſacram religionem conſcriptâ, miſſo per prouincias Chriſtianorum exterminij edicto, cum Ruſtico, & Eleuthero Diaconis & comitibus aſſiduis à Frumentarjis deprehenditur. Nõ hæc Domitiani fuit perſecutio, cùm adhuc à Clemente eo imperante miſſus non eſſet Dionyſius: ſed longè poſterioribus ſæculis illã fuiſſe oportet, cùm propagatâ per orbem vniuerſum Chriſti religione, contra Chriſtianos edicta per prouincias mitti, Idololatriæ interfuit. Comprehenſi hi tres Chriſti præcones, capite plectuntur; ac cùm illorum corpora Chriſtianorum cultui percuſſores eriperent, & in Sequanam immergenda deferrent: à Catulla, matronâ ad Chriſti fidem toto corde inhiante, ad epulas vocantur. Iã per iocos, pocula, liberalioréſque propinationes, propoſitum obliti, ſacro furto dant locum. Et Catullæ familia, religionis, ſtudij, artíſque dominæ conſcia, clàm ſubrepta Sanctorum corpora, in agro iam arato, ſexto ab vrbe, aut potiùs Caſtro, Pariſiorum lapide, condidit. Pace tandem Chriſtianis redditâ, Catulla beata corpora exhumata ornatiſſimo ſepulchro commendaſſe dicitur, quod in Galliis niſi tertio demùm aut incipiente quarto Chriſtianæ re-

ligionis sæculo publicè licuisse arbitror. Ex quibus confirmari videtur illorum opinio, qui posteriorem Apostolorum temporibus Dionysij Parisiensis ætatẽ asserunt, Seuero Sulpitio, Gregorio Turonensi, antiquissimis Martyrologiis, primâ traditione, posteriorumque etiam ab octauo sæculo sententiã subnixi. Aduersus quã arma mouit Hilduinus Abbas S. Dionysij, & Græcorum autoritate fultus, ad Apostolorũ tẽpora Patronũ retulit: in cuius sententiã, à discipulo Hincmaro Remẽsi Episcopo laudatã, vniuersa ferè Ecclesia Gallicana octingentos per annos ad nostra fermè tẽpora pedib⁹ iuit, donec hoc sæculo viri docti prioreẽ opinionẽ reposuerũt. Quibus absit, vt ego scriptis meis in hãc, aliáve partẽ præiudiciũ aliquod ferã.

XXVII. Ex Dionysij sociis Regul⁹ Arelatẽsis Episc. dicitur. Cuius acta referunt, Dionysiũ Gallias ingressum, Arelate cõcusso Martis simulachro, quod sũmâ veneratione colebatur, tẽplum ei⁹ Petro & Paulo dedicasse, & cõuersis ad Christum populis baptisterium cõstruxisse. Cùm autẽ in Celtas Dionysius pergeret, Arelate Regulum Episcopum constituit, quẽ aliqui Trophimi successorem, & inde in Syluanectensem Ecclesiam translatum fuisse scribunt. At hic Regulus Quintini socius, ad Maximiani Imperium reductus, veram Dionysianæ ætatis epocham demonstrat.

XXVIII. Lucianũ Presb. Bellouacos misit Dionysius, ibi à Præfecti Iuliani satellitibus captũ, & cũ duobus pueris Maximiano & Iuliano pro Christo cæsum.

XXIX. Acta Taurini Ebroicensis ab Adeodato eius filio (baptismatis scilicet regeneratione) conscripta; Tarquinij, & Eutychiæ Romanorum filium di-

cunt, sub Domitiano natum; propter visionem matris futuras Taurini virtutes portendentem, Dionysio Areopagita suscipiente, à Clemente Romano Pontifice baptizatum. Cum autem in Gallias Dionysius proficisceretur, ab Eutychia rogatus, secum Taurinum duxit, Ebroicensibus Episcopum constituit iam ante germano eius Gaugerico in ciuitate Camerata ordinato. Ebroicis Lucii filiam Euphraxiam combustam suscitat, eius fratrem Adeodatum actorum scriptorem baptizat, & postmodum presbyterum ordinat. Dianæ simulachrum in laudem Taurini loquens, horrendam dæmonis imaginem, iubente Taurino, populo emittit. Templum purgat Taurinus, & in honorem Virginis Mariæ dedicat. Multa eius miracula hæc acta recitant, Cambisem, & Saras magos, & Sacerdotes Dianæ ad Christi fidem conuersos, Licinii filium Pascasium, & alios à mortuis suscitatos, & vniuersam ferè gentem ad Christi religionem adductam. Adeò tamen illa omnia confusa sunt, vt veritatis lumen aliquod vix luceat. Nam sub Domitiano natus, quomodo à Dionysio baptizari, & in Galliis Episcopus ordinari potuit, si Domitiani tempore cæsus est Dionysius? Aiunt acta, Licinium; fortè Præsidem, patrem Taurini auum suum nominare: mox & ad Sixtum Romanum Episcopum, si modò iam martyrium non confecisset, legationem à Taurino missam, mox Romam illum venisse, & accepta à Sixto benedictione in Gallias rediisse. Præterea, paulò post eius obitum Gallias à Barbaris occupatas referunt, quorum aduentum præuidens Tauri-

nus, precibus suis salutem animarum populi sui obtinuerat, vrbis vastatione æterno consilio decretâ. Tum addunt mortuum Taurini corpus præsente angelo extra vrbem sepultum, pollicente salutem Taurino è sepulchro loquente, & angelo mortui defensionem, quem viuum tuitus fuisset. Hæc omnia perpendens, & Galliarum à barbaris gentibus depopulationes repetens, ad Alemannorum sub Gallieno irruptionem referenda Taurini tempora existimo. Nã eodem imperante Sixtus secundus Episcopus Romanus passus est, circa annum Christi ducentesimum sexagesimum. Quare Taurinum longa ætate prouectum, sub Valeriano, & Gallieno, cum aliis Episcopis, de quibus Gregorius Turonensis, Saturnino nimirum, Paulo, Gatiano, & Stremonio missum fuisse oportet.

XXX. Vnum Eutropium à Clemente Santonas missum refert Gregorius Turonensis *lib.* 1. *Miraculorum cap.* 56. nulla eius acta superesse referens, atque adeò præter nomen, vitam eius obscuram fuisse, vt neque martyr crederetur, nisi Palladio Santonensi Episcopo circa annum sexcentesimum eius corpus in Basilicam eius nomini constructam transferenti, ipse Episcopus suum martyrium, ictusque securis in capite vestigium reuelasset. Rectè itaque ad rumorem, & famam Eutropij missionem refert Gregorius, cùm ad illa vsque tempora historia passionis eius lecta non fuisset. Si modò Clementis nomen Glossema non est, vnum ex his quibus hi Gregorii libri aspersi sunt.

XXXI. Gatianum etiam Turonensem Clementis discipulis annumerant, contradicente Gregorio eiusdem Ecclesiæ Episcopo, qui ad annum primum Decij refert à Papa Romano missum, & expansis tum ipsius Gatiani, tum successorum annis, eo anno venisse certissimè probat.

XXXII. Bituricensibus Vrsinus, vnus ex discipulis Domini, Nathanaël scilicet, à Clemente datus est, quem sancti Stephani sanguinem in Galliam tulisse, & in Ecclesia Protomartyri dedicata collocasse ferunt. Illam in ædibus Leocadij principis, quem cum filio Lusore baptizauerat, Vrsinus ædificauit. Leocadii filius Lusor, vel Luso in albis migrasse dicitur à Gregorio Turonensi *de glor. Conf. cap.* 92. & in Dolensi vico sepultus, cuius memoria IV. Nouembris in Monasterio Dolensi celebratur. Verùm hæc, vulgari Epocha posteriora esse illa demonstrant, quæ de Biturigum ad Christi fidem conuersione refert idem Gregorius *lib.* 1. *Hist. cap.* 31. inferiùs à nobis describenda.

XXXIII. Dionysio alius adiungitur comes Clementis discipulus, Rothomagensis Nicasius, cum Quirino, & aliis passus. Illo cæso longum inter-pontificium fuisse volunt, donec Mello à Stephano Papa circa annum Christi CCLXV. mitteretur. Qui si vt immediatè, ita pauco interiecto tempore successisset, iam Nicasium cum aliis Episcopis ipso secundi Christiani sæculi initio venisse dicendum erat. Addunt & Sixtum Remensem, quem tamen ipse Remensis Hincmarus à Sixto Ro-

mano, secundo scilicet, missum asseuerat.
XXXIV. Cenomanensem Iulianũ Dionysij quoque comitẽ, ad hunc locũ vltimũ seposui propter eius vitam, à Lethaldo Monacho ad Auesgaudũ Cenomanensem Episcopum scriptam, circa annum Christi millesimum. Hic enim Monachus contra suorum traditionis temporum authoritatem primus omnium arma mouit, Gregorii Turonensis opinionis acerrimus defensor. Posteaquam acriter in eos qui sanctorum memoriæ miraculorum figmentis illudunt, verba fecit: Iulianum Dionysii socium non à Clemente, qui sub Trajano vixit, sed à Sixto, qui Decio Imperatore sedit, missum ait, Gregorij authoritate opinionem confirmans. Tandem decrescente persecutione Ecclesiæ pace restitutâ, ad informandam rudem adhuc Ecclesiam Gallicanam sanctissimos viros à sede Romana delegatos, Lugdunensibus Fotinum, Arelatensibus Trophimum, Narbone Paulum; Tolosæ Saturninum, Aruernis Austremonium, Lemouicibus Martialem, Turonicis Gatianum, Parisiacis Dionysium, Cœnomanis Iulianum. Hæc tamen stare non possunt, cùm Pothinus sub Aurelio passus sit, nec eius comites ad octuaginta ab eius morte annos peruenisse probabile sit. Diuersis ergo temporibus missi, neque Pothinus hos inter numerandus. Hic autem Iulianus Romana nobilitate clarus facundia, & iustitia celebris, Cenomanos sortitus, multa patrat miracula, mortuos suscitat, Idola confringit, Ecclesias construit, vtque *nouus agricola opacam siluam ingressus nunc ferro, nunc igne vtitur, quo ia-*
ciendis

ciendis seminibus tellus eatenus sterilis praeparetur. Sic Iulianus, Cenomanicum penetrans solum, veteres quercus, annosasque fagos, id est vetustae gentilitatis sterilia vanáque figmenta euertere missus: & ferro correctionis vsus est, quo peccata delinquentium feriret, & igne adustionis, quo iam emundatum solum ad promerenda diuini amoris semina aptum exhiberet. Qua Letaldi comparatione delusus Galliae Christianae author, Iulianum adoratas à Gallis quercus euertisse multis probauit. *Sed reliquiae Paganorum* (sunt verba Letaldi) *quae quasi fragmina tabularum de naufragio errorum euaserant, indignè ferentes laudem nominis Christi dilatari, & simulachrorum suorum portenta pessundari, vnanimiter insurgunt contra sanctum: maleficum clamantes, qui sub nomine pietatis vanis praestigiis euerteret corda populorum, ipsosque videntium oculos frustraretur, falsa pro veris assereret, hominem crucifixum Deum affirmaret, Deorum immortalium, quos Romanus orbis à saeculo colit, culturam erroneus euacuaret: virum exuri debere vt eius interitus exemplo aliquis impostor, & temerarius terreretur, ne contra Rempublicam, timendorúmque numinum reuerentiam, quibus orbis constat, & alitur, quoquo modo vlteriùs oblatrare niteretur. In his Iulianus nullo modo territus, verùm ad pugnam contra diabolum alacris accinctus, ad locum iter accelerat, quo caput erroris eorum malè suasa religio detinebat. Nam in vico, cui Arcanas vocabulum est, templum erat, & in eo Iouis simulachrum, falsorúmque innumera portenta Deorum, quae vario errore delusa gentilitas priscis temporibus erexerat, ad suam & sequentium perniciem populorum. Ad quae destruenda cum Iulianus loricâ fidei indutus, galeâ salutis pro-*

tectus, gladio spiritus sancti præcinctus præparatur. E diuerso, rusticana, & ignobilis manus, pro defensione Deorum, qui sibi auxilij opem ferre nequibant, obstinatissimè resistere armatur. Sed Iulianus imperterritus inter frementes, & garrientes insanientium voces, templum ingressus, inuocato vero Dei Iesu Christi nomine, simulachrum enorme, ipsóque visu terribile, in cinerem resoluit, sola sanctæ iussionis authoritate. Vt verò insani populi cognoscerent, cui eatenus culturam Deitatis exhibuissent, euerso simulachro immanissimus erupit Draco, qui facto impetu contra proprios cultores, flatu sulphureo, & atrocis verbere cauda, deuotorum sibi phalanges in mortem cœpit ardenter vrgere. At illi eius contra Deum suum petunt auxilium, quem paulò antè vociferantes maleficum totis nisibus elaborabant vt eum incenderent viuum. Porrò Iulianus verus Dei athleta eleuatâ cum signo Crucis in sublime dexterâ, draconi imperat, vt nullum amplius lædens concitus fugiat, & loca humana cultura prorsus carentia petat. Ad cuius imperium Draco sæuissimus effugit viuacissimè, & in eos ius amisit lædendi, quibus vlteriùs fraudem exercere permissus non est seducendi. Tunc vniuersi cum gladio iam sunt socij in euertendo falsitatis fano, ac demum sancto renati lauacro, per manus sancti Pontificis dogmate beatificantur Christiano. Cuius facti fama velox per omnes totius prouinciæ percurrens populos, ita pristini erroris cunctas abrasit nebulas, vt vix aliquis inueniretur, qui Iesum Christum Deum, & Dominum non confiteretur. Hactenus verba Letaldi.

Iulianus his miraculis clarus, maximè Defensoris primarij cuiusdam viri conuersione illustris, commendatâ Turibio presbytero, (qui cum Pauatio,

Diacono, prædicationis comes fuerat) Ecclesiâ, animam Deo reddidit. Hæc ex dictis actis, quæ quàm simillima notamus esse actis S. Frontonis suprà à nobis allatis, adeò vt illa ex his, vel ex illis hæc conflata fuisse videantur.

XXXV. Quid per aliorum, qui Apostolorum discipuli vulgò asseruntur, acta, prodigiis, & historicis erroribus plena, hæc historia ire laboret? Paucorum apud Gallos nomen in fama fuit, quos credula nimium posteritas, ad Apostolorum tempora non retulerit. Quando tamen illud erat eorum historiæ fundamentum, Dionysium, & septem illos iam toties nominatos Episcopos, Legatione Apostolica insignitos: Prædicationis socij plerique alij adiuncti sunt, in quos Deciana, aut sequentium Imperatorum persecutio demum animaduertit. Eorum acta suis locis descripturi, si quæ historiæ digna iudicentur, ad martyrologia, & vitarum sanctorum collectiones te modò remittimus.

XXXVI. Hactenus Petri, & Clementis discipuli illustriores, quos ab ipsis Romanis Episcopis primos fidei Christianæ authores se accepisse Gallia prædicat. Multi tamen contra sentiunt, & ad posteriora sæcula referunt, Seueri Sulpicij, & Gregorij Turonensis auctoritate freti, quam explicari locus hic desiderat. Et quidem Seuerus lib. II. sacræ historiæ Lugdunensium martyrium narrans, scribit. *Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tùm primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.* Priscos martyres, quorum res


gestas hoc libro descripsimus, Seuero obiiciunt illi, qui hodiernę traditioni adhærētes, cũ ipsa ferè Christi religione Gallicanam Ecclesiam natam fuisse autumant. Ego verò licèt illa antiquitas luce clarior mihi non appareat, tamen martyrio Lugdunensium Christi fidem in Galliis priorem fuisse, ferè pro comperto habeo: neque ideò Seueri authoritatem eleuatam existimo. Ille breuiori scribendi modo minùs dixit, quàm sensit, & sero susceptam religionem, ac tum primùm visa martyria scribens, non ideò tamen fidem prius prædicatam fuisse negauit. Illustria, & in omnium oculis martyria intellexit, quæ demum sub Aurelio Galliarum conspectui exhiberi cœperunt, suscepta iam Christi religione. Nam anteà & rara, & quasi propter commune impietatis crimen illata Christianis supplicia, nondum à populis religione susceptâ. Verùm vbi prædicatâ latè per Gallias fide, Christi nomen notius esse cœpit, Christianorum multitudine ad martyrium accurrente; tum primùm eorum damnatio Galliis spectaculo esse, & cuilibet illorum martyria cognita. Hanc Seueri fuisse mentem quis negabit, si Pothini longam ætatem, Iusti & Veri Viennensium tempora repetat; si Eutropium Santonum Episcopum à Clemente missum fuisse, Tolosam Saturninum, Biturigas Vrsinum, à discipulis Apostolorum accepisse apud Gregorium Turonensem legat. Non tamen ipse Gregorius contrarium sentit, asserens Trophimum, Gatianum, Paulum, Dionysium, Saturninum, Austremonium, & Martialem iam sub Decio missos fuisse. Etenim Eu-

tropium à Clemente, Vrsinum, & Saturninum à discipulis Apostolorum missos, non ex sua mente, sed ex traditione refert. Sed demus eum ex sui animi sententia dixisse. Quis inde in historia error? Lógior vita primis fidei præconibus data est, vt liberiùs, & diutiùs religioni adesse possent. Testes Ioannes, Polycarpus, Memmius, Pothinus, Taurinus, & alii. Verùm annos centum quinquaginta Christianam vitam eos egisse oportuit: tot enim à Clemente ad Decii tempora intercedunt. Ita sanè, si omnes à Clemente missi, si omnes ad Decii annos peruenissent. At aliqui ante Decium, aliqui sub Decio obierunt. Iam suprà Apostolorum discipulos, horúmque Apostolicos viros dici monuimus: qui cùm ad proximos secundo Christiano sæculo annos peruenerint, missi ab illis discipuli, vsque ad Decium, & sequentes Imperatores perdurare potuerunt. Cæterùm Gregorius Turonensis non sub Decio missos Episcopos, sed iam anteà missos, cùm sub illo passi sint, manifestissimè probat ex actis Saturnini. Quæ cùm Consulibus Decio, & Grato notata sint, ad ipsum martyrium, non ad missionem referri debent. Cùm autem illos septem Episcopos simul venisse in Gallias traderetur, certum missionis tempus ignorans Gregorius, sed Saturnini martyrium ex Coss. actorum eius compertum habens, iam sub illis Consulibus in Galliis fuisse scripsit. Episcoporum illa in prædicando Euangelio societas, multos in nostram historiam induxit errores. Etenim quando certum erat Episcopos à Romanis Pontificibns in Gallias missos, à scriptoribus mis-

ſionem alicuius narrantibus, itineris, & prædicationis ſocij alij omnes iuncti ſunt. Ita Dionyſius, qui nominis fama cæteris celebrior erat, alios ferè omnes Epiſcopos collegas ab illis accepit. In Paulo, Trophimo, Frontone, & reliquis idem obſeruatum eſt. Quaſi non priùs raris legationibus tentata Gallia, ſubmiſſis clam Epiſcopis fidei myſteriis initiata ſit, donec paulatim creſcente fidelium numero, maior Chriſti meſſis plures mercenarios expetiuit. Non enim ampla primùm colonia ducta eſt, ſed vnus, & alter, Romanorum Epiſcoporum, & Polycarpi diſcipulus rem aggreſſi, hiſque cæſis, & aucto Chriſtianorum numero alii ſubinde miſſi ſunt. Hunc religionis in Galliis progreſſum manifeſtiſſimè probant acta Saturnini à Gregorio citata, quæ ſenſim, & per gradus, *tardóque proceſſu* (non vt Surius contra manuſcriptorum fidem ſuo more corrupit, *paríque proceſſu*) Chriſtianam religionem in Galliis promulgatam fuiſſe narrant. Ac cùm raræ paucorum religione Chriſtianorum Eccleſiæ conſurgerent, ſub Decio, & Grato Coſſ. primum, & ſummum Chriſti ſacerdotem iam Toloſam ciuitatem habuiſſe. Nulla in his actis aliorum Epiſcoporum mentio, neque etiam ex illis miſſionem eorum repetiit Gregorius, ſed ex traditione, quæ à Sixto Romano Epiſcopo miſſos prædicabat. Verùm cùm Sixtus demum anno Chriſti CCLX. Valeriano, & Gallieno quartùm Coſſ. Stephano ſuffectus ſit, qui ab illo mitti potuit Saturninus, iam Decio, & Grato Conſulibus anno Chriſti CCLIV. paſſus? Diuerſis itaque temporibus illi E-

piscopi in Gallias venerunt, non vno, eodemque simul, & semel. Sed quia eadem ferè fuit eorum ætas, & paruis interuallis alij aliòs secuti sunt, eodem tempore venisse vulgò relatum est. Gatianus Turonensis à Fabiano circa annum Christi CCLI. missus dicitur à Sixto II. Genulphus & Peregrinus circa Christi annum CCLXI. & alij ab aliis. Eos autem ob restitutam in aliquibus, institutã in plerisque locis religionem, primos suos Episcopos, & Apostolos posteri appellarunt. Quo verò tempore missi fuerint definire non facile duxerim. Sed tempora percurrenti occurrunt triginta, & octo anni pacis Ecclesiasticæ à morte Seueri, & Irenæi martyrio ad Decij imperium, quibus ad resarciendam illatam Antoninorum, & Seueri persecutionibus Ecclesiæ Gallicanæ calamitatem mitti, vel si iam missi, securè per hæc pacis tempora fidem propagare, & æternam sui memoriam tanquam Ecclesiæ fundatorum, aut restitutorum relinquere potuerunt. Rem ita actam argumento est longior horum Episcoporum vita, à duobus solùm, Saturnino, & Dionysio, violenta morte finita, ab aliis illustri confessione per longa tempora transacta. Nam illa longissima pax Ecclesiæ, & vitæ securitatem, & populorum gratiam, & plausum illis Episcopis conciliauit. Ergo à discipulis Apostolorum Romanis Episcopis, Clemente circa annum Christi centesimum, Sixto primo circa centesimum quadragesimum (ad hos enim traditio refert) vel à Polycarpo circa annum CL. aut CLXVII. Pothinus, & alij qui intra secundum Christi sæculum sub Aurelio, & Se-

uero passi sunt,& qui persecutionis superstites ad pacis Ecclesiasticæ post Seuerum annos peruenire,aut à succedentibus Romanis Episcopis, qui ad Decij, Gallieni, & subsequentium Imperatorum tempora vixere, primi Gallicanæ Ecclesiæ institutores:aut restitutores mitti potuerunt. Incertum tamen est quibus annis singuli venerint, aut à quibus legationem acceperint. Hoc vnum constat ex Epistola Innocentij primi ad Decentium Eugubinum Episcopum, non ab aliis, quam Petri successoribus primos Episcopos Gallias recepisse. Itaque Polycarpi discipulis anteriores erunt Romanorum Legati: quos ante Clementem missos fuisse, propè est vt pernegem; ab ipso Clemente, credam; à successoribus, omninò asseuerem. Verùm has inter tenebras nullo præeunte lumine cæcutientes, fieri vix potest, quin varios in errores deuienus, à quibus ad rectos veritatis tramites, æterno ab lumine nos reduci precamur. Atque iam aliqua spes votorum assurgit, dum hoc vno libro cunctis antiquitatis caliginibus inuolutis, emicantes proximo libro veritatis radios aspicimus.



ECCLESIAE GALLICANÆ HISTORIARVM,

LIBER SECVNDVS.

TANDEM, Deo duce, ex antiquitatis incertæ tenebris emersimus, & per succedentium temporum persecutiones, licèt obscuram, certam tamen lucem intuemur. Iam enim Gallia Christi fidem agnoscit, & suorum ciuium sanguine illius veritati testimonium exhibet. Verùm priùs quàm illorum illustria martyria complectamur, quasdam obscuras historiæ nebulas discutere, & res Ecclesiæ Gallicanæ sub Adriano dubias repetere iuuat.

I. Quinctio Nigro, & T. Vipsanio Aproniano Consulibus., Anno Christi CXIX. Traiano successit Hadrianus; qui cùm sacra Romana diligentissimè curaret, peregrina contemneret, Pontificis

Maximi officium perageret, facilè Christianæ religioni bellum indixit. Illi pro eadem religione Aristides Atheniensis librum obtulit, in quo Dionysius Areopagita sub eo cæsus dicitur. Qui, si noster Parisiensis est, à persecutione Domitiani expunctus, ad proximam in Gallias Hadriani profectionem referendus est. Nam Hadrianus ita peregrinationis cupidus erat, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum præsens vellet addiscere. Itaque compositis rebus vrbanis anno Imperij secundo profectus in Gallias, omnes causarijs libertatibus subleuauit, transcursis Galliis, in Germaniam, & Britanniam transiit: regressus in Gallias, Alexandrinam seditionem accepit. Per idem tempus in honorem Plotinæ, Basilicam apud Nemausum opere mirabili extruxit. Post hæc Hispanias petiit, per Asiam, & insulas ad Achaiã nauigauit, & peragrato terrarum orbe in Siciliam nauigans, anno Imperij septimo Romam rediit. Hoc in reditu Iobita & Faustinus Christiani coram illo sistuntur, & Romam ducuntur: quare ad eius Româ in Gallias profectionem eorum martyrium non est referendum. At cùm Romæ martyres latitantem Eleutherum Papam inuiserint, Aurelij, non Hadriani temporibus illorũ acta restituenda sunt. Illa Sapricij meminerunt, quo in Liguribus Præside Paulum in Gallias venisse traditio est. Quare si sub Hadriano Sapricius, non sub Aurelio, ad Sixti missionem Pauli aduentum referemus, verùm sine auctore. Cæterùm Sixtus Romanus Episcopus Alexandro successit Hadriani anno XIII. Christi

CXXXII. Ab eo in Gallias missi dicuntur, Peregrinus, qui sedit Antissiodori, Genulphus, qui Cadurcis: At hunc Sixto II. tribuunt, fortassis etiam, & illum oportet.

II. Anno Christi CXL. Imperator Hadrianus moriens successorem reliquit Antoninum Pium: cui paternum genus è Gallia, vrbe Nemauso. Hic anno Imperij XV. edicto, quod apud Iustinum legitur, Christianos securè viuere iussit, & iam motam in eos persecutionem compescuit. Illa quidem in Gallia occubuisse dicuntur, inter quos Lucianus presbyter passus Aureliis, & Floccellus puer Augustoduni. Sed in Antonini nomine erratum existimo, cùm & Aurelius successor Antoninus dictus sit: Nam Floccellum Imperatori in Sequanis agenti oblatum eius acta referunt, quò Aurelium profectum, & res turbatas composuisse certum est.

III. Antonino imperante, missos in Galliam à Polycarpo discipulos crediderim. Nihil enim est quod eius Romam aduentum expectare cogat: imò acta discipulorum, & omnia veterum monumenta, ab Asia missos referunt. Cæterùm illa longissimè errant, dum post Irenæi martyrium Polycarpum misisse scribunt. Nam Polycarpus iam ante Irenæum longo tempore martyr obierat. In eo tamen conueniunt Thyrsi, Andochij, Benigni, & Andeoli acta triplicia, vt monitum ab Irenæo iam extrema passo Polycarpum, hanc discipulis prædicandæ in Galliis fidei prouinciam demandasse affirment: Quæ historicæ veritati manifestissimè aduersari omnes fatebun-

tur. At ideóne rerum in illis actis narratarum fides nutabit? An falsitatis in vno conuicta, in reliquis expungentur? Non ego tantum ausim facinus, sed illis neglectis, quæ saluo Historiæ ordine affirmari nequeunt; reliqua ex ipsis monimentis referam.

IV. Iam Andochius, & Benignus presbyteri, & Thyrsus Diaconus in Gallias à Polycarpo Smyrnâ missi, Corsicam insulam appulerant: cùm grauis orta tempestas soluentes è portu in portum reduxit, timorem ipsis nautis incutiens, cunctísque mortem intentans. Credidere Polycarpi discipuli, displicere maris Domino suam nauigationem, prædicandam fortè Insulanis, quos prætergrediuntur, fidem, vel tantæ aliquid expeditioni deesse. Monente itaque Thyrso totam noctem insomnes precibus transigunt, vt remorantis tempestatis causas à Deo accipiant. Non fefellit eorum expectationem Dominus, qui per Irenæum, vt habent Acta, vel per alium æternæ voluntatis ministrum spiritum, alios certaminum suorum commilitones tribus diebus expectandos esse denunciat, cum quibus de Gallorum Idololatria victoriam reportent; ipsóque pariter momento ab eodem vel Irenæo, vel Angelo monitus Polycarpus, dimittit Andelum, & socios, tertio die Corsicam appulsuros. Hoc supplemento accepto læti Corsicâ soluunt, & flatu secundo Massiliam veniũt: Inde regiones finitimas, quâ Rhodanus fluit, ingressi, Lugduni consederunt. At monente Angelo Andeolum Subdiaconum Carpentoractem mittunt: Ipsi in Sequanos, & Æduos profecti, Christi

fidem prædicant. Andeolus Carpentoractem tendens, Rhodano cum mercatoribus quibusdam euectus, in oppido quodam, quod Bergoiate Acta nominant, Christum annunciat.

V. Benignus autem, Andochius, & Thyrsus à Fausto Æduorum nobilissimo, qui clàm Christianam religionem profitebatur, suscepti, filium eius Symphorianum, totámque familiam baptizarunt. Tum eius precibus Benignus Lingonas pergit, & Leonillæ Fausti sororis ex filio nepotes, Speusippum, Eleusippum, Meleusippum à Nemesis sacrificiis euocatos, Christi mysteriis initiat. Illorum animos mirandis visionibus ad fidem suscipiendam Deus præparauerat: quas dum à Leonilla, & Benigno salutis verbum acciperent tergemini narrarunt. His verbis eas retulit Vvariharius in eorum vita ad Cerannium Episcopum Parisiensem scripta circa annum Christi D C.

Primus Speusippus visionem suam narrauit, dicẽs. " Videbam me in sinum auiæ meæ receptum, ma- " millæ suæ plenitudine lactis abundantia satiari, " quæ compellebat me, etiam suis monitis dicens: " Speusippe, bibe lac salutiferum magis, vt plus bi- " bendo meliùs possis summâ virtutis constantiâ in " certamine positus, contra aduersarios gloriosã pro- " mereri victoriam. Finitâ primæ visionis sententiâ " Eleusippus ait: Credite, & me huiscemodi visio- " nem vidisse: Vidi in cœlo super sedem magna se- " dentem quasi ex electro, & gemmis maiestatis po- " tentiâ radiantem; cuius splendor immensus meum

" obumbrabat aspectum, & ob stuporem nimium
" pauor cordis mei terruit intellectum. Tunc vultu
" sereno me vocans ad se, ait: Noli timere, coronam
" victoriæ promerebis. Tertio loco Meleusippus vi-
" sionem suam exposuit. Vidi & ego nescio quem
" Regem magnum, satis singularia sceptra tenen-
" tem, qui nos tres pariter ad suam militiam prouo-
" cabat, præclaris baltheis accingebat, magno nos
" pretio à captiuitatis vinculis redimebat, perpetua
" libertatis nostræ præmia literis aureis scribebat,
" donis nos indeficientibus simul remunerabat. Su-
" per his ad me exhortandum addidit, dicens: Me-
" leusippe, vos tres fratres in meo palatio collocare
" decreui, & æternis præmiis pariter coronare, auia
" vestra perpetim diebus, ac noctibus pro vestra sa-
" lute supplices preces effundit, vt recto tramite gra-
" dientes, liberati de tenebrosa caligine, verum lu-
" men contemplari possitis, & de condemnatione
" mortis ad vitam perueniatis perpetuam. Hæc, &
" alia plurima adhortationum verba mihi Rex,
" quem dixi, narrauit in visu.

VII. Anno Christi CLXIII. Antonino Pio suc-cessit M. Aurelius Philosophus, cuius sub Imperio fremebat iterùm aduersus Christianam religionem diabolus; & quidquid prioribus persecutionibus emiserat, maioribus animis indignans, hac quinta repetebat. Nero, malum nomen, Apostolorum Principes damnans, non hoc vnum inter tot scelera bonum factum fecisse videbatur. Alter caluus Nero Domitianus ciuium cædibus, calamitatem nostram

miſcuerat. Trajanus ſuperſtitioſo, & ciuili animo religionem Chriſtianam aliquando perſecutus, tandem nec damnauerat, nec abſoluerat. At cùm Gentilium inuidia, & falſum Gnoſticorum Chriſtianorum nomen, Romanos Magiſtratus, & plebem, potiùs quàm Imperatorem in nos commouiſſent, noluit id ſuo Pij cognomento deeſſe Antoninus; ſed edicto propoſito Chriſtianos viuere, & religionem ſuam colere permiſit. Ad hæc frendens dæmon, malis authoribus damnatam, Pio liberatore abſolutam religionem ægrè tulit. Inferos mouet, plebem rituum ſuorum tenacem in nos armat: ac quæ noſtris militare ſub ſignis debuerat, cæcam philoſophiam, in noſtram necem pertinaciſſimam induxit. Marcus Aurelius Antoninus Philoſophus ſuperſtitioni, quam à teneris annis imbiberat, illigatus, vaniſque eius profeſſoribus nimiùm addictus, Chriſti religionem, quæ vtramque videbatur impugnare, omninò profligari, vel edixit, vel paſſus eſt. At viri ſancti quorum pectori vera Chriſti philoſophia inſederat, ſæuientes vndecumque populum, & magiſtratus imperterrito animo excipientes, feroces quoſque eorum ictus, patientiâ, & ſpe ſua retuderunt. Galli præcipuè hoc in certamine conſtanti animi gloriâ cunctos ſuperarunt. Paulatim progreſſa perſecutio demum agente in Galliis ipſo Imperatore, horrenda quæque, & extrema tentauit.

VIII. Anno Chriſti CLXVI. plures in Gallia martyres paſſi ſunt. Verus Viennenſis Epiſcopus Apoſtolorum diſcipulus, qui à Trajani temporibus in Gallia

confessione celebris, cum aliis Christo testimonium morte sua reddidit. Eius in locum substitutus est Iustus presbyter, qui anno superiore ab exilio, in quod ob Christi confessionem sub Hadriano missus fuerat, rediens, Romæ Pium Episcopum inuiserat, vel fortè in ipsa vrbe exilij tempus transegerat (licèt exul videri nequeat, qui in vrbe omnium matre, & patria degit;) vel Adriani morte finito exilio, nondum Viennam redierat, sed Romæ vixerat, ibi cum eodem Pio necessitudinem contraxit, cuius indices literas hoc anno ante Veri decessum accepit. Illis Iustum, eorum, quæ Romæ post eius discessum acta fuerant, certum reddit: nimirum, ab Euprepia (quam familiari inter Christianos vnius Dei filios, & in vna adoptione fratres, loquendi modo, sororem appellat) dicatam anno superiore Ecclesiasticis vsibus domum, nunc Missis faciendis inseruire. Cherinthum Primarchem Satanæ, id est hæresim Cherinthi Apostolorum temporibus noti, vel ipsum adhuc etiam viuentem, multos à recto fidei tramite diuertere Presbyteros, qui ab Apostolis educati ad hos annos peruenerant, à Domino vocatos; Timotheum & Marcum morte sua bonum Christi testimonium reddidisse. Inuicem quid circa ipsum Iustum ab eius Româ discessu actum sit, nosse cupit, & postulat; ac demum Soteris, & Eleutheri presbyterorum salutatione Epistolam claudit.

IX. Vicissim Pio rescripserunt Martyres Viennenses, per Attalum Pergamenum, illum Lugdunensi martyrio illustrem. Fortè contra Cherinthum literæ

teræ ſcriptæ ſunt, vt tandem ab eius errore Chriſtiani ceſſarent, quem à Dei martyribus ſcirent eſſe damnatum: Ratum enim erat apud omnes, martyrum ſub ipſo mortis ictu ſupremum arbitrium. Inſuper Pio Veri Viennenſis martyrium, & Iuſti in eius locum electionem, ac glorioſa contra fidei hoſtem certamina ſcribunt. Contrà Pius anno Chriſti CLXVI. Iuſto reſcribit, eumque ad dignè implendum accepti Epiſcopatus miniſterium hortatur. At præcipuè hoc in procelloſo perſecutionis tempore, martyres illi commendat. Cùm enim multi, vel pœnarum grauitate, vel præmiorum illecebris à fide deficerent; vel quia neglecti, in teſtimonio exhibendo animo eſſent imbecilliore; Iuſtum eos frequenter in carceribus inuiſere, animos addere, & neceſſaria adminiſtrare oportere. At ne falſo martyrum nomine ſacro-ſanctæ religioni illuderetur, Spiritu ſancto martyria priùs eſſe probanda, eorúmque, qui legitimam pro Chriſti fide victoriam reportaſſent, beata corpora, eo honore, & curâ excipienda eſſe, quæ Chriſti Domini membra decet, quamque Apoſtoli erga Stephanum impendiſſent. Vtque vnus eſſet in Eccleſia ſpiritus, & vna charitas; beneuolentiam erga ſubditos illi commendat: ita vt à Preſbyteris, & Diaconis, non vt primus, non vt maior, ſed vt Chriſti miniſter obſeruetur. Plebs denique vniuerſa eius ſanctitate, & patrocinio defenſa, vt patrem, vt paſtorem reuereatur. Addit, ab Attalo Romanorum in hac perſecutione martyrum nomina fore vt accipiat, quos inter, Paſtorem preſbyterum, qui iam ante

titulum Ecclesiæ Romæ condiderat. Certum etiam ait se factum imminentis exitus, quare communionem eius, & memoriam flagitat, vt dignam ministerio suo mortem eius precibus à Domino consequatur. Salutat eum nomine pauperis Senatus Christi apud Romam constituti.

X. Anno Christi CLXVII. Pio successit Anicetus: sub quo Polycarpus Smyrnæ Episcopus Romam venit; vnde in Gallias suos discipulos eum misisse aliqui volunt: nos ad superiora tempora retulimus. Anno Christi CLXIX. eiusdem Polycarpi illustre martyrium post transactos in religione Christiana octoginta sex annos, fœlici recordatione celebrat Ecclesia Gallicana, quæ Martyres, Confessores, Episcopos, ipsamque fidem illi debet.

XI. Imperatoris Aurelij anno XI. Christi CLXXIII. pseudo-prophetia, quæ secundùm Phrygas nominatur, accepit exordium, authoribus Montano, Priscillâ, & Maximillâ insanis vatibus. Illa ab Ecclesia Gallicana, authoribus Lugdunensibus martyribus, damnata est. Quorũ martyrum certamen ad annum Aurelij decimũ septimum cum Eusebio referemus. Alios tamen martyres sub hoc Imperatore in Galliis agente passos fuisse constat ex eorum actis. Cùm enim circa annum Imperij XVI. confecto bello Marcomannico, expulsis barbaris gentibus, quæ in Gallias irruperant, res in Sequanis turbatas censurâ, & authoritate represserit, ad hoc tempus eorum martyrum necem referendam esse existimo. Etenim hæ turbæ, quæ censurâ, & authoritate magis,

quàm viribus, aut armis comprimendæ erant, propter religionem, cuius Sequani cultores erant inter Gallos superstitiosissimi, commotæ videntur. Martyrum acta Aurelianum, non Aurelium persecutionis authorem agnoscunt. Verùm cùm Aurelianus demùm circa annum Christi ducentesimum septuagesimum imperauerit, frustrà discipulos à Polycarpo in Galliam missos, sub eo passos dicemus. Præterea Tergeminos anno ætatis vicesimo quinto, & Symphorianum anno vicesimo cæsos eadem acta scribũt. Illi tamen à Benigno baptizati fuerant, Symphorianus quidem tertium ætatis annum agens. Itaque expungenda sunt, quæ in illis actis de Seuero Imperatore, & Aureliano successore, & Aurelij nomen reponendum est. Huius edictum in Christianos referunt acta Thyrsi, Andochij, & Fœlicis.

XII. Illa priusquam attingamus pauca nobis de Aurelij per Gallias itinere, & de Andeoli martyrio præmittenda sunt. Nam de hoc sedet animo dubitatio, an ad Seueri tempora referre debeamus, fidem eius actorum secuti. Etenim in ipso itinere antequam ad demandatam vrbem Carpentoractensem peruenisset, ac vix fratribus Lugduni relictis vale dixisset, à Seuero damnatum fuisse tradunt. Atque hunc Seuerum Aureliani, sub quo socij Benignus, Thyrsus, Andochius, passi dicuntur, patrem fuisse. Verùm his fidei historiæ omninò contrariis, superest, vt vel longo post sociorum martyrium tempore, dum Lugdunum cum Albino pugnam initurus Seuerus tenderet, in Andeolum animaduerterit: atque ita Martyrologij

ſententia confirmabitur, quod Andeolum ſub Seue-ro paſſum in territorio Viuarienſi teſtatur. Nutabunt autem eius acta, quæ licèt ſub Seuero, referant, confeſtim tamen ab Andeoli Lugduno miſſione in itinere accidiſſe volunt. Vel tempus actorum ſequentes, non ſub Seuero, ſed ſub Vero, id eſt, Marco Aurelio paſſum Andeolum dicamus: hancque ſequi coniecturam magis placet. Nam Marcus Aurelius Antoninus, Veri proprium nomen habuit, aſcito in Imperij partem Lucio poſteà communicatum, & ab antiquis Scriptoribus Verus dictus eſt. Quare facilis fuit Veri nominis in Seueri mutatio, vt apud Tertullianum in Apologetico, Verus pro Seuero, & Euſebius de perſecutione ſub Aurelio verba faciens, eam ſub Vero Antonini Pij filio, & ſucceſſore accidiſſe refert. Cùm ergo in Marcomannos moueret Aurelius, Viennenſem prouinciam ingredienti occurrit Andeolus, ad cuius prædicationem vniuerſa regionis multitudo conuenerat. Cauſam turbarum ſciſcitans Aurelius, peregrinum quemdam de nouo Deo diſſerentem, has turbas coëgiſſe accepit. Quem accedere iuſſum, de nomine, de patria, de vitæ inſtituto interrogat. Andeolus vocor, inquit ille, cum fratribus ad Chriſti religionem promulgandam ab Epiſcopo Polycarpo ex Oriente miſſus. Ingentibus promiſſis tentat Aurelius, & ad deorum religionem colendam hortatur. At ille præmia, & pœnas deſpiciens, caducarum rerum harum vile pondus, & æternarum pretium comparans, audacter precibus Imperatoris acquieſcere recuſat. Extenditur ad

trochleas, ac dum inter verbera, & spinosos vectes, implorato Christi auxilio, pro suppliciis continuas illi gratias redderet, soluitur, & ad vlteriorem Rhodani ripam deductus, in obscura Martis templi crypta conclusus est. Ipsa nocte frequens fuit in carcere refulgentium beatarum mentium concursus; quæ Andeolum ad constantiam hortatæ, cum ipso laudes Christo concinentes, vulnera curarunt. Referentibus ista custodiis, ad Aurelium ductus, atque interrogatus, iterùm à Polycarpo vna cum sociis ad prædicandum Euangelium se fuisse missum respondens, nouo supplicio addictus est. Nam robore ad ensis formam dolato, in Crucis figuram caput illi diuiditur, & subplumbatum ad lapidem corpus cathenis alligatum in Rhodanum proijcitur. Sed impellente Dei manu in ripam ejectum, cùm per quinque dies expositum, Imperatoris metu à nemine terræ mandaretur. Concurrunt turbæ, illæsum, ac intactum per tot dies corpus admirabundæ, donec matrona, quædam Tullia in villam pergens, acceptâ à multitudine necis aduenæ causâ, clàm illud noctu cum domesticis Christianis subtrahens (in eo loco, quem Gentibus à prædicatione Andeoli gentibus ab ipso laudata, ab Imperatore derisa, dictum volunt) sepulturæ mandauit. Celebris fuit apud Viuarios Andeoli memoria, in Martyrolog. Calend. Maij, à quo & Burgum ad Rhodanum nomen accepit.

XIII. Inde Lugdunensium fines Aurelium ingredientem, in Christianos sæuiisse probabile est. Cùm enim in grauissimum longè bellum proficisceretur,

ſuorum numinum contemptorum, & hoſtium ſanguine, eorum opem, & auxilium quærenda eſſe arbitrabatur. Verumtamen ad ſecundam in Gallias propter Sequanorũ turbas profectioně, Thyrſi & ſociorum martyrium referendum eſt. Illorum acta, in extremis Galliæ partibus agentem Aurelium Senonis edictum contra Chriſtianos ſcripſiſſe referunt. Quo Lato, eadem in vrbe Senonenſi Columba virgo extrema pati potuit; aiunt enim acta ſub Aureliano ab Oriente in Gallias profecto Senonis paſſam, quæ & Aurelio à Parthico bello redeunti conueniunt. Atque illud quod inter blandientis Aurelij verba legitur, nimirum Columbam ſi Deos agnoſceret, religionis ſuæ præmium Aureliani filij nuptias reportaturam, nullo modo ad Aurelium, cui vnica filia, ſed ad Aurelium, & eius filium referri poteſt: Actorum tamen fidem ſequuti, Columbæ martyrium ad Aureliani tempora remittimus, hocque Aurelij contra Chriſtianos edictum Sequanorum turbis adſcribimus.

XIV. Marcus Aurelius, circa annum Chriſti CLXXVIII. res in Sequanis turbatas cenſurâ, & authoritate repreſſit. Quos motus ob religionem excitos exiſtimo, & in eos latum edictum Senonis, quod in actis Andochij, & Thyrſi legitur, Hi è domo cuiuſdam Fœlicis Chriſtiani extracti, redeunti Senonis Aurelio apud Sedelocum exhibentur. At poſtquam diù cruciati, minis, & præmijs fruſtra tentati, & crudeliſſimè cæſi Chriſtum Deum confeſſi eſſent, ac in ignem projecti, & incolumes egreſſi, Au-

relio impietatem, & crudelitatem obiecissent, capite plexi sunt VIII. Calend. Octobris. Progrediente inde Augustodunum Aurelio, Faustus cum Symphoriano filio annum XV. agente noctu accurrit, & sancta corpora sepulturæ tradit.

XV. Aurelio Augustoduni agenti, Floccellus puer Christianus exhibetur. Iam ille iubente Valeriano Præside in equuleo suspensus, ad bestias damnatus, necatis leonibus incolumis euaserat. Cæcum, mutum, & surdum sanitati restituerat, in rogum iniectus, extincto per imbrem repentinum igne, illæsus: quare illi quasi maleficarum artium gnaro, lingua, manusque clauis confixę sunt. Tandem Imperatori oblatus, vestibus suis spoliatur, lineam induitur, & extra ciuitatem ductus XV. Calend. Octobris capite plectitur. Hi passionum dies in Martyrologijs etiam notati, priùs Augustoduni, quàm Sedeloci Aurelium fuisse demonstrant, contra actorum fidem. Quorum authoritatem sequentes, vel euntem Aurelium, & per Gallias transeuntem, aut alias redeuntem è Germania, in Floccellum sæuisse scribere oportet. Nam martyrologia, & ipsius acta, sub Antonino, & Valeriano Præside passum scribunt, non sub Aurelio. Verùm Aurelius, & Antoninus dictus, nec in Gallias vsquam Antoninus Pius venisse legitur, nec eius moribus hæc in Christiannos sæuitia conuenit.

XVI. Augustoduno Diuionem castrum tendit Aurelius, vbi quo furore Christianos persecutus fuerit Benigni presbyteri, & martyris acta declarant.

Illa non Aurelio, ſed Aureliano Benigni martyrium mendoſè adſcribunt, vt ſuprà oſtendimus. Cùm autem per Gallias cæſis innumeris Chriſtianis, Diuionem caſtrum, tum primùm muris circundatum perueniſſet Aurelius, & templorum loca deſignaret, de Chriſtianis inquirit. Terentius Comes Hierophantam quemdam, peregrino veſtitu, & victu, multa prodigia patrantem, Deum aliquem nouum prædicare refert. Repertus ille in villa, quæ Spaniacus, ad Imperatorem ducitur, ſe Benignum nomine, Chriſtianum, & Polycarpi diſcipulum fatetur. Non eius animum Imperatoris terriculamenta, non pollicitationes, mouere, ſed inuictus Chriſti confeſſor hilari vultu verbera ſuffert: de ſacrificatis guſtare coactus, ſigno Crucis vaſa confringit, Idola diruit, & Idolothyta in fumum, aëremque conuertit. Adplumbantur pedes cippo, ignitæ, & acutiſſimæ ſubulæ digitis inſeruntur, concluditur cum duodecim famelicis canibus: At inuiſente quotidie Angelo, & cœleſtem panem miniſtrante, ſexto die incolumis egreditur. Tandem damnante Imperatore, ſpiculis, & transfixo vecte ferreo illi confractum eſt caput. Diſcedente Diuione Aurelio, Leonilla martyris corpus aromatibus conditum ſepulturæ mandauit. Plura de miraculis ad Benigni ſepulchrum, & cippum, in quem eius pedes plumbo affixi fuerunt, editis, Gregorius Turonenſis, qui ad Gregorium Epiſcopum Lingonenſem Hiſtoriam paſſionis ſancti Benigni ex Italia delatam fuiſſe ſcribit.

XVII. Hac eâdem Aurelij peſecutione, Tergemini

mini fratres cæsi sunt. Cùm enim à Benigno Christi fidem accepissent, Nemesis simulachrum, & cuncta quæ domi colebant Deorum Idola euerterunt. Cuius rei fama per Lingonas delata, Iudicem & Sacerdotes in fratres excitat: Illi obiurganti populo Christum prædicant, Quadratus Speusippum, & Eleusippum pugno percutit. At Meleusippus: Cur, inquit, tanti beneficij participem cum fratribus me non fecisti? Quid vni mihi optabile martyrij nostri principium inuides? Vna nostrûm confessio, vna sit etiam per eadem supplicia remuneratio. Interrogant Iudices, & constantissimos illos in confessione nullomodo mouentes, Leonillam auiam aduocant, quæ se ad illorum salutem pertinentia persuasuram pollicetur. Ingressa ad nepotes, de constanti eorum cõfessione exultans, inter gaudij lachrymas, & charitatis amplexus. Bono, inquit, animo charissimi nepotes, fide vestrâ maiorum omnium gloriam superaturi. Illi pro momentaneis rebus vanitati, hominibus, dæmonibúsque militantes, in æterna supplicia sæculo excessere: Vos pro Christò Deo pugnantes confessione vestrâ de hostibus triumphaturos, æterna corona, & immortalitas manent. Non hæc diuersa pœnarum genera, non illę sæculi illecebræ animos moueant; breuia sunt, & si Deo placet, leuia quæcumque in corpus parantur, menti non nocitura: inania sunt, & fluxa, quæ in æternorum compensationem vobis apponuntur. Certiora igitur, & duratura eligite, inutilia, & caduca spernite. Cælestia repetite monita, & promissa, quibus misericors Deus

vos primùm ſuos fecit, meáſque has lacrymas, meæ vota, meamque pro ſalute, & religione ſollicitudinem, meos hos canos, auiámque veſtram ne ſpernite, néve deſertione veſtra priorem omnibus ſuppliciis mihi mortem inferte. Inter hæc amplexata nepotes Leonilla dimiſit. At Iudices commotos auiæ authoritate Tergeminos exiſtimantes, illos interrogant, & eamdem fidem profitentes, arbori manibus, & pedibus ligatis ſuſpendi iubent. Ipſi iam quaſi in viuam crucifixi Domini imaginem efformati, inter verbera exultant, & gratias Deo referunt. In ignem conijciuntur, exardet ignis, & lambit corpora, at non lædit, Chriſtóque ſoluente vincula, deficiens illius fomes illæſos fratres deſtituit. Obſtupeſcit populus, ipſíque Iudices mirantur. Sed fratres, cùm æternitatis momentum imminere præuiderent, & obuios Angelos cernerent, genua flectunt, & delaturis in cœlos ſpiritibus animas reddunt. Tam illuſtri martyrio mota quædam mulier Iouilla, marito, & vnico filio relicto, inter furentes Gentilium turbas veloci curſu progreſſa: *Et ego Christiana ſum* exclamat, Chriſtum colo, Deos veſtros contemno, malos, & vanos dæmones aſſero, neque illis ſacrifico. Corripitur illicò, & capillis ſuſpenſa, ad Deorum cultum verberibus compellitur: perſtat tamen in confeſſione, & cum Leonilla Tergeminorum auia ad vicum Vrbatum, ſecundo ab vrbe Lingonica milliario, deducta, capite plectitur. Excipiebat hæc acta martyrum Neon, qui Iouillæ confeſſionem ſecutus, Turboni perficienda dedit. Horum omnium

Turbonis, Neonis, Iouillæ, Leonillæ, & Tergeminorum memoria, eadem die decimaseptima Ianuarij celebratur. Acta ex illis antiquis descripsit Vvarriharius iussu Cerannij Episcopi Parisiensis, qui martyrum acta Eusebij exemplo vndecumque colligebat. Cæterùm sub Aureliano Imperatore, Quadrato, Palmato, & Hermogene Præsidibus hæc accidisse, illa testantur, ex iam superiùs à nobis notatis ad Aurelij tempora referenda.

XVIII. Anno M. Aurelij Imperatoris XVII. Christi CLXXIX. magnis animis pro Christiana religione in Gallia certatum est; adeò vt propter illustris certaminis famam, tunc primùm in Galliis visa martyria Seuerus Sulpitius scripserit. Eius memoria, in Epistola Lugdunensium, & Viennensium Christianorum scriptis mandata, ad nos vsque peruenit. Tantorum autem patrum eloquentiam quis audeat imitari? Spirat adhuc in charta beatus martyrum animus, & calet sanguis pro nomine Christi effusus: visa, tacta, tolerata loquuntur, ipsisque verbis, vel quæ ex martyrum ore collegerunt, quibúsve illos ad supremam victoriam hortati sunt. Ne tamen propositum mutasse videamur, illa ad secundam partem seposita, stylo, & more nostro prosequamur.

XIX. Lugduni Munatij Planci Coloniæ ad Rhodanum, Pothinus Episcopus nonagenario maior, Christi fidem prædicabat. Cùm populo in adorandum illius nomen malè precante, loca publica, Balnea, ipséque in publicum conspectus, Magistratuum edicto Christianis interdicuntur. Tum plebs com-

mota, passim correptos ad tribunal raptat; de religione interrogatos, ac Christianos se profitentes in carcerem ad Præsidis aduentum Magistratus coniicit. Illi, vbi iam venerat, impietatis, & horrendorum criminum rei Christiani sistuntur, adstant accusatores, & testes. Tum serui ethnici vnà cum Dominis capti, tormentorum metu, in eos, ad liberaturi iudicis nutũ & mentem, flagitiosa quæque fingentes; tùm alij, qui Christianis quondam necessarij, nunc in illos à dæmone arrepti, antiqua familiaritate verbis suis fidem faciebant. Omnes Thyesteas epulas, incestus Oedipodis, & alia nefanda scelera obiiciunt. Ea omnia dum nullius sibi conscij Christiani negant, grauibus suppliciis à Præside damnantur. Non tulit iniustam sententiam Vetius Epagathus, clarus genere, sed fide illustrior adolescens; at è turba prorumpens temerè aduersus innoxios latum iudicium, magis sæuitiæ quàm æquitatis rationem habitam, accusatorum esse commenta quæcumque obiecta fuissent, nec victu horrendo, vel mixtione nefariâ vitam polluere, quam in omni temperantia degerent; audiri saltem reos, calumniatorum fabulas attentiùs perpendi; se veris rationibus, si venia daretur, illas diluturum, fratresque nullius criminis reos liquidò probaturum. Indignans ad hæc verba populus circumstrepit, & ipse Præses iuuenilem audaciam non tolerans, vt illum vnà cum clientibus pari crimine inuolueret, Christianus an esset interrogauit. Clarissima voce Epagathus, se hoc ipsum esse proclamat, quare in reorum numeros relatus, exinde *Chri-*

ſtianorum Aduocatus appellatus eſt. Pluribus adoleſcentis conſtantia animos addidit, qui dehinc impauidi Chriſti nomen profeſſi ſunt. Atrocia ſuppliciorum genera, parumque in fide mens conſtans ad Chriſtianum nomen abnegandum decem fideles adegere. Ex quibus Biblis mulier, cùm fide negatâ, horrenda in Chriſtianos debacchata, Chriſtianitatis abſoluta, at tanquam eorum criminum rea, ad ſupplicium extremum duceretur. Reſumptis cæleſti virtute animis ipſos inter carnifices, pium ſcelus quo erat abſoluta agnoſcit, eáque propter quæ erat damnata pernegat, ac quaſi futuri ſupplicij imagine in præſenti conſpectâ, ſeriò ad mentem rediens, calumnias ſuas retractat. Me miſeram, inquit, quæ Chriſtianæ innocentiæ conſcia, præ tormentis, quæ non vito, futura non recogitans, tot calumnias effutii. Impudentem mulierem, quæ vno momento noxia, tranſactam per tot annos vitæ puritatem conſcientiæ meæ obiicio. An vniuerſæ meæ vitæ, an vni, in quo nec perduro, momentaneo ſceleri credendum eſt? vnum, eumque verum Deum religioſiſſimè colunt Chriſtiani, quos impietatis damnatis. Sobriam, & temperantem per omnia vitam degunt, quibus nefaria conuiuia obiicitis; ac cùm etiam animalium irrationalium ſanguine abſtineant, quis liberos eos vorare ſibi perſuadebit? Inceſtus quî aduerſus illos profertis, quorum magna pars cœlebs, alia legitimas, nec conſanguineas vxores per tempora non nouit? In eos tandem furere deſinite, quos ſolùm noſtræ calumniæ reos fecerunt. His dictis Chri-

ſti martyr extremis tormentis, è calumnioſiſſimo Chriſtianiſſimum caput obiecit. Intereà perquiſitus diù ſenex Pothinus, ſolo martyrii deſiderio viuens, reliqua infirmus, ſuíque impotens, à tumultuoſa plebe comitantibus Magiſtratibus ad Præſidis tribunal defertur. Hic totius impietatis author, Chriſti præſul, eiuſque miniſter accuſatur. A Præſide de Deo, quem Chriſtiani colerent, quiſnam ille eſſet, interrogatus: Si tu dignus ſis, inquit, cognoſces. Non intellexit Præſes Epiſcopi reſponſum, quo non hominum verbis, aut opere, ſed diuino lumine ab his quos eo dignos iudicaſſet Deus, ipſum agnoſci demonſtrauerat. Sed breui, & contumelioſo reſponſo contemptam maieſtatem ſuam, diris in Pothinum pœnis vindicauit, quibus ille poſt biduum in carcere Deo animam reddidit.

XX. Paſtorem ſuum vbi Chriſtiani præeuntem videre, veſtigia eius quiſque inſequi, elato animo tanti viri teſtimonio, Chriſti nomen profiteri. Inde in plures Chriſtianos ſæuitum: quos inter Sanctus Diaconus Viennenſis, Maturus Neophytus, Blandina ancilla, & hera eius, ſæpè feris obiecti, candentibus cathedris impoſiti, & nouo pœnarum genere cruciati, Chriſto teſtimonium perhibuerunt. Ex his Sanctus, de patria, de genere, de nomine interrogatus, ad ſingula Chriſtianum ſe eſſe reſpondet. Ac cùm infixis per membra ignitis verubus, & candentibus laminis æneis, totum eius corpus combuſtum, & in rugas contractum, ipſam corporis formam amiſiſſet: paucis ab hinc diebus iterùm tormentis applici-

tum, cùm ne manus quidem tractationem pateretur, priorem formam vltra ſpem innouatam recepit. Blandina verò, laſſatis, nondum ſatiatis conſtantiæ ſuæ tortoribus, ea ſola corporis parte qua libera erat, non ſeruili, ſed ingenuo animo, Chriſtiana ſum, & nihil apud nos admittitur ſceleris, exclamat. Eorum alter Attalus, Pergamenus genere, Gallicanæ Eccleſiæ columna, & firmamentum, cùm à tumultuoſa multitudine iterùm ad ſupplicium peteretur, per Amphitheatrum circumducitur, præcedente eum tabula, cui inſcriptum, *Hic eſt Attalus Chriſtianus*. Inſultat populus, ad hanc præſtitutam diem, cum ſociis qui iam agonem impleuerant, ad beſtias damnatum poſtulat. Et iam tradebatur, niſi Præſes eum Romanum eſſe edoctus, iniuſſu Imperatoris de ciuis capite nolens decernere, in carcerem retrudi mandaſſet. Relatione ad Imperatorem miſſâ; induciæ Chriſtianis datæ videntur; quibus martyres in carcere detenti, reconciliandis Eccleſiæ lapſis operam nauarunt. Plurimum eam ad rem eorum interceſſio poterat, quæ effuſo in teſtimonium fidei ſanguine adhuc cruenta, Eccleſiæ oblata, quo animo reiici potuiſſet? Laudanda eò magis illorum deprecatio, quò de ſuo teſtimonio non elati in ignauos, ſed debilibus compatientes, illos ſacris altaribus reconciliari poſtulabant, quos alij martyres, plerúmque tanquam molles, & turpiter lapſos à ſua communione expulerunt. Iuuit maximè Gallorum martyrum ſtudium, deploranda etiam apud Gentiles, lapſorum conditio. Hi enim viles fidei ſuæ deſertores, vt ho-

micidæ, & eorum omnium, quæ de Chriſtianis fingebantur, ſcelerum rei, Gentilibus odio, & contemptui in carceribus detinentur. Præterea crimine illaudato, martyrum teſtimonio à Chriſtianis culto, conſtantiâ ab Ethnicis prædicatâ, ac quod maximum, mente culpæ conſciâ, & ſpe futurorum deſtitutâ, facilè in gratiam vocantis Eccleſiæ rediere. Hilari vultu reuerſos transfugas martyres excipiunt, & congregatâ in vnum Eccleſiâ, quæ illorum lapſu diuiſa fuerat, interceſſionibus ſuis pacem præſtitere. Tantum in eorum mentibus Chriſtianæ charitatis deſiderium inſederat: qui ne claro & familiari martyrum nomine lapſis errorem viderentur exprobare, illud quaſi vanum, ſolo confeſſorum accepto, repulerunt. Adijcientes, hos demũ martyres verè nominari, quorum certum, & non mutandum fidei teſtimonium, mortis præſentis, & æternæ vitæ ſigillo Chriſtus obſignaſſet. Eodem tempore Alcibiades martyr, quaſi creaturis Dei vti nollet, ex diutino viuendi inſtituto in carcere ſolo pane, & aquâ victitabat, quamobrem cum incluſis vnà fratribus, qui communibus cibis veſcerentur, vitæ auſterioris exemplo offendiculo eſſet, & hæretico ſpiritu quarumdam rerum, vt malarum eſum improbare videretur, feriò ab Attalo monitus, communem fratrum viuendi modum amplexatus eſt.

XXI. Dum errantes colligunt martyres, & Chriſto, & Eccleſiæ ſecundò parturiunt; relationi Præſidis Imperator reſcribit. Eos qui Chriſtum profiterentur fuſtibus cæſos extrema pati, qui verò abnegarent,

garent,

garent, in principio mercatus dimitti debere: temporis ſcilicet rationem habens; vt multitudo, quæ ad nobiliſſimum Lugdunenſium mercatum ex orbe toto confluebat, cùm explodendæ Chriſtianæ religionis exemplum, horum transfugio, aliorum ſuppliciis, tum nefaria, & horrenda ſectæ crimina audiens, concitatum in eam odium, in patriam reportaret. Iámque aderat mercatus dies, pompâ, & ludis celebris, vt ad confluentium vtilitatem voluptas accederet: cùm martyres ad tribunal adductos, iterúmque interrogatos, Romanos quidem ſecuri plecti, reliquos beſtiis obiici Præſes decernit. Ac dum illi, qui iam pridem pudendum Chriſtiano nomini repudium miſerant, in pompam, oſtentationem, & ſectæ ludibrium exhibendi, denuò interrogantur, maxima pars, quæ ſe iterùm in Chriſti caſtra receperat, à priori calumnia deſiſtit, deſertionem ſuam damnat, & ſe è Chriſti ordinibus profitetur. In hos dum quæſtio habetur, Alexander genere Phryx, arte medicus, multis ab hinc annis ob Chriſti prædicationem Galliæ cognitus, vnumquemque ad ſacræ fidei confeſſionem, nutu, & ſignis hortatur. Quod deprehendens multitudo, quæ circumſtabat, tanta Chriſtianorum mutatione attonita, & indignans, Alexandrum totius rei authorem petit. Is teſtimonij occaſionem arripiens, interroganti Præſidi ſe Chriſtianum eſſe reſpondet, & audaci prouocatione ad beſtias damnationem elicit. Huic poſtridie iunctus Attalus, quem ſuæ ſententiæ parùm tenax Præſes in populi gratiam denuò beſtiis obiectabat, Amphi-

theatrum ingreditur, noua pœnarum genera passurus. Atque vbi in candenti cathedra sedens,propriæ carnis nidorem olfacit. Ecce, inquit, ad multitudinem conuersus, humanas epulas, quas vestra sæuitia parat: antehac incognita scelera, nobis pudenda,nobis fœlicia, quæ summi Dei fideles testes nos exhibent. Rogatur de Dei nomine; illum non hominum more nomen habere respondit. Ille enim extra quem nihil, in quo omnia, quo ab alio distinguatur nomine non eget. Paribus addictus supplicijs Alexander, totus Christo inhærens, dum nec suspirium dolori permittit, vnà cum Attalo gladio vitam finit. Extremum solemnem diem claudit Blandina, quæ premisso cum aliis martyribus adolescente Pontico, post cruces, bestiarum morsus, taurorum ictus, tandem ense jugulata est. Hic fuit nobilissimi certaminis exitus, quo alij carceris pedore, alij ipsa inter tormenta, ad quadraginta octo necati sunt. Sacra corpora canum laniatibus exposita, corúmque membra à bestiarum immanitate reliqua,etiam frustulà minutatim incisa, & vstulata, ne à Christianis humarentur, continuis militum custodiis seruata sunt: nec preces, neque ipsa pecunia redimendis sacris corporibus vltra modum oblata, crudeles animos flexere: dum Ethnica multitudo cadaueribus illudens, Deorum virtutem, Christianorum victricem proclamaret. At tandem sexto die longioris custodis pertæsi,cuncta,quæ ex corporibus supererant, comburunt, & collectos cineres in Rhodanum mittunt: Eo consilio, vt eorum resurrectio, cuius certa

ſpes inter ſupplicia animos addebat, nouamque augebat religionem, impediretur, neſcij Deum qui cuncta creaſſet, minima quæque recolligendi modum optimè nouiſſe.

XXII. Plura de hoc inſigni pro Chriſto Gallorum certamine Lugdunenſes epiſtolâ ſuâ complexi fuerant, è qua ſuperiora ad vniuerſæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem Euſebius delibauit. Illam in compoſito de martyribus ſyntagmate omninò integram deſcripſerat; ad quam eos remittit, qui martyrum, partim capite obtruncato, partim beſtiarum feritate, partim ergaſtuli fœtore, vitam, & teſtimonium Chriſto reddentium numerum, & nomen cognoſcere deſiderant; etenim illa tum Martyrum catalogum, tum Confeſſorum, qui tantæ perſecutioni fuere ſuperſtites, numerum pandebat. At cùm Euſebii liber perierit, ad Gregorium Turonenſem recurrendum eſt, quem ipſam Epiſtolam legiſſe, & ex ea nomina martyrum deſcripſiſſe, ab eoque hauſiſſe Adonem in martyrologio mihi facilè perſuaſerim. Scriptoris tamen manus quibuſdam mendis aſperſit martyrum nomina, quæ eam ob rationem diuerſa ſunt apud Gregorium, & Adonem. Porrò vterque quadraginta octo paſſos ſcribit, at Gregorius tantùm quadraginta quinque nomina refert. Illa itaque ex Adone, & Gregorio, alterum, ex altero corrigentes, deſcribamus. Vettius, Epagathus, Zacharias, Macharius, Alcibiades, Siluius, Primus, Albina, Grata, Rogata, Æmilia, Potamia, ſiue Poſthumia, Pompeia, Rhodone vel Rhodana, Biblis, Quarta, vel Quartia, Materna,

Elpenipsa, Stamnas; ex his duabus vnam solùm facit Ado, Helpes quæ & Amnas, rectiùs vt existimo, scriptum enim erat, Helpes ipsa est Amnas, apud Gregorium. Atque hæc sunt eorum nomina in quos ferro animaduersum est. Bestiis autem traditi sunt, Sanctus, Maturus, Alexander, Attalus, Ponticus, & Blandina. Hi verò in carcere spiritum reddiderunt, Pothinus Episcopus, Aristeus vel Arescius, Cornelius, Zozimus, Titus, Iulius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Iulia aliàs Iulias, Ausonia, Æmilia, Gamnite vel Iamnica, Pompeia, Alumna vel Domna, Iusta, Trofima vel Trifime, Antonia. Horum corporibus exustis, & cineribus in Rhodanum iactis, propter disperditas beatorũ martyrum reliquias ingenti mœrore Christiani affecti sunt. Eo tamen in loco, in quo combusta fuerant, cum sacras excubias, & vigilias agerent, apparuere martyres integri, & illæsi, ac neminem periisse attestati, reliquias colligi iubent. Lætum accepere nuncium reliqui Christiani, & recollectos sacros cineres, sub altari Basilicæ, quam dedicarunt Apostolorum Principibus, summo cultu condidere. Huius diei, quam miraculorum appellant, memoriam quotannis posteri per discensum Rhodani cum hymnis, canticis, & missarum solemniis celebrarunt. Locus tanti certaminis Athanacum dicitur, Abbatia sæculis posterioribus insignis, à quo Athanacenses martyres dicuntur, testimonio suo, & suppliciis celebres, & miraculis clari, quæ ad eorum sanctos cineres sæpissimè edita sunt, antiquioribus etiam patribus, vt Augustino cognita.

XXIII. Quinquaginta Christianos hac Lugdunensis plebis persecutione in carcerem trusos acta S. Marcelli Cabillonensis testantur, ex quo numero quadraginta octo tantùm extrema passis, Marcellum, & Valerianum superstites fuisse volunt. Hi patefactis carceribus, secundùm vocem Domini ad aliam ciuitatem persecutionis causâ progressi sunt. Marcellus Sequanos ingressus, apud Latinum quemdam diuertit, qui cùm Martis equestris, Mercurij, & Mineruæ simulàchra in atrio collocata cultu superstitioso veneraretur, ea manuum hominis opera sensu carentia, & vnum verum Deum intelligens, vnà cum familia Christo credidit. Cùm autem, vt habent acta Marcelli, non irrito labore aliquandiù illic Marcellus egisset, audit feruere locis omnibus persecutionis procellam. Tunc Cabillonensem viam carpens in Præsidem Priscum solemnia epularum cum apparatu prophani sacrificij numinibus suis immolantem incurrit, & ab illo hospitalitatis studio ad conuiuium inuitatur. Sed sanctus Dei martyr ab illis epulis abhorrens, conuiuas obiurgandos potiùs censuit, quàm inuitandos. Ea verò reprehensione, vt Christianum se esse declarauit, omnium ea sententia fuit, nouis eum suppliciis excruciandum, & ad arboris ramos naturâ diffusos toto corpore duris restibus alligandum; atque ita vi adductis ramis, & posteà laxatis, membris omnibus discerpendum. Sed sancto martyre fidei constantiâ in confessionis suæ proposito constanter perdurante, cruento persecutori, nequissimæ crudelitatis consilio, illud attrocius visum

est, vt sub populi conspectu diuersis pœnarum generibus conficeretur. Iubet eum itaque ad Saturni statuam duci, quæ Araris ripæ imminebat, & ad Solis simulachrum, quod ab alia fluminis parte colebatur; quibus si nolit sacrificium offerre, gladio caput eius amputari: At fides martyris cælesti virtute confirmata, frangi non potuit. Sic verò quoties esset interrogatus, respondit. Quisquis Deum viuum totis animi viribus, & perfectâ cordis fide complexus est, insensibilibus Idolis numquam sacrificabit; quæ cùm sint ex aëre, & saxis confecta, nefas planè est, animam cœlitus datam, vitæ suæ authore neglecto, ea colere, quod quidem diabolus in humani generis certissimam perniciem hortatur: se verò numquam eò adductum iri, vt tam prophanis sacrificiis contaminetur, vt-potè qui Christo quotidie hostiam sinceram offerat; potiùs verò præcedentium exempla sequuturum, cum quibus æternæ beatitudinis præmium expectet. Cernens Præses nec minas, nec supplicia reformidantem, furentis iracundiæ stimulis incitatus, inaudito crudelitatis genere, defodi eum iugulo tenus, & rectum stare iubet, vt sepultura viuo esset ad pœnam, quæ vitâ functis impenditur ad requiem. Atque in hunc modum inuictus Dei martyr secundò Cabillione milliario viuens in Christo sepelitur, & in tertium diem in Dei amore, & laudibus perseuerans, impollutum Domino reddidit spiritum: sancti corporis exuuias nobis ad patrocinium derelinquens.

XXIV. Marcello è viuis sublato, Priscum Lug-

dunum properantem, in Valerianum Marcelli socium animaduertisse referunt acta manuscripta eiusdem Valeriani. Hic enim Sequanos ingressus Trinorchij ad Ararim consederat; eum Gentilium multitudo, acceptâ Marcelli nece, Præsidi defert. Perquiritur, & Crucis signo, quod in cellula habebat, & fronti ipse infigebat, agnitus, & ad Præsidem deductus sacrificia repudiat, & postquam stipiti appensus vngulis ferreis diù multúmque fuisset laniatus, gladio vitam posuit.

XXV. Eadem Aurelij persecutione Alexander, & Epipodius ab Lugdunensi calamitate profugi, passi sunt. Alexandrum Græcum, & Epipodium Lugdunensem acta scribunt. Alius tamen est hic Alexander, ab illo, qui Phryx natione Lugduni capite plexus est, vt suprà ex Epistola Lugdunensi narrauimus. Hi ergo Alexander, & Epipodius in vico, qui propter Ancisam petram situs est, Christianæ viduæ fidei commissi, sub eius humili tugurio latebant. Instat persecutor, & sagaci perquisitione repertos, latebris eruit; Ac cùm violentâ manu Epipodius traheretur, hæsit pes limini, sed calceo relicto eripitur. Hunc mulier miraculis post mortem celebris, tanquam pretiosum martyris legatum recepit. Captos interrogat Præses, & postquam Christianam religionem animo constanti profitentes audit, remoto Alexandro, Epipodium blanditiis tentat, tanquam ætatis imbecillitate ab insidiis minùs securum. At dum ille constanti animo vanæ superstitionis turpitudinem Præsidi obiiceret, & inanium Deorum impotentiam

exprobraret, accenditur irâ Præses, & aureum os Epipodij, sacræ eloquentiæ sedem, pugnorum ictibus cædi iubet. Illato dolore constantior Epipodius, perfusis cruore dentibus, Christum, inquit, Deum confiteor, precariam ab illo recepi animam, lubens illi restituam; ille qui dedit, & redemit illam, recipiat; non enim perit, quæ in suum principium redit: caducum est quidquid amittitur; vita ipsa, quæ perdi videtur, in melius mutatur, non tollitur. Rumpit hæc verba, Præsidis furor, & equuleo suspensus Christi confessor, à lictoribus circumstantibus impresso vngularum ferro latera proscinditur: Durat tamen Epipodij constantia, in quam multitudo indignans, aut saxis obrui, aut membratim discindi, aut crudelissimæ neci dedi tumultuatim rabido clamore postulat. Ad has furoris voces metuit Præses, ne per seditionem turbatâ iudicij maiestate, ordini legum reus eriperetur, turbæ subductum Epipodium, extra tribunal capite plecti iubet.

XXVI. Interempto Epipodio, vt spatium multitudinis furori daretur, comperendinatum est Alexandri examen; quem elapso die ad Præsidem deductum, ac eius illecebris tentatum fuisse acta memorant. Quos in futuræ necis certitudinem socios Christianos variis suppliciis afflictos Præses demonstrabat, Alexander in constantiæ exemplum assumens, diù crudelissimè cæditur, ac, ne pœnarum numero victoriam suam æstimans certaminis longitudine delectaretur, celerrimam mortem Præses intentat, &

damnat

damnat ad Crucem. Ille simillimam Christo mortem amplectens, soluto iam verberibus corpore, salutari signo munitus, animam efflauit.

XXVII. Hanc Aurelij postremam persecutionem, primùm populi seditione coortam, postmodum Imperatoris rescriptis decretam fuisse constat ex Epistola Lugdunensium. Edicti contra Christianos verba, referunt acta Symphoriani elegantiori stylo conscripta; cuius hac ipsa Aurelij persecutione martyrium celebre fuit. Non enim ad Aureliani tempora peruenire potuit, qui à Benigno baptizatus est. Natus autem erat annos tres Symphorianus dum baptismi gratiam accepit, & quintum decimum agebat cum patre Fausto Benigno martyri iusta persoluens: ac tandem anno vicesimo pro Christi fide passus est, vt ex actis illorum martyrum patet. Itaque Benigno anno Christi CLXXVIII. ab Aurelio damnato, Symphorianum demùm anno Christi CLXXXIII. occubuisse oportet. Ille cùm Berecinthiæ statuam solemni pompâ per Augustodunensium vrbem Gentilium turbâ plaudente delatam adorare nollet, Heraclio consulari sistitur. Interrogat Iudex, Christianum agnoscit, &, officio respondente, nobili familia natum. Legitur Imperatoris edictum sacrificare renuentes Christianos, quia legum præcepta violant, extremis suppliciis addicendos. Contemptæ diuinitatis, & maiestatis Imperatoriæ reus Symphorianus cæditur: ac cùm Deorum vana figmenta, & inania nomina explicaret, sententiam mortis Heraclius tulit. Educitur ex vrbe,

& mater è muro filio acclamat: Nate, mi nate, plus morte timendum, plus omnibus optandum Deum præ oculis habe. En vt ille certamini tuo gloriæ coronam impositurus, te cum angelis expectat. Perge audacter, & breui triumphaturus imbellem hunc inimicum cum Christi gratia expugna. Matris verbis accensus Symphorianus militi caput obtulit, extemplo pro Christi fide abscissum.

XXVIII. Plures alios hęc tempestas sub Aurelio in Galliis excitata, in portum salutis secundo martyrio detulit. Veneranda sub Asclepiade Præside, Seuerinus, Exuperius, & Fœlicianus Viennæ, atque alibi multi, qui sub Aureliano, vel Seuero, vel Antonino passi vulgò dicuntur, vt iam supra notauimus, & suis locis inferiùs prosequemur, cùm ad eorum Imperatorum tempora peruenerimus. Modò ad Lugdunensium, & Irenæi, qui in Ecclesiæ Gallicanæ decus tantæ cladi superfuit, res gestas redeamus.

XXIX. Paulò ante hos annos Montanus genere Phryx, malo spiritu arreptus, cœpit sublimia, & Christianæ humilitati insolita verba loqui, arcana animorum pandere, peccata cuique palàm obiicere, & futura prædicere. Delusit plurimos ars diaboli, quæ simulatis religionis virtutibus instructa, maiorem per Asiæ partem colebatur. Ille temperantiam probans, castitatem laudans, frequentia ieiunia indicens, & se promissum à Christo spiritum liberaliùs accepisse jactans, prophetiam suam plerisque persuaserat. Eapropter Aduocatus, & Paracletus appellatus, Maximillâ, & Priscâ mulieribus, actis eodem

ſpiritu, in conſortium adſcitis, cunctam Aſiam in factiones diuiſit. Iam ipſe Romanus Pontifex Eleutherus, de fuco nihil cogitans, ex more pacis literis in Aſiam miſſis, Pſeudo-prophetis communicaturus, oſtium Eccleſiæ inſcius hæreticis pandebat: niſi à Praxea de dolo, & mendacio monitus, illas reuocaſſet. Torquebat plurimùm Gallicanam Eccleſiam, affinis Aſiaticæ tumultus, quem vt pro viribus compeſceret, coactis in vnum fidelibus, prudens, & rectum de Pſeudo-prophetis iudicium tulit. Iam anteà de Montano ſententiam tuliſſe patres Gallicanos, innuere videtur Euſebius, qui illos iudicium iterùm dediſſe ſcribit. Quale autem fuerit, coniecturâ poſſumus aſſequi ex eius verbis, qui ἰδίαν κρίσιν εὐλαβῆ, καὶ ὀρθοδοξοτάτην appellat, id eſt non priuatum, vt vertunt, ſed Gallorum proprium, & eorum modeſtiæ ſingulare, & prudens, rectæque fidei maximè conueniens. Damnaſſe itaque credo Montani ludibria, eapropter Orthodoxũ dictum, non tamen Aſiaticos ab vnitate Eccleſiæ abſcidiſſe, & à ſua communione remouiſſe. Hoc enim in fulmine Eccleſiaſtico vibrando, valdè moderatos fuiſſe Gallicanos Epiſcopos, cùm ex hac, tum ex Paſchatis diſputatione conſtat. Potiùs Aſiaticos ſibi fidei conſanguinitate coniunctos, ad pacem, & vnitatem hortati ſunt. Prudens ergo iudicium, quod non temerè Eccleſias Montani præſtigiis deluſas à communione abſcindens, diſcuſſis, & damnatis Pſeudo-prophetiæ erroribus Eccleſiæ pacem intulit: Eò tamen magis venerandum, quò plurium martyrum cruento teſtimo-

nio consignatum erat. Hi dum adhuc essent in vinculis, fratribus, qui in Asia, & Phrygia, & Eleuthero Romano Episcopo literas scripserant, quibus ad pacem, & concordiam in Ecclesia stabiliendam hortabantur. Quæ autem concordia resecatis à communione Ecclesiis constitui poterat? Hoc Gallicani Concilij decretum, & illas martyrum Epistolas, Irenæus presbyter Lugdunensis ad Eleutherum Episcopum Legatus detulit. Ille tum vt rerum in Gallia gestarum certiorem Eleutherum redderet; tum vt turbatam Montani dogmate pacem Ecclesiæ componeret, Romam mittebatur. In hanc enim rem martyres, inter cruciatus, & supplicia, ad Romanum Episcopum scripserant, cuius maximam in rebus Ecclesiasticis authoritatem agnoscebant. Irenæum ergo Gallicani patres delegant, & prisco Ecclesiæ more, suis literis, ab eius communione, & presbyterij gradu commendant. Illas retulit Eusebius libro quinto.

XXX. Ob varias autem quæstiones, missum ad Eleutherum à Gallis Irenæũ, scribit Hieronymus: & certè dignam tanto viro fuisse Legationem oportuit. Non diù illum Romæ egisse constat ex Eusebio, qui anno sequenti eum in sedem Pothini substitutum fuisse refert; ac vix in Asiã transire potuisse, vt illi existimant, qui scriptam ad Phrygas, & Asiaticos Epistolam eum detulisse volunt. Cæterùm Romæ agens, de Florini & Blasti hæresibus certior factus, in Gallias reuersus contra eos scripsit libros in modum Epistolarum: ad Blastum vnam, quam inscripsit de

ſchiſmate; alteram ad Florinum de monarchia, ſiue quòd Deus non ſit fabricator malorum; nam Florinus contrariam illi ſententiam videbatur acriter propugnare. Cuius etiam causâ, quandoquidem in errorem Valentinianum lapſus fuerat, librum de Ogdoade ſcripſit. Quia verò in his libris Irenæus inſtitutionis ſuæ rationem reddit, ex Euſebio epiſtolæ ad Florinum partem hanc inſerere viſum eſt.

XXXI. Iſta dogmata Florine, vt tecum agam "humaniùs, ſanæ doctrinæ, & ſententiæ non "ſunt. Iſta dogmata ſunt Eccleſiæ repugnantia, "vt-pote, quæ eos, qui illis obſequuntur, in ma- "ximam impietatem deiiciant. Iſta dogmata, ne "hæretici quidem, qui erant extra Eccleſiam, vn- "quam affirmare audebant. Iſta dogmata, pre- "ſbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant ipſo- "rum Apoſtolorum diſcipuli, minimè tibi tra- "diderunt. Vidi enim te cùm adhuc puer eſ- "ſem, in inferiori Aſia apud Polycarpum, cùm "& in aula Imperatoris ſplendidè vitam degebas, "& ſedulò te Polycarpo probare nitebaris. Nam "ea, quæ tunc gerebantur (cognitio enim quam "à pueris combibimus vnà cum ætate accreſcit "ſimul, & quaſi vinculo cum ipſo animo peni- "tus copulatur,) multò firmiùs in memoria in- "ſident, quàm quæ nuper præterierunt: adeò "vt locum in quo ſedebat beatus Polycarpus "cum diſſereret, illius eò aduentum, & introi- "tum, formam, & modum vitæ, corporis effi- "

„ giem, diſceptationes, ac ſermones, quos apud
„ multitudinem habebat, & vt neceſſitudinem,
„ ac vitæ vſum cum Ioanne, & reliquis, qui
„ ipſum Dominum vidiſſent, ſe habuiſſe narra-
„ ret, & quo pacto memoraret eorum ſermones.
„ Quin etiam quænam ab illis de Domino audi-
„ uiſſet, quomodo de miraculis eius, ac de virtu-
„ tibus, & de doctrina, denique ſicut ab illis,
„ qui fuiſſent ſuis oculis verbum vitæ conſpicati,
„ omnia ſcripturis verè conſentientia narraret,
„ videar mihi poſſe ritè percenſere. Hæc eo tem-
„ pore per Dei miſericordiam, quam erga me
„ oſtendebat, ſtudiosè, & attentè audiebam, at-
„ que non chartæ, & literis, ſed interiori mentis
„ cogitationi mandabam, & perpetuò Dei iuuan-
„ te gratia ingenuè, & exquiſitè recordatione re-
„ nouo. Atque coram iam certè Deum conteſta-
„ ri poſſum, illum beatum, & Apoſtolicum pre-
„ ſbyterum Polycarpum, ſi eiuſmodi dogmata
„ fortè audiiſſet, continuò exclamaturum, & au-
„ res obturaturum, ac de more ſuo dicturum
„ fuiſſe. O bone Deus, in quæ me tempora re-
„ ſeruaſti, vt iſta patiar, atque ex eo loco, quo vel
„ ſedens, vel ſtans ea audiiſſet, extemplò planè au-
„ fugiturum.

Talis fuit Irenæi apud Polycarpum ſenem inſtitutio, talis doctrina, poſt hac ex Galliis in totum orbem diffuſa. Eius reliquas res geſtas ſequenti libro proſequemur.



ECCLESIAE GALLICANÆ HISTORIARVM,

LIBER TERTIVS.

I. ANNO Christi CLXXX. reuersus à legatione Romana Irenæus, in vacuam Pothini cathedram eligitur. Eius Episcopatus annum circiter decimum quartum, Eleuthero Romano successit Victor, cuius zelo propè factum erat vt inconsutilis Christi tunica discinderetur, nisi consiliis suis Irenæus vnitatem solidasset. Vetus erat de Paschatis Dominici celebratione quæstio, ea ab Episcopis Asiæ iampridem mota, sub Aniceto Romano Episcopo solui non potuerat. Venerat Romam Polycarpus, qui priscum decimo quarto lunæ die, quo Iudæis olim præceptum, Pascha Dominicum celebrandi morem, ab Apostolo Ioanne ad sua

tempora perseuerantem docebat. Contrariam consuetudinem adstruebat Anicetus, cum vniuersa Ecclesia, die solùm Dominica Christi Paschatis memoriam recolendam; at cùm neuter alteri suum institutum persuaderet, firmatâ inter ambos pace, Polycarpus in Asiam rediit. Eleuthero sedente, Montanus Pseudo-propheta Pascha Asiaticum obseruat, quare retractata vetus est quæstio. Tunc autem primum post Anicetum de Paschate actum conijcio, ex eo quòd Irenæus ab Aniceto ad Sotherum Asiaticis pacem cum Romanis fuisse scribit, de Eleuthero tacens, qui sinè dubio propter Pseudo-prophetiam ab eorum communione abstinuit, & Paschatis obseruationem decima quartâ lunâ damnauit: Nam Beda de Paschate decretum illum tulisse refert, & Ado in Chronico scribit. *Victor decimus tertius Romæ Episcopus, datis latè libellis constituit, Pascha die Dominico celebrari, sicut & condecessor eius Eleutherus, à decima quarta luna primi mensis vsque in vicesimam primam.* At Victore succedente Eleuthero, dum Asiatici duce Polycrate Ephesino priscum decimæquartę lunæ morem repeterent, vt tandem ea controuersia sopiretur, synodi ab Episcopis vbique terrarum indicuntur: Palęstinæ Theophilus Cæsariensis, & Narcissus Ierosolymitanus: Ponticæ, Palmas: Corinthiacæ, Bacchilus: Romanæ, Victor: Gallicanæ, Irenæus: Alexandrinæ, Osroënæ, & aliis, alii præsiderunt. Agitata quæstio, communi calculo hunc finem sortitur: Pascha Dominicum ex institutione maiorum die Dominica, qua Christus resurrexisset, esse celebrandum. Decre-

cum

tum quæque Synodus circularibus literis ad ſingulas prouincias mittit, vt vna eſſet orbis vniuerſi ſententia. Fertur Victoris ad Deſiderium Viennenſem epiſtola, quâ, repetitâ veteri conſuetudine quam Deſiderium à preſbyteris, qui Apoſtolos viderant, ait accepiſſe, à decima quinta luna, ad viceſimam primam Paſcha eſſe celebrandum probat.

II. Hunc autem Deſiderium inter ſuos Epiſcopos non deſcribunt certiores tabulæ Viennenſis Eccleſiæ, neque ipſe Ado, qui Dionyſium tantùm agnoſcit ſub Imperio Commodi, Pertinacis, Iuliani, & Seueri, eúmque diſcipulorum Chriſti auditorem erudititiſſimum ſcribit : quæ verba fortè authorem huius Epiſtolæ eò impegerunt, vt Deſiderium diſcipulos Apoſtolorum audiiſſe dixerit. Hanc porrò Epiſtolam ſcripſiſſe nobis aliundè non conſtat, quàm ex fide eius, qui in ſua bibliotheca pleriſque incertæ fidei actis refertâ primus edidit. Siquidem Victor ſuam de Paſchate ſententiam per Gallias promulgaturus, cur ad hunc Deſiderium, aut Dionyſium, per quem reliquis fratribus innoteſceret, potiùs quàm ad Irenæum ſcripſerit, non video. Irenæus enim æquè, ac Deſiderius Apoſtolorum diſcipulos audierat, iam ante ſub Eleuthero Romanæ Eccleſiæ notus, ſcriptis celebris, ſua legatione illuſtris, Eccleſiam proximâ perſecutione claram adminiſtrans, tantæque vir authoritatis, vt ab Euſebio Galliarum Eccleſias rexiſſe dicatur. Ipſe etiam ſolus vniuerſæ Eccleſiæ Gallicanæ nomine, ad Victorem ſcripſit, à quo ſine dubio literas per eum fratribus Gallicanis (quod hæc Epiſtola

Desiderium facere imperat) innotescendas accéperat.

III. Itaque scribente Victore conueniunt Gallicani patres, quo loci non liquet, solum nomen Irenæi, qui tunc Gallias regebat, vnâ cum decreto secundùm Victoris sententiam lato, ad nos historia transmisit. Futurum maximi ponderis Gallicanæ Ecclesiæ iudicium erat, quæ à Polycarpo contrariæ sententiæ assertore instaurata, eius discipulos Episcopos habebat. Ait tamen Beda in libro de Æquinoctio Vernali, qualecumque illud sit Concilium Theophili Cæsariensis referens, Gallos, in quamcumque diem octauus Calendarum Aprilium incidisset, Pascha celebrasse. Verùm quis illi contrariam Gallicano decreto opinionem sine authore vindicanti, fidem adhibebit?

IV. Hac communi de Paschate sententiâ, Ecclesiæ inuicem coalescere, & communionem dissidiis dissipatam resarcire videbantur: Nisi vnus Polycrates in contrario decessorum more perseuerasset. Quem Victor suarum partium existimans, vniuersæ Ecclesiæ sententiæ refragantem compescere, atque Catholicam vnitatem, quæ è sua cathedra effluxa in ipsam reflueret, solidam, & benè compactam seruare. Polycratem literis monet; ne animi sui sensa tanti æstimare velit, vt totius orbis iudicium respuat; ne à communi sententia desciscens, se à communione Catholica separet. Vno spiritu ducta vniuersa Ecclesia, in vnam mentem concurrit, nec patitur mores diuersos, quæ vna sit. An non tu alios obseruans, aliã

ſtatuis, & à communione noſtra imprudenter te ſubducis? Num tibi vni ex tot millibus vera ſententia credita eſt, & totum orbem aberrare contigit, te vno rectam viam ingreſſo. Auertat Deus ab Eccleſia ſua tantum facinus: quin tu potiùs aliorum fratrum exẽplo, vicinos Epiſcopos conuoca, vt eorum conſilio, ſi fortè vniuerſæ Eccleſiæ charitati, noſtríſque monitis nihil dederis, ad meliorem mentem redeas. Ad eam te, frater, hortamur, non ampliùs in communionem Eccleſiæ, ni vnà cum ea ſentias, recepturi. Perculere Polycratem tanti Epiſcopi verba, & pertinacem ſuæ traditionis obſeruatorem vix ad vocandum Cõciliũ cöegere. Pendebat dubius animo iram inter, & conſcientiam: ac tandem ne inter tot Eccleſiæ vniuerſæ ſynodos, ipſaſque poſt Victoris minas, & circulares Eccleſiarum diuerſarum literas, mala conſcientia incertum ſynodi euentum metuere, néve ſolus id vnũ ſentire videretur, totius Aſiæ, & vicinarum prouinciarum Epiſcopos conuocat, & ex eorum ſententia iuxta priſcum Aſiæ morem, die decimaquartâ lunæ Paſcha eſſe celebrandum decernit. Hac de re epiſtolam ad Victorem, & Eccleſiam Romanam ſcripſit; nam aliquoties ad Epiſcopum, & Clerum Romanum, vel eius Archidiaconum literæ inſcribebantur. Ita accipienda eſt inſcriptio Epiſtolæ Conſtantini Miltiadi, & Marco apud Euſebium: Marco nempe Romani Cleri primo, qui poſt Siluestrum Miltiadi ſucceſſit; qui mos ad ſequiora tempora durauit, vt patet ex Epiſtolis Petri Damiani, Papæ, & Ildebrando Archidiacono ſcribentis; primos quoque Romanos

Episcopos, non tam suo, quàm Ecclesiæ Romanæ nomine ad alias Ecclesias scripsisse testis est illa antiquissima Clementis Epistola, quæ post tot sæcula primam nuper lucem vidit. Hac Epistolâ Polycrates, se vnà cum collegis traditum morem constãter obseruaturum profitetur. Nam illa fuit, inquit, cùm Philippi Diaconi, Ioannis Euangelistæ, Thraseæ, Sagaris, Polycarpi, & aliorum, qui per Asiam Christi fidem nunciarunt, tum septem decessorum Episcoporum, qui mihi cognatione coniuncti fuerunt, perpetua obseruatio. Hanc ego ab illis acceptam, per longam ætatem seruaui, cuius ad annum quintum supra sexagesimum iam perductæ beneficio datum est, quid probare debeam nouisse. Sacra Scriptura, quam vniuersam studiosè euolui, contra terriculamenta fortes animos addit, neque ipsos fratres, quibus per diuersas orbis partes communico, hac nulla de causa timeo à communione mea se subducturos. Cæterùm intentatis ad terrorem comminationibus quid conturber? qui non proprio spiritu ductus priscæ traditioni adhæreo; sed ex fratrum mente, qui in hanc rem supra numerum collecti, vitæ meę per tot annos in Christo traductæ conscij, pedibus in meam sententiam iuerunt. Turbatur Victor ad hanc epistolã, & literis ad Ecclesias scriptis, cunctos Asiæ, & finitimarum prouinciarum Episcopos, tanquam ab vniuersa Ecclesia dissentientes, à communi vnitate separare tentat. Leguntur hac de re scriptæ à Victore Epistolæ, ad Paracodam Viennensem. Hunc sub Seuero clarum in fidei doctrina, clarum in confessio-

ne, mansisse in Episcopatu vsque ad Maximini tempora, scribit Ado in Chronico.

V. Eam autem Victoris Epistolam esse voluit ille, qui primus eam edidit, quamuis eius temporis characterem non habeat, & longè aliud à Victoris de Paschate sententia, & Asiaticorum contentione decretum contineat. Nam præcipua de Paschate controuersia in eo vertebatur, an lunæ decimæquartæ die quolibet, vel solùm Dominico ab ea luna festum Paschæ agi deberet; ac pro Dominico die Victor sententiā tulit, de quo tamen nulla in hac Epistola mentio. Prætereà Ecclesiæ in Orientalem, & Occidentalem diuisio, quæ tunc temporis nondum nata, sæculi posterioris authorem arguit. Tunc enim primùm Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis nomina audita sũt, cùm pro Arrij opinione, & Athanasij ordine, diuisi Orientis, & Occidẽtis Episcopi Philippopoli, & Sardicæ horrendum Ecclesiæ schisma pepererunt. Certè ante illam diuisionem, Ecclesiarum, quæ ad Occidentem, & ad Orientem, facta est mentio, non eo tamen sensu, vt diuersum aliquod, & separatum communione corpus efficerent, sed vt per diuersos orbis tractus, Christi fidem prædicatā esse demonstrarent, & à Solis occasu, aut ortu dictæ, aliis finibus ab his, quos posterior diuisio dedit, Ecclesiæ descriptæ erãt. Adde non Orientalem Ecclesiam, sed Asiaticam, quę posterioribus tantùm sæculis Orientalis propriè dicta est, contrariam Victori opinionem asseruisse. Nã Pontica, Palestina, Osroëna, Achaïca, & aliæ Orientis Ecclesiæ, vnà cum Victore sentiebant. Itaque me-

ritò suspectam hanc habebimus epistolam, quam, qualiscumque sit, spuria, vel legitima, vel ipsam, vel similem scripsit Victor, Asiaticos omnes fratres excommunicatos declarans.

VI. Non æquis auribus has Victoris literas Episcopi acceperunt: Galli maximè, vnitatis Ecclesiæ defensores, schisma odere. Monente procul dubio Irenæo iterùm conueniunt, & confirmato secundùm Victoris sententiam lato priori Concilio, de Paschate decreto, Pontifici ad subducendam Asiaticis communionē hortanti, pacis Ecclesiæ gratiâ audaci animo repugnant. Irenæus, doctrinâ, sanctitate, & nouo Ecclesiæ suæ testimonio, Gallicanæ Ecclesiæ facilè Princeps, & rector, Concilij, ac fratrum nomine, Victori rescribit, & ipsum animos ponere, atque à priore sententia in æquiorem mentem redire hortatur. Equidem Pascha solo die Dominico celebrandū: at non propterea tot Dei Ecclesias, antiquæ consuetudinis traditionem obseruantes, excommunicādas esse arbitror. Non enim de Paschate solùm, sed de ratione ieiunij institutam controuersiam; cùm eo die, qui festus celebretur, ieiunium ante-Paschale soluendum sit. At quanta ieiuniorum varietas, singulis Ecclesiis suo more ieiunantibus? quæ tamen Ecclesiasticæ pacis rumpendæ, numquam suspecta fuit. In his enim minutis dissidiis fidei veritas asseritur, quæ nisi certa, inter tot homines de re minima dissentientes, vna esse non posset. Venit ad Anicetum Romanum senex Polycarpus, neque diuersis cùm Paschatis, tùm aliis ritibus Ecclesiasticam vnitatem sciderunt: atque

exinde Asiaticæ Ecclesiæ sub Pio, Higyno, Telesphoro, Sixto, tam Romanæ quàm aliis Ecclesiis communicarunt. Qua mente nunc Victor pacē Ecclesiasticā à decessoribus seruatam, à nobis disrumpi desiderat? suos quisque mores seruet, dum à fide Catholica, in qua communicamus, non aberret.

VII. Conueniebat Irenæi nomini pacis Ecclesiasticæ studium, ad quam per vniuersas Ecclesias stabiliendam, reliquis Episcopis illas spirantes vnitatem literas de hac Paschatis controuersia scripsit. Tantum autem apud Episcopos pondus habuerunt, vt, seruato in recolendo Paschate die Dominico, precum, & literarum consortio Asiaticis contrarium morem obseruantibus communicauerint. Non enim talis obseruatio pœnâ Ecclesiasticâ damnata est, donec admixtâ Montani Pseudo-prophetiâ, & Quarta-decimanorū hæresi in prauum dogma abiit.

VIII. Hæc fuere sub Irenæo Ecclesiæ Gallicanæ duo prima Concilia, quæ Lugduni vrbium maximę, & populosæ ab ipso Irenæo conuocata fuisse crediderim; nam licèt in cunabulis adhuc esset, tandem cū Ecclesiæ pace in potestatem euehenda Ecclesiastica Iurisdictio, id tamen ætati (vt Palmæ in Ponto hac eadem in causa) doctrinæ, & famæ Episcoporum dabatur, vt volentes, & vltrò illorum curæ finitimi Episcopi sese committerent. Vrbis quoque Metropolis dignitas prouinciales crebriùs euocans, suis Episcopis in reliquos Christianos peculiare ius aliquod, & propriam quamdam sollicitudinem conciliabat. At maxima Galliarum Metropolis Lugdunum, quæ Celta-

rum tractui, apud quos se degere testatur Irenæus; nomen suum dedit. Cæterùm vniuersæ Galliæ Episcopos his interfuisse Conciliis non constat, ipsáque Eusebij verborum ambiguitas omnes modò admittit, modò maiorem numerum excludit. Ait enim, Irenæũ eorum, quibus in Gallia præsidebat, fratrum nomine scripsisse: quæ oratio, & de Gallis omnibus, & de his solùm, quibus præsidebat Irenæus, scilicet Lugdunensibus intelligi potest.

IX. Fœlici pace circa hæc tempora sub Commodi Imperio fruebatur Ecclesia Gallicana, quæ resarciendæ, prioribus persecutionibus, illatæ calamitati Episcopis spatium dedit: illâ enim fauente potuerunt à Romanis Põtificibus Episcopi in Gallias mitti. Pauli quoque Narbonensis aduentus, si vulgaria eius acta sequamur, ad hæc tempora referẽdus est. Illa Episcopum Româ in Gallias properantem Lunæ apud Ligures in manus Sapricij Proconsulis incidisse narrãt. At ex pluribus Sapriciis duos animaduerto, quorum temporibus Pauli ætas conuenire potest. Vnus Sapricius Præfectus vrbi sub Valeriano in actis Stephani Papæ, qui ante Præfecturam, dignitatem Proconsularem in Liguribus fortè exercuerat, sub prioribus à Seueri morte Imperatoribus, quibus imperantibus septem Episcopos in Gallias venisse Gregorium Turonensem secuti existimamus. Alter Sapricius in locum Antiochi ad regendas Alpes Cottias ab Adriano missus fuisse legitur in actis Iobitæ, Faustini, & Martiani Dertonensis Episcopi martyrũ. At cùm in ipsis actis ad Eleutherum Romanum Episcopum marty-

res

res acceſſiſſe dicatur, iam non ab Adriano, ſed à Marco Aurelio Sapricius Alpibus Præfectus erit. In qua dignitate cùm Eleutheri tempora extremis ſub Aurelij annis conſtitutum eſſe demonſtrent, nihil obſtat quin vſque ad Commodi Imperium Sapricium Proconſulem duraſſe dicamus.

X. Venire ergo debuit ſub Commodo Paulus in Gallias, ſecundùm Eccleſiæ Narbonenſis vulgarem traditionem; quæ profectum ex Cypro iubente Apoſtolo per viſum, illum Romam veniſſe, ibíque Eccleſiâ Paulo magiſtro dedicatâ, cum Stephano, & Ruffo Diaconis in Gallias properaſſe narrat. Lunæ in itinere Paulus cœco viſum reddit, iubente Sapricio Procõſule poſt verbera cum Diaconibus in mare proiicitur, emerſus iterùm cæditur: at repentè Sapricio moriente liberatur. Inde Deiparæ conſtructâ Eccleſiâ Ticinum venit, plures ad fidem Chriſti conuertit: Ebroduni Neptuni ſimulachrum deſtruit, Arauſione rogatu ciuium tribus menſibus moratur, B. Virgini Mariæ, & Iacobo fratri Domini Eccleſias ædificat, Epiſcopum conſtituit, Preſbyteros, & Diaconos ordinat. Famâ Pauli aduentum Narbonenſibus prænunciante, Arauſionem illi accurrunt, Principes ciuitatis claues vrbis offerunt Paulo, ea lege, vt ipſe, ac ſucceſſores eo iure Narbona potirentur, quo Petrus Româ. Arauſione Arelatem progreditur, Eccleſiam Petro dedicat, Preſbyteros, & Clericos inſtituit, naufragum in tranſitu Rhodani nautam vitæ reddit: & cùm multis miraculis clarus ab Arelatenſibus, & aliis quos pertrãſibat prouinciæ incolis rogaretur, vt apud ipſos

P

commorari vellet, abnuit, & ab Apostolo Paulo se Narbonensibus datum esse prædicat. Ecclesiam sanctæ Resurrectionis super Rhodani saxa ædificat, ac peragratis Volscis, tandem Biterras aduenit. Exeunt obuiàm Narbonenses cum lampadibus, coronis, & cymbalis, relictóque Biterrensibus Afrodisio Episcopo, Narbonã cum pompa deducunt. Hîc viduæ Principis ciuitatis viri filia à dæmone liberata Christi fidem agnoscit, vnà cum matre velatur, dedicatis Ecclesiæ omnibus bonis. In eius palatio Dei-paræ virgini Ecclesiam construit, & Cleri ordines instituit. Stephano Diacono Ecclesiarum curam committit, Auenionensibus Rufum Episcopũ ordinat: Tolosæ plurimas Ecclesias dedicat; Hispanias penetrat, Christi fidem vbique prædicans, ac tandem monente Apostolo Paulo Narbonam redit. Celeberrima duo cœmeteria Burdegale, & Arelate consecrasse dicitur cũ Maximino Aquensi, Trophimo Arelatensi, Saturnino Tolosano, Frontone Petrocorio, Martiale Lemouice, & Eutropio Sanctonico: Aliud etiam Narbonæ, Magnatum, & Principum sepulturâ celebre. Tandem Hispaniâ, & Narbonensi Galliâ Christi sub iugum redactâ, imminere sibi mortem à Paulo Apostolo monitus, Stephano Ecclesiam Narbonensem regendam tradidit, eam Galliarum primam fore pręnuncians: ac cùm populo, qui ad ægrum frequenter concurrebat, vltimum vale dixisset, obiit, & in Ecclesia Dei-paræ, quam priùs in loco qui Albolas dicitur construxerat, à discipulis sepultus est. Scripsit ad caput eius in lapide porphyretico Stephanus hæc ver-

ba. HIC REQVIESCIT S. PAVLVS DISCIPVLVS APOSTOLI PAVLI, EPISCOPVS NARBONENSIS ECCLESIÆ. Quem lapidem in prima ipſius tranſlatione, longa poſt tempora repertum fuiſſe volunt. Eius vitam diſcipuli tribus voluminibus deſcripſere.

XI. Hactenus exactis Pauli Narbonenſis à Guillelmo Hulardi presbytero Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonæ conſcriptis ſub Innocentio Papa ſexto anno 1364. cuius authoritatem ipſius ætas eleuat, quâ multis populi rumoribus priſca traditio aſperſa erat, neque ipſe ex illis tribus voluminibus, quæ diſcipulos Pauli compoſuiſſe dicit, ſed ex vulgi ſermone, & vſitatioribus (vt ipſe loquitur) legendis acta concinnauit, eáque adeò confusè, & contra probatum etiam ſuo tempore hiſtorię ordinem, vt difficultatibus, quę ex narratione oriuntur, explicãdis librum integrum dedicarit. In quo tamen non ſe expedit, nam modò Paulũ Narbonenſem ab Apoſtolo in Hiſpanias proficiſcente iuxta Græcorum traditionem Narbonę relictum fuiſſe aſſerit, modo negat, tum verò redeuntẽ ab Hiſpaniis Apoſtolum Romam ſecutum, & Cyprum profectum, inde Apoſtoli monitu Narbonam rediiſſe refert. Alia quoque plurima figmenta in vnum confert, quæ pro veris nobis obtrudit. Vt vt ſit, poſterioris ſæculi traditionem ex ſuperioribus actis habemus, quibus aduerſantem referendam à nobis inferiùs Pauli vitam, quantumuis antiquam fateatur, nullius tamen authoritatis eſſe idem ſcriptor aſſerit. Illa Paulum Epiſcopum, ſeu Papam (quod nomẽ quarti, aut quinti ſæculi authorem denotat) ſimplici-

ter nominat: Acta verò Pauli diſcipulum conſtanter dicunt. His ſuffragari videtur vetuſtiſſimum Martyrologium Romanum, quod vndecimo Calendas Aprilis, qui dies Pauli Narbonam ingredienti dedicatus eſt, hæc habet: Narbonæ S. Pauli Epiſcopi diſcipuli Apoſtolorum. Verum cùm Apoſtolorum diſcipulos ad hæc vſque Aurelij, Commodi, & Seueri tēpora peruenisse, atque etiam illos, qui nō Apoſtolos, ſed eorum diſcipulos audiuerant, Apoſtolorum diſcipulos, & Apoſtolicos viros appellatos fuiſſe probauerimus: quid vetat hunc Paulum Apoſtolorum diſcipulum ſub illis Imperatoribus vixiſſe? At illū eumdem cum Proconſule Cypri Sergio fuiſſe negāt eadē tempora, quamlibet inferior noſtra traditio aſſeueret. Itaque ſi regente Alpes Cottias Sapricio ſub Aurelio Imperatore Paulus in Gallias venit: Commodo imperante, Narbonenſibus, & Hiſpanis prædicauit. Sin verò poſt Seueri mortem cum aliis Epiſcopis Roma miſſus eſt, per triginta octo Eccleſiaſticę pacis annos in Galliis vitam tranſegit. Huic vltimæ ſententię, alia Pauli acta, Gregorij Turonenſis opinio, & antiqua traditio conſentire videntur, quæ, deſcripto ſub Imperio Seueri Eccleſiæ Gallicanæ ſtatu, enucleabimus.

XII. Seuero imperanti Albini ſocietas inuiſa Gallias perturbat: Mouet in collegam Imperator, & eo propter Rhodanum cæſo, flammâ, & ferro Lugdunū vaſtat. Circumdatam vrbem à militibus iuſſu Seueri, & omnes Chriſtianos occiſos fuiſſe, acta Irenæi referunt. Quod non propter aliquod Chriſtianorum fa-

cinus, ſed propter factionem Albini, quæ Lugduni vigebat, imperatum eſt: Nam meritò Tertullianus in Apologetico nuſquam Chriſtianum Albinianum repertum fuiſſe ſcribit. Quare communi vrbis ruïnâ obruti Chriſtiani cum Irenæo Epiſcopo animas Deo reddiderunt. Verumtamen ſi poſt multa ſupplicia tandem Irenæus cæſus eſt, vt refert Gregorius Turonenſis, publicæ cladi ſuperſtitem eum fuiſſe oportet: niſi direptionem per multos dies productam diuerſo pœnarum generi ſpatium dediſſe dicamus. Ergo Albini defectionem vindicante Seuero innocens Ireneus cum vniuerſa Eccleſia ſua cecidit, talem pro longo aduerſus Gentiles, & hæreticos certamine coronã meritus. Vir pacis Eccleſiæ ſtudioſus, ſcriptis ſuis toto orbe celebris, fide, & religione clarus, puer à Polycarpi ore pependerat, inter eius brachia edoctus, qui Ioannem diſcipulum quem diligebat Ieſus magiſtrũ habuerat. Fœlix pietatis, & religionis ſucceſſio, quæ ab ore Domini noſtri in pectus Ioannis, ex hoc in Polycarpum transfuſa, ac demum ab Irenæo excepta in Gallias delata eſt! Beatam Eccleſiam, quæ ab ipſis Apoſtolorum diſcipulis fundata, crebris perſecutionũ procellis concuſſa, iterùm à viro Apoſtolico in æternitatem ſtabilita eſt. Hic enim eſt ille Ireneus, qui ab Hieronymo vir Apoſtolicorum temporum, ab Epiphanio ſanctiſſimus, & priſcus Theologus ſucceſſor Apoſtolorum, & à Tertulliano eodem ſub Imperatore ſcribente, omnium doctrinarum acuratiſſimus explorator nuncupatur. Tanti viri ſcripta enumerat Euſebius: Epiſtolam ad Blaſtum de Schiſmate; alterã

ad Florinum de Monarchia; librum de Ogdoade; librum breuissimum quidem, maximè tamen necessarium contra Gentiles, qui de Scientia inscribitur. Alium quem fratri cuidam nomine Marciano dedicauit in quo Apostolicæ prædicationis rationem, & modum exponit: & Librum de variarum rerum disquisitione. Diù latuerunt hæc opera, quæ cum diligentissimè perquireret Ætherius Viennensis Episcopus, rescripsit Gregorius primus neque gesta, neque opera Irenæi hactenus inueniri potuisse. Tandem pars operum reperta, & in lucem edita est, partem etiam gestorum apud se esse testatur Baronius.

XIII. Polycarpo visum post martyrium Irenęum, mittendi in Gallias discipulos authorem fuisse, referunt acta Benigni, Thyrsi, & Andochij; at cùm iam ante Polycarpum decessisse ex ipsius Irenæi verbis superiùs à nobis allatis constet, nullus dubitandi locus relinquitur, quin ante Aurelij persecutionem à Polycarpo discipuli legati sint.

XIV. Cladi Lugdunensi superfuit Zacharias presbyter, in Ecclesiæ restituendæ laborem cryptæ latibulo seruatus, qui beata martyrum ossa recolligens, Irenęum in crypta, super quam postmodum Ecclesia sancti Ioannis ædificata est, Epipodio, & Alexandro ad vtrumque latus compositis sepeliuit.

XV. Narratis Irenæi præclaris facinoribus succedunt acta discipulorum, quos per varias Galliarum prouincias Euangelij causa vir Apostolicus miserat. In his Fœlix Presbyter, Fortunatus, & Achilleus Diaconi Valentiæ ad Rhodanum miraculis clari extra

vrbem in humili tugurio, illuſtrem exercitatione vitam tranſigebant. Veſontione in Sequanis Ferreolus Preſbyter, & Ferrucio Diaconus eiuſdem Irenæi diſcipuli, Chriſti fidem latè prædicabant. Tempus illorum martyrij incertum eſt. Nam Valentinorum acta ſub Seuero, Veſuntinorum ſub Aureliano paſſos fuiſſe narrant; at ex vtrorumque actis, & inſertis Epiſtolis, ac Cornelij Ducis nomine, conſtat omnes eodem tempore obiiſſe. Quare obſeruato Irenæi martyrij tempore, ſtatim poſt illum ſub Seuero, à cuius morte pax Eccleſiaſtica cœpit, Chriſto ſupremum teſtimonium reddidiſſe dixerim. Illorum acta mortis inſtantis prænuncias viſiones quaſdam referunt, à Catholico eiuſdẽ ſæculi ſpiritu non alienas. Fœlicis hæc erat. Vidi locum, inquit, Fortunato, & Achilleo illam narrans, ſyderei ſplendoris coruſcatione micantem, ineffabilium florum diuerſitate vernantem, flagrantibus quoque aromatibus redolentem: tabernacula etiam ſtellantibus gemmis inſignia, fulgentis auri decore radiantia; in quibus quinque agni niueo candore nitentes, albentia lilia flore depicta croceo, paſtu delectabili inuitante, inſigni amœnitate carpebant. Quæ dum magnitudinis immenſitate perterritus, & virtutis admiratione gauiſus, intendo, audiui hæc dicere, diuinæ vocis reſeratione probata. Euge ſerui fidei deuotione probati, Irenæi famuli, mei diſcipuli, qui talenta exigua multiplici locupletatione ampliata, paraſtis: introite in gaudium Domini veſtri, quo vos faciet perpetuæ lætitiæ exultatione gaudere, fratrum veſtrorum ſocietati coniunctos. Cùm de proxima

futuræ repromissionis spe hac visione cófirmata Fœlix, & socij gratias Deo agerent: venit nuncius à Ferreolo, & Ferrucione, qui similem de instanti gloria reuelationem referret.

XVI. Horum epistolam habent acta verbis diuersam, eadem tamen vtrobique complexam: Ferreoli acta stilo tenuiori conscriptam, & martyrum simplicitati magis conuenientem referunt his verbis. Viris piissimis, & in Christo fratribus Fœlici, Fortunato Achilleo: Ferreolus, & Ferrucio in Domino salutem. Qui moderatur sæcula, & disponit totius mũdi climata, ipse seruis suis ad inuitationem bonæ cõfessionis arcana sui pectoris non negauit. Cùm vigilata nocte me sopori dedissem, vidi reuolutam cœli paginam, & quinque coronas nimio splendore aureo, gemmisque insignibus adornatas, sydereo fulgere nitore; & singulæ angelorum manibus deportabantur, & signũ Crucis in medio portabatur. Quod cùm admirarer, audiui vocem terribilem mihi dicentem. Venite Irenæi discipuli, percipite promissum vobis patris Regnum, vt quia fecistis voluntatẽ Domini in terris, pariter percipiatis promissum patris in cœlo. Viri sanctissimi fratres, quoniam nos Dominus ad martyrij coronam inuitat, confortemur, & oremus, vigilemus spiritu feruentes, vt non diabolus veniens furetur thesaurum nostrum. Rescripsere Felix, Fortunatus, & Achilleus, Ferreolo, & Ferrucioni, quæ sibi quoque Deus reuelasset; inuicemque se ad martyrij palmam hortati sunt.

XVII. Iam per totum orbem in Christianos Seuerus

uerus sæuiebat cùm Britannicam expeditionem suscipiens anno Imperij decimo-sexto, circa Christi annum CCX. in Gallias cum exercitu venit. Hoc tempore passos Irenæi discipulos crediderim, cùm aliud tempus non occurrat, quo Seueri exercitus in Galliis fuerit, nisi fortè non vniuersum exercitum, sed legiones quasdam quibus Cornelius præesset in Galliis degisse apud martyrum acta explicemus, vel potiùs Cornelium Prouinciæ Præsidem fuisse.

XVIII. Cornelius Dux exercitus Seueri Valentiæ agens canentium Deo psalmos Fœlicis, Fortunati, & Achillei Christianorum voces accepisse dicitur: res sane difficilis inter crudelissima Seueri edicta, & Magistratuum inquisitiones, Christianis publicas Deo laudes reddere licuisse. Id ergo sibi permisit actorum scriptor, qui &, Alleluya, laudis vocem longa post tempora ab Orientali Ecclesia in Occidẽtalem translatam, concinisse refert. At quocumque modo Cornelio oblati sint, constat ab eo interrogatos, neque minis perterritos, blanditiísve allectos forti animo Christum professos fuisse. Cornelius neruis cædi iubet, nec quicquam à proposito resilientes carceri includit: claustra reserat Angelus, cuius monitu illi fulgentem electro Iouis statuam, Mercurij, & Saturni simulachra diruunt. Sistuntur iterùm coram Cornelio, eiúsque minas, & monita, Deorúmque cultum deridentes, reuinctis post tergum manibus, renibus, cruribusque confractis circa rotas adstricti, fuliginosa suppositi, & compressi ignis nube contecti, diù noctúque continuatâ equulei extensio-

Q

ne ſuſpenduntur. Addunt lictores his pœnis dicteria, & imprecationes: precibus, & Christi confeſſione reſpondent martyres; donec redeunte die Cornelius gladio in illos animaduerti iubet.

XIX. Claudius Veſontione ad Cornelium venerat, à quo martyrum necis cauſam accipiens, duos eamdem Veſontione religionem profiteri, turbas mouere, ſuamque vxorem deluſiſſe queritur. Dat literas Cornelius, quibus Ferreolum, & Ferrucionem in cæterorum exemplum interfici iubet, illos comprehenſos, aut diis ſacrificare, & ex ærario munera accipere, aut neci dedi, ſigno Crucis fronti impreſſo: ob Christum confeſſum ad trochleas extendi, flagellis cædi; ac cum in fide perſtarent, in carcerem mitti, ſuccedente die educi, & in liberæ confeſſionis pœnam linguis præſcindi. Verùm æternæ potentiæ verbum, conſueto quod homini dedit ad vocem emittendam inſtrumento non indigẽs, elingues illos loqui, ſuumque nomen in Gentilium dedecus, ſuorumque gloriam prædicare voluit. Non tulit Claudius hæc prodigia, ſed animo furens triginta acutiſſimis ſubulis vnicuique manus, pedes, & pectus transfigit. Ac cùm ſubtiliſſimus dolor in gaudium à Domino verteretur, iubet capite plecti.

XXI. Anno Christi CCXIII. Seuerus Imperij ſui XVIII. Eboraci in Britannia deceſſit, relictis ſucceſſoribus liberis Antonino, & Geta. Interjectis ab eius morte annis VIII. & XXX. pax Chriſtianis fuit; niſi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum clericos vexauit. Antonius Narbonenſi

Proconſule occiſo, cunctiſque qui in Gallia res gerebant turbatis, licèt odium tyrannicum meruerit, Chriſtianis tamen pepercit, in nulloſque animaduertiſſe legitur.

XXI. Reſpirantem è ſuperioribus cladibus Eccleſiam Gallicanam præpotens Dei prouidentia iuuit, quæ tot reſtituendis priorum calamitatum damnis egregios viros ſanctos Epiſcopos à ſede Romana mitti, illiſque tanto operi inſudãtibus, triginta octo pacis Eccleſiaſticæ annorum ſpatia concedi voluit. Hos iam ſupra toties nominatos ſedibus ſuis tandem reſtituamus. Dionyſius Pariſienſibus, Trophimus Arelatenſibus, Paulus Narbonenſibus, Gatianus Turonenſibus, Stremonius Aruernis, Martialis Lemouicibus, Saturninus Tholoſatibus datus eſt. Omnes ſimul, & ſemel veniſſe antiqua traditio refert, quę Gregorij Turonenſis authoritate confirmatur. Hic tamẽ ad annos Decij refert propter Saturnini actorum cõſules miſſionis tẽpus, cũ paſſionis anno cõfundens. Nam Saturnini acta, Gregoriani æui traditionis regula, & fundamentum fuere. Verùm non ſimul veniſſe eadẽ traditio conuincit, quandoquidem longã duxiſſe vitam in Galliis Saturninus, & alij ſub Decio paſſi dicuntur: Gatianus autem primo Decij anno in Gallias veniſſe. Non ergo ſimul, & ſemel, ſed per varia horum triginta octo annorum interualla, ab Epiſcopis Romanis in Gallias miſſi fuerunt. Quod nõ ſolùm traditio, acta, & Scriptorum fides confirmant: verùm etiam diſcipulorum tempora manifeſtiſſimè demonſtrant. Etenim Martialis diſcipulus Auſonius

Engolismensis Episcopus, Vvandalis Gallias depopulantibus Galieno imperante passus est. Honestus & Firminus Saturnini discipuli, Regulus, & Quintinus, & alij Dionysij, vel discipuli, vel comites, aliíque, qui hosce Episcopos magistros habuerunt, ad Rictij Vari sub Diocletiano, & Maximiano persecutionem peruenerunt.

XXII. Statuto cùm ex his, tùm ex illis quæ superioribus libris à nobis narrata sunt, certiore horum Episcoporum missionis tempore, intacta superiùs eorum acta percurramus.

XXIII. Paulus scriptis pro fide editis, & pro Christi nomine inter supplicia confessione celebris, Seueri crudelitati in Galliarum decus ereptus Româ, in Gallias missus. Biterris in Narbonensi prouincia consedit, vnde ad vicinæ Metropoleos ciues sanctitatis eius famâ perlatâ, mittitur à Narbonensibus legatio, quâ sanctum Episcopum in vrbem euocarent. Audit Legatos Paulus, & eorum desiderio annuens, substituto in suũ locũ, Aphrodisio Episcopo Narbonam venit. Cuius aduentus memoria quotannis XI. Cal. Aprilis summa celebritate à Narbonensibus colitur, & in antiquo Martyrologio Romano, hoc solũ ingressus, nó transitus die, Pauli nomen celebratur. Multos annos tã ea in vrbe, quã in finitimis prouinciis Christi fidei prædicandæ institit, cuius labori inuidẽs humani generis hostis, duos Diaconos, quos intemperantiæ, & libidinis Episcopus arguerat, in eum commouet. Illi astu diabolico muliebres calceos, tanquã nocturni facinoris indices, Episcopi lecto supponũt.

Dolet Paulus vitam ſuam miraculis, & confeſſione claram, criminis, quod in Diaconibus damnauerat, ſuſpicione pollui, illam vt eluat, Gallicanos Epiſcopos, quos paucos fuiſſe eius vita teſtatur, Saturninum fortè, Afrodiſium, ac ſi qui alij in vicinia erant, Narbonam conuocat, eiſque vitæ ſuæ rationem, & famã iudicandam credit. Conſedere triduò Epiſcopi, tanti viri innocentiam admirantes, cæleſti etiam teſtimonio comprobatam. Cùm enim per triduum aquila in ædis ſacræ culmine reſidens, à deferente coruo eſcam ſuſciperet, neque miſſilibus, & frequentibus populi clamoribus exterrita auolaret; Chriſtianorum turba concurrit, aquilæ pertinaciâ, & ſacerdotum iudicio certam Epiſcopi caſtitatem proclamans. Verũ poſtquam à Paulo, vt vitę ſuæ merita, vel calumniantium errores palàm facere Deus dignaretur, populo, & ſacerdotibus oratio indicta erat, & iam ipſa repetebatur. Diaconi à dæmone arrepti, furore ſubito perciti, & torquente conſcientiam crimine ſui impotes, cuncta incunditis clamoribus miſcere, & paululùm à cruciatu reſpirantes inuidiam erga Præſulem fateri, populum, ſacerdotes, Epiſcopum rogare, ſe ab illo ob incontinentiam caſtigatos, in eum criminis infamiam referre voluiſſe. Cúmque iterùm, & atrociùs à ſecretis tortoribus viſcera rumperentur, inter ciulatus, & queſtus veniam iterùm poſtulare. Negat Paulus ſuis precibus, qui ſacerdotio indignus eſſet, ſolui poſſe, quos ſi innocentia ſua ligaſſet, iamdudum ſe rogante, & offenſam dimittente, bonæ menti reddi oportuerat, populum & ſacerdotes ad orationem

iterùm hortatur. Itaque vniuersa Ecclesiâ ad Deum tertiò proclamante deseruere Diaconos mali spiritus, illíque priori sanitati restituti, dolos, & calumnias, quæque contra Episcopum moliti essent, mirãtibus cunctis detexere. Tum prouoluti ad Pauli pedes Episcopi, cum populo hæsitationis, &, si quam vel leuem habuerant, eius criminis suspicionis reos se professi, cùm veniam ab eo, tum eius erga Deum intercessionem obnixè flagitant. Ille cunctis in gratiam receptis, aquilâ è tecti culmine discedente, Cõcilium dimisit, quo probatâ vitæ sanctitate, Paulus assiduam ad fidem propagandam operam nauans, Narbonæ consenuit.

XXIV. Huius Narbonensis Concilij de Pauli purgatione acta refert vita eiusdem Episcopi, quam antiquam esse ipsius character probat, & ipsa Narbonensium monumentorum traditio confirmat. Acta quoque Dionysij Parisiensis manuscripta consentire videntur, dum Paulum ita laborem domesticæ tribulationis exercuisse dicunt, vt verum Domini esse famulum approbent, ea siquidem verba de Diaconorũ accusatione accipienda sunt. Ipsa Dionysij acta eius socios in Galliarum prædicatione referunt Saturninum, ex quibus circa Saturnini necem Dionysij martyrium accidisse probabile est. Alij quoque Dionysio socij adiunguntur, Iulianus, Nicasius, Regulus, Taurinus, & alij de quibus libro primo actum est, quos ad hæc tempora, quæ describimus reducendos esse censemus. Quapropter illa, quæ dicto primo libro narrata sunt in hunc locũ transferenda, dũ ad Saturnini res

geſtas ex certioribus actis deſcribendas properamus.

XXV. Saturninus Toloſæ Tectoſagum ad Garumnam, Chriſti religione promulgatâ, in Hiſpanias eiuſdem fidei prædicandæ gratia perrexiſſe ex veteri traditione dicitur; Iam ante Honeſtũ Nemauſenſem præmiſerat, qui verbo Chriſti Pompeiopoli prædicato, magiſtrum Saturninum euocauit. Ille accedens Pompeiopolim Fortunatum, Firminum, & Fauſtinum, plurimoſque alios baptizat, ac latè prædicatâ Chriſti religione, pleriſque in itinere pręclaris facinoribus actis, Toloſam redit, cuius Eccleſiam Papulo diſcipulo in Hiſpanias proficiſcens commendauerat.

XXVI. Anno Chriſti CCXLIX. duobus Philippis Auguſtis Conſulibus milleſimus annus ab vrbe condita celebratus eſt, quo anno eoſdem Auguſtos à Pontio, claro poſtmodum Eccleſiæ Gallicanæ martyre, ad Chriſti fidem redactos fuiſſe eius acta referũt.

XXVII. Anno Chriſti CCLI. Decio Imperium capeſſente, à Fabiano Romano Epiſcopo Gatianus in Gallias mittitur: cuius ſedis anni quinquaginta, & vacationis triginta ſeptem ad Lidorij ſecundi Turonenſis Epiſcopi, Conſtantis quoque Imperatoris primum annum, ex Gregorij Turonenſis calculo deducti, rectè miſſionem conſignant. Ille pacis Eccleſiaſticæ, & annorum triginta octo fuit vltimus.

XXVIII. Sequitur annus Chriſti CCLII. qui iam triginta, & octo annis pacis Eccleſiaſticæ elapſis, Decij Imperatoris, & Annij Grati conſulatu notatus, Decianæ perſecutioni initium dedit. Illâ multi in Galliis

ccidere: duo præcipuè ex ſupralaudatis Romanorum Pontificum Legatis Epiſcopis, Dionyſius, & Saturninus. Nam reliqui, vel iam longo ſenio abſumpti cùm grandiori ætate Romã veniſſent, vel fortè ſæuiſſimæ horum temporum calamitati ſuperſtites fuerunt. Dionyſij martyrium damnante Feſcennio Siſinnio actum, libro primo deſcripſimus; quod ad hæc vel etiam poſteriora tempora reducendum eſt. Iam enim cæſo Saturnino illum occiſum conſtare videtur, ex Eugenij Toletani itinere; qui Toloſę poſt Saturninũ ſedens, mortem Dionyſij accepit. Ipſius etiam ſocii ferè omnes demùm ſub Maximiano cæſi ſunt, quare tot annos præceſſiſſe Dionyſii necem non eſt probabile. Præterea illc Siſinius Feſcenninus, qui à Pſeudo-dextro Criſpinus dicitur, fortè ille ipſe eſt Criſpinus, qui circa Maximiani tempora Lugdunenſium Præſes in Ferreolum, & Iulianum animaduertit. Sed cùm longum ſit inter hos Imperatores interuallum, & hæc nullâ aliâ coniectura iuuentur, ad relicta Saturnini acta redeamus.

XXIX. Cùm ergo Saturnini prædicatione Deorum ſimulachra Toloſæ obmutuiſſent, tranſeuntem ante Capitolium Epiſcopum Gentiles, taurum diis ſuis ſacrificaturi, arripiunt. Fugiunt Diaconi, aſſidui in prædicatione Saturnini comites; furentis populi crudelitati ſolus Epiſcopus relinquitur; ac cùm dæmonibus immolare recuſaret, Chriſtum verum Deum eſſe fateretur, ipſorúmque Deos vana dæmonia eſſe aſſereret: parato in ſacrificium tauro funibus alligatur,

alligatur, atque acto ſtimulis in præceps tauro, inter primos Capitolij gradus capite colliſo cerebrum excutitur, & corpus exanime, atque omni ex parte lacerum à furente tauro pertrahitur, donec eum in locum peruenit, in quo poſteriori ſæculo Eccleſia ædificata à tauro nomen accepit. Saturninum iam de martyrio ſecurum, duobus Preſbyteris ſuis imminentem mortem prædixiſſe refert Gregorius Turonenſis, eoſque rogaſſe ne ſe desererent; atque vbi fugientibus miniſtris ſe ſolum aſpexiſſet, oraſſe dicitur, ne vmquam Eccleſia ſua ex his ciuibus Pontificem haberet, quod vſque nunc, ait Gregorius, in ipſa ciuitate ita eueniſſe cognouimus. Verùm Toloſates Epiſcopos ſe depopulares ſuos poſterioribus ſæculis habuiſſe ferunt. Cæterũ notandus eſt hic Scaliger, qui in Lectionibus Auſonianis Saturninũ Rhetorẽ exiſtimat, nomina, & tẽpora cõfundẽs. Saturnini diſcipulus Papulus, qui viuẽti magiſtro in onere Epiſcopali ſubleuando adiutor fuerat, in Toloſano territorio propter Chriſti fidem cæſus eſt, eo in oppido quod ab ipſo nomen habuit, & à Ioanne vigeſimo ſecundo Pontifice Romano cathedram Epiſcopalẽ obtinuit. Vnâ, eademque Decij perſecutione Saturninum, Papulũ, Dionyſium, & alios martyres eorũ ſocios paſſos fuiſſe crediderim ex actis Saturnini, quæ cùm in omnibus manuſcriptis codicibus, tum apud Gregorium Turonenſem Decio, & Grato Conſulibus conſignata ſunt. Qui Conſulis in annum Chriſti CCLII. incidunt, quo pacis Eccleſiaſticæ triginta, & octo anni à morte Seueri, & anno Chriſti CCXIII. exordium

capientes finire debent. Ergo per illa tempora septẽ illi illustres missione Romana Episcopi securè Christi fidem prædicare, plurimosque sub eius iugum redigere potuerunt, & Decio iam persecutionem mouente, tum ij qui ex ipsis superstites fuerunt, tum illi qui eorum hortatu in Christi numeros conscripti fuere, morte sua testimonium perhibuerunt. In his Albigæ in Aquitanis Amarantus, & alij, qui sub Decio in Martyrologiis passi dicuntur. Ad hæc etiam Decij tempora referre debemus, vel martyrium, vel prædicationem eorum, qui septem illis Episcopis socij dati sunt, ita vt qui à Decij persecutione superstites fuerint, ad Valeriani, Chroci, Aureliani, & posteriorum Imperatorum tempora peruenisse dicantur.

XXX. Alij quoque eorum discipuli ad Chroci & Diocletiani persecutiones perdurarunt, vt Ausonius Engolismensis, & illi duodecim Quintini socij Dionysij vel comites, vel auditores. Vni ex illis, cuius nomen inuidit nobis historia (nisi illum ipsum Vrsinum, quem volunt Nathahelem ex ipsis Bituricensium actis, quæ Leucadium, & Lusorem ab Vrsino baptizatos scribunt, esse conjectemur) Bituriges fidem suã debent. Apud quos dum Vrsinus, cũ socijs Christum prædicans consedisset, neque desideratam in conuentus Ecclesiasticos domum obtineret, Leucadij Senatoris, & inter Gallos primi, qui è Vetij Epagathi martyrio Lugdunensi clarissimi genere trahebat originem, ædes accepit. In quarum pretium oblatis in disco argenteo trecentis aureis: Ille tribus solũ pro benedictione acceptis, reliquos remisit, ac cum

Lusore filio baptizatus, domum suam Christianis vsibus dedicauit. Lusor autem filius, in ipsis albis paulò post baptismum decessisse dicitur.

XXXI. Ad hæc tempora Eugenij Toletani, Dionysij discipuli (quem eumdem cum Marcello vno ex duodecim comitibus esse; hac in re solū Pseudo-dextro crediderim) in Galliam profectio referenda est. Iam cæso Saturnino Tolosæ diù sedisse, & à quibusdā Episcopum egisse dicitur: accepta morte Dionysij, hymnum in eius honorem composuisse, & inde profectum propter Parisios cæsum. Honestus presbyter, Paternus Elusatum Episcopus, & alij Saturnini discipuli hisce temporibus Nouempopulorum, Vasconum, & Cantabrorum Ecclesiis à Magistro institutis vitæ sanctitate celebres præerant.

XXXII. Anno Christi CCLIV. tepuit Gentilium furor, atque induciæ potiùs, quàm certa pax Ecclesiæ datæ sunt. Harū initio, in Romana Ecclesia hanc ob causam tumultuatum est. Vacante, Fabiani morte, Petri cathedra, crudo persecutionis tempore, multi à fide defecerant, quos non temerè, sed pensâ pœnitentiâ recipiendos adhibito vicinorum Episcoporum Concilio Clerus Romanus, Nouatiano etiā Presbytero subscribente, decreto lato sanxiuit. Hic ex Gentili Philosopho Stoïco extrema iam agens sacro baptismate in lecto persusus, à Romano Episcopo per ambitionem, & gratiam ordinatus erat. Hos enim, quos κλινικοὺς Græci vocant, in lecto, & imminentis mortis articulo baptizatos, & aliqui malè Clynomenos, aut Clydomedos apud Cyprianum explicant,

vbi Thlibomenos, id eſt, afflictos, & pauperes legendum eſt; vitæ reſtitutos ad ſacros ordines promoueri vetus Eccleſiæ obſeruatio prohibet. Cumque poſt longum inter-Pontificium Fabiano ſucceſſor eligeretur, Nouatianus turbas agere, Epiſcopatum ambire. A quo prælato Cornelio repulſus ſeditionem mouet, quaſi Cornelius libelli ſubſcriptione conſcientiam polluiſſet, & lapſis temerè communicaſſet. Nam duo lapſorum genera his temporibus obſeruabantur; alij Sacrificati, vel Thurificati; alii Libellatici, ſic dicti: illi qui thure, vel ſacrificiis Idola coluiſſent, erga quos Eccleſiæ decreto ſeueriùs actum eſt: hi, qui cùm ad ſacrificandum cogerentur, datâ pecuniâ ſe à ſacrificiis redimebant, ac inſuper vel per ſe, vel per alium, cui id mandabant, apud acta Magiſtratuum, aut in libellis à Magiſtratu oblatis, ſe Chriſtum negaſſe, & Idolis ſacrificaſſe teſtarentur, & ſubſcriberent. In quos moderatè ſe geſſit Eccleſia, & poſt aliquam pœnitentiam recepit. Obſeruata tamen certa tẽpora, & gradus quidam, per quos lapſi Eccleſiæ recõciliandi decurrerẽt, nec ante cuiquã Chriſtiano illis communicare licebat, quàm peractâ indictâ ab Epiſcopo pœnitentiâ in Eccleſiam pœnis Eccleſiaſticis abſoluti ſolemni more recepti fuiſſent. Eorum criminum reum Cornelium Nouatianus infamat, & pace morte Decii Eccleſiæ redditâ, Confeſſores è carceribus excipit perſuaſos, nefas eſſe Chriſti martyres pollutis ſacrificiis hominibus ſociari. Fruſtra lapſos ad pœnitentiam recipi, quos ſolus Chriſtus poſſet abſoluere: Atque parùm an libello, an thure, an territi, an coacti pecca-

uerint, intereſſe, Stoïco genio omnia peccata paria eſſe aſſerens. Vrgebat itaque ſolutos vinculis, ne ad pollutum lapſorum cõmercio Corneliũ accedentes, eiuſdem criminis participes fierent. Hos in vnã partẽ, puram, & innocentem à ſuis vocatam, collectos, dum Sacro-ſanctam Euchariſtiam diſtribueret, ad tremẽdum ſacramentum coniurare coëgit, ſe ad Corneliũ non reuerſuros. Acceſſerat Romam ſub ipſo ferè perſecutionis initio Nouatus Preſbyter Carthaginenſis, diuerſorum criminum reus, Cypriani iudicium fauẽtibus eius latebris, & perſecutione ſubterfugiens. A Nouatiano in communionem receptus, negatum à Catholica Eccleſia Epiſcopatum à ſuis accipere illi perſuadet. Statuendum Cornelio aduerſarium gradu, & ordine parem, Eccleſiæ ſuæ dandum Præſulem: ſuos facilè, vt partis, & factionis maculam eluant, eam in ſententiam ituros; ſcilicet ipſum qui Preſbyter cuncta regit, & eos primus ab aliorum contagione liberauit, illicò eligendũ. Quid de Cornelio, ne curet, vbi enim in ipſum conſenſum, vniuerſam per orbem Eccleſiam tot martyrum Chriſti, tot Confeſſorum iudicium ſecuturam. Annuit Nouatianus, quem iniuriæ non oblitum torquebat ambitio, & opinionis ſuæ pertinaciùs amantem mens Stoïca fecerat. Vocantur ex minima quadam Italiæ parte, vanâ concordiæ ſpe deluſi tres Epiſcopi, minimè mali homines, ſimplices, humanarúmque artium ignari. Hi in conclaui incluſi, horâ iam decimâ crapulâ oppreſſi, iuranti ſe numquã Epiſcopatum ambiuiſſe Nouatiano temulentas, & ſacrilegas manus imponunt. Apparet quaſi

ex taberna repentè formatus Episcopus, eóque nomine per vniuersas Ecclesias pacificas literas mittit. Cornelium erroris, Idololatriæ, & pollutæ communicationis accusat: inuitũ se à martyribus electũ, vltrò delatam dignitatẽ recusare nequiuisse. Adiicit decretum, ne lapsis Ecclesiastica communio tribuatur, Deo, penes quem tota sit dimittendi potestas, remissionem esse relinquendam.

XXXIII. Nouato, & aliis in Affricam legatis cum literis, non leue quibusdam insignium martyrum testimonium visum est: quo delusi, damnando schismatico adhæserunt Martianus Arelatensis Episcopus acceptis à Nouatiano literis, ipso fortè Nouato, dum in Affricam pergeret, ad maritimam Galliæ oram applicante, lapsos ab Ecclesia eiicit, & à Cornelii, eorũque, qui lapsos reciperent, communione se abstinet. Fortasse nondum ab Ecclesia Gallicana quidquã hac de re statutum erat, & cùm vniuscuiusque Ecclesiæ Episcopus, iuxta verum, aut simulatum pœnitentium dolorem, aut propter martyrum intercessiones pœnâ diminutâ sacris mysteriis eos reconciliaret. Primus Martianus ostium Ecclesiæ illis occludere, extra atriũ eiicere, pœnitentiam negare, quodque superbius, à fratrum eos recipientium communione se subducere. Attoniti rei nouitate, & viri fastu Galliarum Episcopi, in vnum deliberaturi conueniunt. At cùm decretum aliud à prisca obseruatione non occurreret, audirentque tam Romæ, quàm in Affrica ab Episcopis diuersa sentientibus, hac de causa Ecclesiæ pacem esse turbatã, neque quis iure potiore certaret, agnos-

cerent, iudicium ſuſtinent, donec ſcribente, communi nomine Fauſtino Lugdunenſi Epiſcopo, hoc ſuo, & Irenæi exemplo futuræ poteſtati, ſemina iaciente, & Româ, & Carthagine rei veritaté acciperent. Non reſcribens Cyprianus, ſecundis literis compellatur: ille Stephanum Romanum Epiſcopum, ad quem etiã à Gallis ſcriptũ fuerat, cõmunis curæ admonet. Pullulantem hęreſim communi ſtudio extirpandam, iuuandos conſilio Epiſcopos, cúmque in ſuis Eccleſiis Romæ, & Carthagine lapſis poſt pœnitentiam communio permiſſa ſit, eius literis illos monendos totâ ſchiſmatis cauſâ diligenter narratâ, vt ſuperbientem Martianum, iam ante à ſe ipſo abſtentum, dubitantibus fratribus indemnatum, deponant, aliúmque ſubſtituant. At quoniam ad ipſum priùs totius rei tranſactæ ſeries peruentura erat, quem elegerint Galli, & ad quem in poſterum ab Affris ſcribendũ ſit, per ipſum accipiat. Scripſit procul dubio Stephanus, & ab eo iã lati tã Carthagini, quã Romæ decreti, & Nouatianæ hæreſeos Galli facti certiores, iterùm conuenere, ac pertinacem Martianum damnantes, alium communi ſuffragio ſuffecerunt. Hîc veterum monimentorũ fide deſtituimur, adeò vt nec loca, nec tempora horũ duorum Conciliorum, neque alia eorum acta, vel Epiſcoporũ nomina deffinire poſſimus. Magno tamẽ exemplo, & vſui eſſe poſſunt, hæ qualeſcumque naufragæ antiquitatis tabulæ, ex Cypriani Epiſtolis collectæ. Nam Gallorum patrum conſuetam in rebus Eccleſiaſticis diiudicandis æquitatem demonſtrant, inconſultis præcipuis Occidentis Epiſcopis Roma-

no,& Carthaginensi,neque nouum circa lapsos morem in Ecclesiam introducere,neque superbientem, & quantumuis se ab vnitate communi separantem, collegam damnare voluerunt. Namque iure circa lapsos trepidabāt,quis sub Aurelij persecutione ab ipsis martyribus recepti, quo iure nunc primùm sub Decio reiici possent non animaduertebant. Succurrebat prius illud ęquitatis exemplum,at nullâ lege latâ,Romanorum,ac Carthaginensium nomen,quorum potiorem circa hanc rem partem ignorabant, eorum animos suspendebat. Eius etiam iuris incerti,ne collegam damnantes,Italorum,& Affricanorū partibus præiudicium aliquod ferrent,potestatem suam sustinuerunt: donec Romanorum, & Carthaginensium rerum certiores facti, iam ab antiquo morem in Galliis circa lapsos obseruatum lato decreto confirmarent, atque aduersantem Martianum nullâ aliâ aduocatâ potestate suo imperio deponerent, & illi successorem eligerent.

XXXIV. Hæc sub tribus Episcopis Romanis Cornelio,Lucio,& Stephano acta sūt. Sub Cornelio,quidem anno Christi CCLIV. Nouatianus cum martyribus, & Confessoribus secedens, Pseudo-Episcopus constituitur: Nouatus in Affricam ab eo legatur; & Martiano communicat. Anno CCLVII. quo primū in causa Martiani Arelatensis Concilium, & anno proximè sequenti, vel LIX. secundo Concilio Martianus depositus est. Quæ omnia vno contextu propter historiæ ordinem descripta sunt. Nunc ad Cornelij tempora redeamus. Cornelii Romani Episcopi

Lupicino

Lupicino Viennensi scripta legitur Epistola, qua edictorum ab Imperatoribus in Christianos scriptorum certiorem reddit, per Imperatorem Romæ agentem, neque publicè, neque in cryptis notioribus missas agere licere, eúmque ad confessionem, & martyrij palmam hortatur. Hanc tamen epistolam suspectam falsitatis reddunt, cùm Lupicini, tum Cornelij Episcopatus anni, nam Cornelio, vt iam diximus successit Lucius anno 255. Galli, & Volusiani secundo, Lucio Stephanus anno tertio Imperatorum Valeriani, & Galieni, Christi 257. Stephano Sixtus anno Christi 260. quo Imperator Valerianus captus est, sub quo demum Lupicinus Viennensis floruit, Florentino decessore in exilium misso, ex Adone in Chronico, qui tamen adeò perturbatè res aliquando describit, vt ob hanc solum temporum rationem ex eo deductam, epistolæ Cornelianæ fidem detrahere nolimus.

XXXV. Cornelio sedente, eóque auctore translatam ab Euodio Velaunorum Episcopo in montem Anitium Ecclesiam, eius monumenta narrant.

XXXVI. Anno Christi CCLIX. Valerianus à quodam Ægyptio mago persuasus, in Christianos sæuiit, rescripto ad Senatum dato, & missis ad Præsides prouinciarum epistolis, quâ persecutione in Galliis passos aliquos fuisse constat.

XXXVII. Anno Christi CCLX. Taurinus Ebroïcēsis imminentem Galliis ab Alemannis persecutionē animo præuidens, crebris orationibus populi sui salutem postulans, decretâ à Deo, Galliarum vastatione, sibi commissi gregis fœlicitatem obtinet. Sixto Ro-

mano instante eius martyrio, suáque morte, legationem mittit.

XXXVIII. Valerianus in impietatis vindictam anno Christi CCLXII. à Persis captus est. Quo facto Galienus permotus, edictis per omnes prouincias propositis Christianos liberè agere, & in cœmeteriis conuenire permisit. Non ideò tamen imperante Galieno quieuit Ecclesia Gallicana, quæ licèt Imperatoris Romani beneficio libera esset, eius tamen segnitie, & irrumpentibus Barbaris, & diuidentibus Tyrannis secura non fuit. Nam Galieno propter luxuriam à militibus contempto, diuersi per varias Romani Imperij partes Imperatores electi sunt. Galli Posthumium Trans-Rhenani limitis Ducem, & Galliæ Præsidem, occiso Salonino Galieni filio in Imperatorem sibi præficiunt, qui talem se præbuit per annos septem, vt Gallias instaurauerit. At illo rebellione Lolliani interfecto, ipso Lolliano Victorinis, Victoria, & Tetrico succedentibus in nomen Imperij, Alemanni in Gallias irrupere, quas demùm Probus anno Imperij secundo, Christi CCLXXX. vindicatas à Barbaris Imperio Romano restituit.

XXXIX. Plures leguntur Alemannorum in Gallias irruptiones, sub quibus Christiani passi sunt. Inter alias illustris est Chroci eorum Ducis depopulatio, cuius tempus apud authores varium est. Nam Sigebertus Chroci, quem Chroscum vocat, vastationem ad annum Christi 412. & passos sub eo Florentium, Hilarium, Desiderium Lingonensem, & Antidium Vesuntionensé scribit. Cui conueniunt acta manu-

ſcripta Deſiderij, & Antidij, quæ ad Honorij, & Theodoſij tempora referunt. At Gregorius, & alij plurimi, Valeriano, & Galieno Imperantibus Chrocum Gallias ingreſſum, in Priuatum Gabalitanum, & alios ſæuiiſſe ſcribunt. Hunc, Chrocum Gregorius, Scorconem Priuati vulgaria acta, Herodem eadem acta apud Mombritiũ appellant: conſtantiùs tamen eſt Chroci nomen, quem ſub Valeriano, & Galieno Gallias peruagatum fuiſſe ampliùs dubitandum non videtur, vel ante Valerianum captum, vel capto Valeriano, ſub Galieno, vel Poſthumio demum cæſo ſub tyrannis. Toties enim in Gallias hiſce temporibus irruperũt Alemanni, donec à Probo vltra Nicrum fluuium, & Albim expulſi ſunt.

XL. Chrocum matris ſuæ conſilio collectâ Alemannorum multitudine in Gallias ingreſſum, cuncta vaſtaſſe, & antiquiſſima ædificia ſolo æquaſſe referunt. Rheno Ponte traiecto, Treueros & Mediomatricas depopulatur, ac cunctis quæ prætergreditur deuaſtatis, Engoliſmam obſidet. Sedebat ea in vrbe Auſonius Epiſcopus, Mauritaniâ Sanctonum oppido oriundus, Martialis diſcipulus, clarus miraculis, qui pro ſuo populo longâ obſidione liberando animam poſiturus ad Chrocum exit. Tibi, inquit, Deus iuſtus criminum noſtrorum vindex nos dedit; Tu illius in nos irã exerce. At cùm tibi reſiſtendi populo primus ego author fuerim, in me ſolum vindica, & illũ liberum dimitte. Hortatur Chrocus ad Idololatriam Auſonium; ſeque Deum, & Deorum nuntium prædicans, ſacrificare recuſantem Epiſcopum capite ple-

ctit. Inde Aruernos penetrans, in vetus delubrum, quod patriâ linguâ Vasso Galli nuncupabant, opere miro constructum incurrit. Illi paries duplex, pedes triginta crassus; exterior lapidibus quadratis; interior minutis compositus, musiuo, & marmore variatus; pauimentum marmoreum, tectum plumbeum erat. Hoc funditus euertit Chrocus, & incendit, nullâ vel loci superstitione, vel operis structurâ, & antiquitate tactus. Seruus huius templi Victorinus dum Vicum, quem Christianorum vocant, eorum persequendorum gratia frequentaret, Cassij prædicatione, & miraculis motus, Christo credit, vnáque cum eo martyrij palmam reportauit. Alemannus latè Aquitaniâ vastatâ, obsidet castrum in Gredonensi monte apud Gabalos situ inexpugnabile, (eò vicinarum regionum incolæ Barbarorum metu confugerant,) iuxta montem ad vicum Mimatensem, in quo priores Episcopi Gabalitani erant sepulti. Priuatus Episcopus intra cryptam montis supercilio imminentem secesserat; neque inde, nisi sacrorum faciendorum causâ, progrediebatur. Cùm autem repulsi acriter Alemanni, capi posse castrum diffiderent, ad Episcopum accurrunt, & per interpretem orant, vt ad deditionem ciues suos hortetur. Absit (inquit Episcopus) vt rapacium luporum furori gregem exponam, pro quo vitam ponere debeo, & paratus sum. Instant Barbari, & fustibus cæsum ad sacrificandum compellunt. Negat Episcopus, & acrioribus flagris, ferro, flammis, nouisque pœnarum generibus cruciatus, in confessione perseuerat. Attoniti viri constantiâ Barbari, ad Gre-

donenſe caſtrum redeunt, & quam ipſi dare noluerant, ab obſeſſis pacem poſtulant. Exeunt ciues caſtro, Epiſcopo gratulabundi, & ad eius iam ferè exanimis pedes prouoluti, receptæ libertatis gratias agunt. Non diu tamen populi ſui liberationi ſuperfuit Priuatus, illatis enim à Barbaris ſuppliciis toto corpore concuſſus, paulò poſt animam Deo reddidit. Chrocus Galliis tranſcurſis, tandem impietatis ſuæ pœnas ſoluens, à Mariano Præſide Narbonenſi Arelate captus, & per victas vrbes cum ignominia traductus capite damnatus eſt. Quod Sigibertus ad Chrocum, qui ſub Honorio Gallias eſt ingreſſus anno quadringenteſimo duodecimo, refert. Hic autem Marianus Præſes fortè, Macrinianus ille eſt, qui anno Chriſti 269. Galieni 15. Conſul in faſtis legitur.

XLI. Turbatæ his temporibus fuerunt à diuerſis tyrannis Galliæ, quorum factionibus fortè aliqua Chriſtiani paſſi ſunt, cùm crebræ Gallorum proſcriptiones eo tempore legantur. Ita Victorino Imperiũ inuadente, Cæcilium Argitium Arboricum, auum ſuum Auſonius ſcribit, Lugdunenſi prouincia proſcriptum, in Aquitaniam ad Tarbellos profugiſſe. Si qua tamen ſub tyrannis in Galliis Chriſtianorum perſecutio fuit, illa capeſſente Imperium Aureliano circa annum Chriſti CCLXXI. recruduit. Hic enim cùm adhuc Tetricus ex Aquitaniæ Præſide Imperator factus Gallias obtineret, eas petiit, atque ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente, quòd eius ſcelera ferre non poſſet, debitas ſibi legiones obtinuit. Qua expeditione an in Chriſtianos ſæuierit, vel cùm iterùm

in Gallias profectus Vindelicos obſidione barbaricâ liberauit, incertum eſt. Primum illius in Gallias aduentum anno Chriſti CCLXXIV. poſteriorem ſequenti CCLXXV. notare poſſumus.

XLII. Venientem ab Oriente Aurelianum, poſt deuictam ſcilicet Zenobiam, ipſo quarto Imperij anno incipiente, Gallias ingreſſum fuiſſe acta Columbæ martyris teſtantur. Illa Senonis octauo Calendas Ianuarias, quo die vrbem ingreſſus dicitur Imperator, perquiſitis Chriſtianis, exhibetur. Hortatur Imperator vt fidem deſerat, & in Deorum religionis præmium, Aurelianum Cæſarem filium ſuum in coniugem accipiat. Irridens vana Imperatoris promiſſa Columba, in Amphitheatro recluditur, & vulgati corporis iuuenem Barucam nomine ad vim inferendam immiſſum, & irrumpente vrſâ de cauea, iamque illum dilacerante, nimio terrore conſtrictum, adiuratâ per Chriſti nomen vrsâ, ad Chriſti religionem adegit. Expaueſcens tanto prodigio Aurelianus, rogo impoſitam Columbam cum vrſa incendi iubet; at Columbæ precibus ſoluta aufugit vrſa, & extincto igne per repentinum imbrem, Columba incolumis euaſit. Maleficio id actum exiſtimans Aurelianus, necandam lictoribus Columbam permiſit, à quibus redemptâ Anobolarij ſui munere oratione, & voce quæ eam inuitaret de cœlo auditâ, gladio vitam finiuit pridie Calendas Ianuarias. Inde Trecas proficiſcens Aurelianus in Pa-

troclū animaduertit. Hic in ſub-vrbano Trecaſſino orationibus, & vigiliis vacans, ad Imperatorem delatus, Chriſtum abnegare renuit, neque carcere triduano, cathenis ignitis, fuſtibus, & flagris ad ſacrificandum coactus, gladio ad Sequanam damnatur ab Aureliano, vt abſumptū aquis cadauer, nullâ à Chriſtianis religione coleretur. At auditâ à Domino oratione, ſicco veſtigio flumen Patroclus tranſit, & indicante feminâ à percuſſoribus repertus, duodecimo Calendas Februarias capite plexus eſt. Eius acta diū abſcondita, tandem ex Italia ab exercitu in Galliam delata fuiſſe ſcribit Gregorius Turonenſis libro primo miraculorum capite ſexageſimo quarto. Eadem in vrbe Tricaſſina Claudius, Iuſtus, Iucundinus, & quinque ſocij duodecimo Calendas Auguſti eodem ſub Aureliano paſſi ſunt. Quare vel longum tempus Trecis commoratum fuiſſe Aurelianum dicemus, vel ad aliam eius profectionem referemus.

XLIII. Sauinianus in eodem Trecaſſino territorio à Præſide Criſpino, Aureliano iubente comprehenſus, cuſtodias ſuas quadraginta-octo milites ad Chriſti fidem conuertit. Aptatâ eius capiti igneâ caſſide, in ignem quoque miſſus, & ad vectes ferreos cæſus, ſeruatur illæſus. Immiſſa in eum iacula intacto corpore ab vtroque latere aëre ſuſtinente ſuſpenduntur, vnumque irridentis Imperatoris oculum ferit. Quare furens Aurelianus gladio in eum anim aduerti iubet; ſed capitis ſententiam executuri ſatellites precibus Saui-

niani obcœcantur, & ille Sequanam ſicco pede tranſit. Accurrunt deinde milites, Sauinianum percutiunt, ipſo timorem eorum reprimente, & ſui ſanguinis guttam ad Imperatorē deferri rogante. Ignoſci ſibi poſtulant à Sauiniano iam cæſo, & caput abſciſſum ad pedes quadraginta nouem martyrum deferente. Accepto linteo ſancti ſanguine perfuſo, Imperator à vulnere iaculi ſanatur. Cæſo iam Sauiniano, Sauinam ſororem, poſt perquiſitum diù multúmque fratrem, Romæ ab Euſebio Papa baptizatam, & multis miraculis claram, Trecas ſecundùm diuinam reuelationem veniſſe; ibíque paulò pòſt ſepultam fuiſſe acta referuut. Quæ alia quoque multa veritati parùm conſentanea ſcribunt, ex quibus hoc vnum notaſſe ſufficiat: Sauinam mortuam ſtatim poſt mortem fratris, quæ anno Chriſti 275. contigit, ab Euſebio Romano Pontifice, qui anno 309. Marcello ſucceſſit, baptizatam fuiſſe. Adeò incerta, & confuſa ſunt traditionis noſtræ monumenta, quæ, ne ſingula percurrens tædio ſim: hac eadē perſecutione, decimo-octauo Cal. Decemb. eadem in vrbe Tricaſſina Venerandam martyrem, & alibi pleroſque cæſos fuiſſe indico. Alij quoque, qui ſub Aurelio paſſi ſunt ad hanc perſecutionem à pleriſque referuntur.

XLIV. Aureliano cæſo iterùm Gallias Alemanni deuaſtarunt; At Probus in Romani Imperij decus poſt momentaneum Taciti, & Floriani Imperium aſſurgens, aſſerto ſibi Imperio circa Chriſti annum CCLXXX. cum magno exercitu Gallias petit, quæ omnes occiſo Poſthumio turbatæ fuerant, interfe-

cto

cto Aureliano à Germanis possessæ. Tanta autem illic prælia fœliciter gessit, vt à Barbaris septuaginta per Gallias nobilissimas reciperet ciuitates, & cùm iã in ripa Rheni Romana, imò per omnes Gallias Barbari securi vagarentur, cæsis quadringentis millibus, qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum fluuium, & Albim remouit.

XLV. Probo succedens Carus circa annum Christi CCLXXXII. aut III. Carinum alterum ex filiis, hominem omnium contaminatissimum, adulterũ, frequentem corruptorem iuuentutis, cum nomine Cæsaris Galliis præfecit. Quem inter tot impudicitię, & crudelitatis facinora, à Christianis manus non abstinuisse crediderim. Constantiæ in Gallia Pelagium damnante Euilagio Iudice sub Numeriano Imperatore passum fuisse refert Martyrologium Romanũ 5. Calend. Septemb. Sed Numeriani loco Carinum reponendum esse non ambigo. Numerianus enim vnà cum patre in bellum Persicum profectus est: Carinus in Gallias, propter quod Carus se miserum dixit, quòd Carinum ad Gallias Principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani, vt illi Gallicanum, quod maximè constantem Principem quærit, crederetur Imperium.

XLVI. His sub Imperatoribus post Decij persecutionem ad restituendam Ecclesiam Româ missi varij Episcopi, quorum aliqui Dionysij, & aliorum septem Episcoporum discipuli, aut socij dicuntur. Duodecim præcipuè Dionysio (vt quidam volunt) duce, Quintino (vt alij scribunt) in Belgicam vene-



ECCLESIAE GALLICANÆ HISTORIARVM,

LIBER QVARTVS.

I. SÆVISSIMAM omnium persecutionem ingredimur, quæ Diocletiano, & Maximiano imperantibus vniuersum latè orbem profligauit. Carino ad Murgum occiso circa annum Christi CCLXXXV. solus regnat Diocletianus. Qui Helianum, & Amandum per Gallias excitâ manu agrestium, & latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis agris vrbes tentare comperiens, Maximianum Cæsarem nuncupatum ad eos comprimendos in Gallias mittit. Hanc expeditionem iam Cōsulem creatum Maximianum

ſuſcepiſſe videtur indicare Claudius Mammertinus in Panegyrico, dum ait. Ipſo primo ſui conſulatus die officia Conſulis inchoaſſe, Imperatoris impleuiſſe, togam prætextam ſumpto thorace mutauiſſe, haſtam poſito ſcipione rapuiſſe, à tribunali veniſſe in campum. Qui conſulatus cum Diocletiani tertiùm collegio, in annum Chriſti CCLXXXVII. incidit. Cùm autem Octodurum Valenſium ciuitatem perueniſſet, conciliandis ſibi Dijs exercitum luſtrari, milites ſacrificare iubet. Thebæa legio Chriſtiana ab Oriente euocata, ne ſacrificiis nefandis pollueretur, ad octo millia paſſuum Agaunum ſecedit. Hæc legio in tranſitu Romæ à Marcellino Epiſcopo confirmata dicitur, contra temporum rationem. Cùm enim Maximianus, ſtatim atque Cæſar renunciatus eſt, in Gallias venerit (nam in eam rem creatus videtur) vel primo ſuo conſulatu, cœpto iam Imperio, conuenire nequeunt profectionis huius legionis, & Marcellini Epiſcopi Romani tempora. Nam huius electio in annum Maximiani XIII. aut XIV. incidit. Porrò duæ fuerunt Thebææ legiones, quæ ſub Magiſtro militũ per Thracias militaſſe leguntur in Notitia Imperij Romani; prima Thebæorum Maximiana; altera tertia Diocletiana Thebæorum: Hæc, Diocletiana eſſe potuit, vel alia Thebæorũ, quæ hac perſecutione cæſa, & per Maximianum reſtituta, ab eo deinde nomen accepit. Secedentem legionem, intellecto eius propoſito, per nuncios commilitonum exemplo ad immolandũ Imperator hortatur. Verùm Mauritius Legionis Tribunus, Exuperius Signifer, Claudius vir

clariſſimus, reſpondere: Velle legionem contra hoſtes pergere, ad militiam, non ad impietatem conſcriptam, ſub ſignis voluntatem Cæſaris expectare, mandata exequi paratam, modò ne Chriſtianis hominibus nefarius Idolorum cultus imperaretur. Non tulit hæc verba Maximianus, ſed decimum quemque recuſantis legionis ſorte ductum necari iubet, ac cùm ſuperſtites ad ſacrificandum in caſtra redire iuſſi, non parerent, decimus quiſque pœnas luit: atque in reliquos, pari conſtantiâ vano Deorum cultu abhorrentes, totus exercitus irruptionem facit. Abiectis clypeis, corporibus aduerſis, inermes Chriſtiani furentes commilitones excipiunt, & quando pro cœleſti præmio certabant, indefenſi ad vnum cecidere. Exercitus, ac ſi de hoſtibus victoriam reportaſſet, Dijs gratias per ſacrificia, & epulas egit; quas inter Victor veteranus miles ſe tot Chriſti militibus ſuperſtitem querens, & Chriſtianum ſe eſſe prodit, & à furente milite obtruncatur. Ex hac legione, tantæ cladi multos ſuperfuiſſe vetera martyrum acta narrant: Ex quibus Solodori Victor, & Vrſus primò iubente hoc Imperatore diris ſuppliciis excruciati, cœleſti lumine tortorum oculos perſtringente erepti, deinde in ignẽ miſſi, ſed nullâ corporis parte læſi, nouiſſimè capite plexi ſunt. Alios etiam ex hac legione ſub Maximiano paſſos in Martyrologiis legimus, quos ad Maximiani in Carauſium expeditionem referendos arbitramur. Huic Maximiani in Bagaudas profectioni Victoris Maſſilienſis martyrium eius acta adſcribũt, quæ ſi veram temporum rationem ineunt, cùm Vi-

ctoris martyrium in duodecimum Calendas Augusti, & legionis Thebææ clades in 10. Calendas Octobris incidant, priùs Massiliæ quàm Octoduri venientem ex Italia Maximianum egisse oporteret, quod tamen itinerum rationi minimè consentaneum est. Requirenda est igitur alia Maximiani Massiliæ mora, qua in Victorem animaduertisse dicatur. Nunc Gallias ingressus leuibus præliis hostes fundit, aut deditos recipit, & quieta omnia relinquens Romam redit.

II Vix dum tamen rusticorum tumultu sopito, barbaræ nationes excidium vniuersæ Galliæ minantur. Neque solùm Burgundiones, & Alemanni, sed etiam Cahibones, Erulíque in has prouincias irruunt. Redit Maximianus, & paucis cohortibus magna internecione Barbaros delens, bellum confecit. Hoc in bello Carausius vilissimè natus, Menapię ciuis in strenuum ordinem militiæ promptioribus factis famam egregiam consecutus, enituit. Quare apud Bononiã per tractum Belgicæ, & Armoricæ cùm gubernandi artis, quâ adolescentiam mercede exercuerat, gnarus haberetur, pacandum mare, quod Franci, & Saxones infestabant à Maximiano accepit. Quo elatior, nec prædâ integrâ, aut prouincialibus redditâ, aut Imperatoribus missâ, cùm suspicio esse cœpisset, consultò ab eo Barbaros admitti, vt transeuntes cum præda exciperet, atque hac occasione se ditaret, à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupauit. Mouet in eum Maximianus iam Augustus à Diocletiano declaratus, & in paranda classe an-

num integrum Treueris insumit, vt testatur Claudius Mammertinus in Panegyrico, quem coram illo eo tempore in eadem vrbe dixit. In huius expeditionis subsidium milites ex Affrica euocati, quorum trecenti quinquaginta vnâ cum Gereone, Victore, Cassio, & Florentio Christianis ducibus, ad Rheni fluminis ripam pro Christi confessione cæsi sunt.

III. Intereà orbe toto turbatur: In Ægypto Achilleus Imperij insignia induit, Affricam Iulianus, ac nationes Quinquegentanæ; Orientem, Persæ Duce Narseo grauiter quatiunt. Imperatores in curarum Imperij partem Cæsares adsciscunt, Diocletianus Iouius Constantiũ, Maximianus Herculius Galerium, & diuiso orbis Imperio Maximiano Affrica, Italiáque; Galerio Illyrici ora vsque ad Ponti Fretum; Constantio cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt obtigere: cætera Diocletianus cum Imperij summa retinuit. Hæc Annibaliano, & Asclepiodoto Consulibus circa Christi annum CCXCII. acta fuisse vero similius est. Quo anno Constantij in Gallias Imperij fœlicia Ecclesiæ auspicia statuenda sunt. Cũ enim ille Christianam religionem colens à fidelium sanguine abstinuerit, nullam ab hoc anno, eius Galliarũ administrationis primo, in Christianos persecutionẽ fuisse aliquando existimabamus. Verùm cùm ab hoc tempore occupato contra Barbaros Constantio, neque fortassis Christi nomen agnoscente, pro consuetudine, & solito Gentilium furore multi in Galliis Christiani cæsi sint: ad Imperatorum abdicationem pacem Ecclesiæ differemus.

IV. Intra ea tempora plures, tam ipſo Maximiano iubente, quàm damnantibus eius Præſidibus in Gallijs paſſi ſunt. Maximianus ipſe animo ferox, & ſemiagreſtis Maſſiliæ agens in Chriſtianos curioſiùs perquiſitos ſæuiit. Cùm iam carceres impietatis reis implerentur, Victor miles ſedulus Chriſti confeſſor noctibus ſingulis Chriſtianorum domos frequentás, & ad conſtantem confeſſionem exhortans deprehenditur. Tribunali Magiſtratus exhibitus, non audit religionis abnegationem ſuadentes, ac cùm conſtantiſſimè Chriſtum profiteretur, propter dignitatem, ad Maximiani audientiam mittitur. Minatur Imperator, & ni ſacrificaret, mille ſuppliciorum generibus fruſtrà territat. Nam Ieſum ſemper prædicans Victor terrores, ac minas Imperatoris contemnit: Ille furens funibus vinctum per totam vrbem, cum ignominia volutari iubet, eo ludibrio fore vt moueretur, exiſtimans. At Victor ad tribunal Iudicis ex hoc fœliciſſimo dedecore reductus, Deorum Gentilium vanitatem, & Chriſti diuinitatem eleganti oratione demõſtrat. Vrget iterùm Iudex Aſterius, cui in torquendo Victore diſſentiens collega Eutychius, locum ceſſerat, & perſtantem in Chriſti confeſsione Victorem iubet affigi, ac crudeliſsimè torqueri. Inter ſupplicia viſus Victori Chriſtus voce ſolatur, ac cùm iam laſsi tortores deficerent, de patibulo depoſitum in carcerem trudunt. Nocte iterùm à Chriſto inuiſitur, lumine carcer impletur, cuius ſplendore cuſtodiæ milites obſtupefacti, ad pedes Victoris prouolui, Chriſtum agnoſcere, & Sacerdotibus aduocatis, in mari proximo

proximo baptizari. Hæc accipiens Maximianus Victorem tanquam authorem ſceleris duriùs torqueri, & milites Alexandrum, Longinum, & Fœlicianum, niſi immolaſſent capitali ſententia damnat. Præmiſſos martyres Victor ſequi inſtantiſſimè poſtulat, at conclamantibus vndique turbis, iterùm ſuſpenditur, fuſtibus, & neruis cæditur, in carcerem retruditur. Poſt triduum Maximianus exhibitum ſibi ad Ioui ſacrificandum hortatur: nihil agens, in piſtrinum duci iubet. Victor molæ ſuppoſitus quaſi Chriſti frumentum teritur, & cùm machinâ ruptâ adhuc reſpiraret, gladio vitam finiuit. Efflante animam Victore, cœleſtis vox quædam ſuperintonuit dicens: Viciſti Victor beate, Viciſti. Eius corpus iuſſu Maximiani in mare projectum prouidente Deo in littus eijcitur, & à fidelibus in vicina crypta ſepulturæ mandatur.

V. Hac eadem Maximiani perſecutione ſub Preſidibus Rictio Varo, Criſpino, & Daciano Chriſtiani teſtimonium fidei vitâ ſuâ reddiderunt. Ex his plures vel iam mota à Diocletiano Romæ perſecutione, vel prioribus ſub Principibus, profligatæ in Gallijs fidei reſtituendæ cauſâ venerant. Hi Quintinus, Regulus, Valerius, Ruffinus, Eugenius, Lucianus, Criſpinus, Criſpinianus, Piaton, & alij ſimul Româ miſſi dicuntur, quorum aliqui priſcorum Galliæ Epiſcoporum ſocij in aliquibus veteribus actis fuiſſe leguntur, vt ſuperiori libro ſcripſimus; adeò hiſtorica veritas in incerto, & obſcuro iacuit.

VI. Rictius Varus, qui modò Præfectus Galliarũ, modò Belgicæ Præſes dicitur, in prouinciis Belgicis

Imperatorum edicta ſequutus, in multos Chriſtianos animaduertit. Treueris Belgicæ primæ Metropoli plurimos cæſos fuiſſe conſtat ex Martyrologio, in quo pridie nonas Octobris innumerabilium penè martyrum ſub Rictio Varo paſſorum Treueris memoria celebratur. Quorumdam nomina refert Sigebertus in Chronico ad annum MLXXI. ex aurea inſcriptione ad eorum tumulum poſita; illi Palmatius, quem Conſulem, & Patricium Treuerorum vocat, cuiuſque cõmemoratio tertio Nonas Octobris, Thyrſus ex Principibus legionis Thebææ, ſeptẽ vrbis Senatores Maxentius, Conſtantius, Creſcentius, Iuſtinus, & tres fratres Hermogenis, Donati, & aliorum, quorum ſuis diebus memoria celebratur, Leander, Alexander, Soter, Hermiſda, Papyrius, Conſtans, & Iouiuianus.

VII. Reliquas Belgarum vrbes Præſes perluſtrans, propagatâ iam latè religione Chriſtianâ, in ſingulis Chriſtianos inuenit, & damnat. Remis Belgicæ ſecundæ Metropoli Macram virginem in ignem pro Chriſti nomine proiectã, & illæſam, mamillis deinde abſciſſis, ſqualore carceris afflictam, ac ſuper teſtas acutiſſimas, & ardentes prunas volutatam, ac inter preces, & gratias animam efflantem, fidelem perſecutione ſua Chriſto teſtem effecit. Remis egreſſus Valerium & Ruffinum in territorio Sueſſionenſi variis ſupplicijs affectos, tandem capite plecti iuſſit, quorũ corpora poſt modùm Remos delata ſunt.

VIII. Ambianos eiuſdem prouinciæ ciuitatem Firminus Epiſcopus Chriſti religione imbuerat, in

quem vario pœnarum genere sæuiisse, & capite damnasse Rictium Verum, refert Martyrologium VII. Calend. Octobris. Verùm eius acta manuscripta non à Rictio Varo, sed à Valerio Sebastio Præside ex Decij, & Valeriani Imperatoris edictis damnatum fuisse scribunt. Hæc tamen acta non cohærent. Etenim Firminus Pompeiopoli à Saturnino baptizatus, ab Honorato Saturnini Tolosæ successore Episcopus ordinatus, peragratis Galliis Agennensibus Aquitaniæ populis, Aruernis, Andegauis, tandem Bellouacensibus Christi fide diù prædicatâ, Ambianos venit; quæ nec sub Decio nondum Episcopus, nec sub Valeriano tam subitò, sed per succedentium Imperatorum annos peragere, & ad Diocletiani Imperium peruenire potuit. Nisi fortè ille Valerius Sebastianus Rictium Varum in Belgicæ administratione præcesserit: & illi Bellouaci occiso, vt referunt acta Firmini, successor dictus fuerit hic Rictius Varus.

IX. Hac eadem in vrbe Ambianensi Præses Quintinum Romanum ciuem, Zenonis filium pro tribunali interrogat, ac Christianum esse accipiens sacrificare diis recusantem sæuissimis tortoribus addicit. Inter flagella gratias agens Deo Quintinus, auxilium Dei sensit, hac voce confirmantis: Quintine constãs esto, viriliter age, Ego adsum tibi. Quâ voce tortores in terram prostrati se ipsos durissimè torqueri exclamant. Præses maleficio id peregisse Quintinum credens, in carcerem retrudit: at Angelo duce ille egreditur, & ad congregatam in medio ciuitatis multitudinem verba faciens, sexcentos ad Christi fidem con-

uertit. Clauſo carcere Quintinum exiuiſſe milites mirantur, & cognitâ eius prædicatione Chriſtum profeſſi Præſidi cuncta referunt. Frendens ad hæc Rictius Varus, & milites malarum artium accuſans, relictis ſuppliciis, aſtu, & dolo Quintinum tentat corrumpere. Verùm inuictus Chriſti miles aduerſarij dolos, & artes eludens, iterùm ſupplicijs addicendus, Auguſtam Veromanduorum ducitur, vbi clauis, & verubus toto corpore transfixus, tandem ad tumulũ Auguſtę Veromanduorum imminentem capite plèctitur. Proiectum in Somenam fluuium eius corpus quinquageſimum-quintum poſt annum, Conſtantini filijs imperantibus, ab Euſebia Romana matrona prope Auguſtam Veromanduorum, quæ ab ipſo Quintino martyre poſteà nomen accepit, diuino monitu repertum fuiſſe ſcribunt. Qui anni à filiorum Conſtantini anno primo, Chriſti trecenteſimo trigeſimo-ſeptimo enumerati, ad annum Chriſti ducenteſimum octuageſimum-tertium Caro, & Carino imperantibus nos reducunt. At cùm acta ſub Conſtantio Conſtantini filio hanc inuentionem referant; eius ſolius anno primo, Chriſti 350. adſcribendo martyrium Quintini, Diocletiani, & Maximiani anno 12. Chriſti ducenteſimo nonageſimo-ſexto accidiſſe oportebit. Sigibertus autem ad annum Chriſti CCCII. retulit.

X. Quintini cæde nondum cognitâ, Victorius, & Fuſcianus eius prædicationis ſocij, Morinis Ambianos Quintinum inuiſendi cauſa venientes, Pariſijs à Gentiano quodam Ambianenſi ſene quadrage-

ſimum ſecundum ante diem vixiſſe Quintinum accipiunt: quod pridie Idus Decembris contigiſſe conſtabit, ſi ad pridie Cal. Nouembris recurritur, quo Quintinus Auguſtæ paſſus eſt. Quare vel mendum eſſe oportet in dierum numero, cùm Ambianis tertio Idus Decembris Victorius, & Fuſcianus paſſi dicuntur, vel ad ſequentem annum eorum paſſio referenda, quod magis placet. Ambianos ſancta hæc martyrum ſynoris venit, viduatam paſtoribus Eccleſiam conſolatura. At Rictio Varo indicati, poſt nares, & aures ingentibus ferreis clauis candentibus (lingua Gallica ſudes ferreas taringas vocat in actis martyrũ) transfixas, oculos euulſos, iaculis membra confoſſa, cum Gentiano hoſpite capite plexi ſunt.

XI. Ambianos hac eâdem tempeſtate Iuſtus puer, prophetiâ clarus, cum patre Matthæo ad fratrẽ Iuſtinianum è ſeruitute redimendum Antiſſiodoro venerat. Quo à Lupo Domino accepto, dum eorum religionis indicium ad Rictium Varrũ deferretur, clàm nocte aufugiunt: inſequuntur emiſſi à Præſide milites; Matthæus, & Iuſtinianus hortãte Iuſtino ſpeluncæ latibulo ſibi conſulunt: inſtant equites, offert ſe Iuſtinus pro ſociis, & cæditur, caput abſciſſum defert præ manibus, ſtans, & immotus, ac venientes patrem, & fratrem alloquitur. In Bellouacenſi territorio hæc accidiſſe dicuntur, & Martyrij hiſtoriam verſibus Beda deſcripſit.

XII. Belgicam per Chriſtianorum cædes percurrens Rictius Varus, tandem effuſi ſanguinis innocui pœnas luiturus, in Sueſſionenſem ciuitatem venit. In

ei Quintini socij Crispinus, & Crispinianus Christi fidem promulgantes, artem calceatoriam vt insinuãdi per familias Euãgelij occasionem haberent, nullo recepto pretio profitentes. Præsidi exhibentur, Christum professi, ad throchleas extensi fustibus cędũtur, sudes acutissimæ inter vngues, & carnem digitis infixę, in ministros diuina vi repulsę, plerosque perimũt. Alligatis collo molis in concretum glacie Axonæ fluuium demersi, neque saxis oppressi, neque frigore cõstricti, neque aquis necati, abiectis molaribus lapidibus ad ripam incolumes emergunt. Vano aquarum supplicio liquefactum plumbum Præses substituit, & arctatos vinculis immergi iubet. Orant martyres exemplo puerorum Babylonis, & exiliẽs plumbi feruentis gutta oculum Præsidis lædit. Ad hæc ille furens, picem, oleum, & adipem plumbo misceri: at Angelus Dei martyres ab igne illæsos eduxit, ipséque Rectius Varus furore percitus in ignem se projecisse dicitur. Cuius morte acceptâ octauo Cal. Nouemb. Maximianus tulit sententiam esse in Gallia tunc temporis agebat, à qua cùm in Affricam anno Christi CCXCII. profectus sit, Rictij Vari persecutionem ante eos annos fuisse oportebit, si modo vera illa est Maximiani in martyres sententia; quæ vt Præsidis cædes fortassis in acta irrepsit.

XIII. Aquitaniam Galliarum & Tarraconensem Hispaniarum prouincias rexisse hac tempestate Dacianus legitur in actis martyrum: quod verum esse nõ ausim affirmare. Nam diuersæ semper fuerunt Galliarum, & Hispaniarum administrationes, quæ &

duorum Vicariorũ diſpoſitioni, poſteà ſubditæ ſunt. Fieri tamen potuit vt Daciani nomen, propter varias Chriſtianorum in Hiſpanijs cędes, vicinis Aquitanis, & Narbonenſibus cognitum, Gallorum martyrum actis à poſterioribus ſcriptoribus inſertum ſit. Eluſæ in Nouempopuloniæ Metropoli Dacianum egiſſe referunt acta Lupercij martyris, quæ Cæſarauguſtæ natum poſt dictu horrenda ſupplicia, ac varia patratā prodigia capitali ſententiâ à Daciano Eluſæ damnatum ſcribunt. Hunc tamen Lupercium ciuem ſuum, & martyrem prædicant Cæſarauguſtani, atque ipſe Prudentius octauo libro Periſtephanon hymno de decem, & octo martyribus Cæſarauguſtanis, inter illos Lupercium numerat. Eius acta inter Aquitanorũ martyrum hiſtoriam eleganti ſtylo deſcripta ſe legiſſe ait Scaliger in notis ad Auſonium; quæ eadem cũ his quæ ex manuſcripto codice edimus, eſſe non arbitramur. Eluſates patronum, & tutelarem adhuc eum colunt.

XIV. Eadem Cæſar-auguſtana ciuitas ſe Vincentium Aquitanis dediſſe gloriatur. Iulianus autem Toletanus Epiſcopus in illo carmine quod de illo compoſuit, Gallia oriundum, Valerij Cæſar-auguſtani miniſtrum, ab eo in Galliam miſſum, à Maximiano gladio cæſum. Incognitum Agennenſibus eius acta teſtantur, apud quos cùm certo die quotannis dæmō ſuis artibus igneam quamdam machinam agitaret, & concurrentis multitudinis animos in admirationem, ſuique cultum raperet: Crucis ſigno deſtruit artes diaboli Vincentius, & ab irato Præſide poſt mul-

ta ſupplicia capite damnatur. Hunc cum Vincentio alio martyre Cęſar-auguſtano plerique erroneè confundunt; nam Hiſpanus varia inter tormentorũ genera animam efflauit; Agennenſis gladio plexus eſt. Huius acta ab incolis ſeruari ſcribit Gregorius Turonenſis.

XV. Caprafij Epiſcopi Agennenſis miniſtrum Vincentiũ aliqui volunt. Hic cùm Fides virgo Chriſtiana diris ſupplicijs à Daciano afflicta prunis, & craticulis impoſita vexaretur, è vicina vrbi ſpelunca prorumpens Præſidi ad martyrium ſe exhibet, quod fœliciter vnà cum Fide capite obtruncato conſummauit.

XVI. Illuſtre ſub hac Maximiani perſecutione martyrium eſt Ferreoli, & Iuliani. Criſpino Præſide Viennæ mota perſecutione, Ferreoli Tribuni cõſilio in Aruernos profugit Iulianus, qui apud quamdam viduam latens, vltrò ſe obtulit ſatellitibus, & cæſus eſt. In exemplum, & terrorem Viennenſium Chriſtianorum caput Viennam refertur. Intereà Ferreolus ſacrificare renuens in carcerem conijcitur, at patefacto noctu oſtio aufugit, Rhodanum tranat, & ad amnem Giers deprehenſus à perſecutoribus capite plectitur, aut vt volunt acta manuſcripta Briuatem ductus, vnà cum Iuliano damnatur.

XVII. Geneſius Arelatenſis exceptoris officio fungens, ſæuiſſima in Chriſtianos iuſſa Iudicum excipere recuſat, & tabulas ante tribunal proijcit. Perſecutores inſtant, & eum adhuc catechumenum, ac ſacrum Chriſtianæ legis lauacrum ardenti deſiderio

poſtulantem

postulantem comprehendunt, & capite plectunt. Multis miraculis insignem, scriptis suis celebrarunt. Hilarius Arelatensis, & Eucherius Lugdunensis.

XVIII. Victorinum Pictauiensem Episcopum ad hæc tempora referunt Martyrologia: virum inclytum, scriptis, & Martyrio clarum, ab Hieronymo laudatum, & obscuritatis reprehensum. Eius Commentarios in Genesim, Leuiticum, Isaiam, Ezechielem, Habacuc, Ecclesiasticum, Cantica Canticorum, Apocalypsin Ioannis, & aduersus Hæreses, aliáque opera Hieronymus enumerat. Idem ille fertur, cuius scripta tanquàm Millenariis fauentia, notantur in Concilio Romano; & cum Victorino Aquitano Paschalis Canonis sub Hilaro Papa scriptore peruersè confunduntur.

XIX. Plures alij hac tempestate in Galliis, fidele Christo testimoniũ sanguine suo exhibuerunt. Nouioduni Heradius, Paulus, Aquilinus, & duo alij. Tornaci, Piaton Quinctini socius. Cesserone in Narbonensi Prouincia, territorio Agathensi, Modestus, Tiberius, & Florentia; qui locus à Tiberio posteà nomen accepit, & Abbatiâ fuit insignis. Remis Macra Virgo. Nannetis Donatianus cum fratre Rogatiano. Hic cùm adhuc catechumenus sine baptismo timeret excedere, pacis osculum à fratre petiit, hanc communionem suæ fidei argumentum fore ratus. At frater audiri desiderium catechumeni, & sanguinis riuos sacri Baptismatis vices implere à Deo postulat. Tum pari voto Christum professi cæduntur. Alios Martyrologia, & singularum Ecclesiarum ta-

bulæ pro Christo cæsos testantur.

XX. Carausio, post sextum à data pace annum, ab Allecto circumuento, Asclepiodoti Præfecti Prætorij ductu, tertio Allecti Tyrannidis anno, Britanniam Constantius recepit, decimo postquàm à Carausio fuisset occupata, hoc est, Anno Christi CCCII. Diocletiani & Maximiani XVIII. Anno sequenti eorum Imperij XIX. Orbe ferè vniuerso iam pacato, acrius bellum Christianis indictum est. Nam Paschate Ecclesiæ conclusæ, & in Christianorum necem noua Edicta proposita sunt. Hæc ad decennium in reliquis orbis partibus persecutio durauit, solúmque Constantij Imperium fuit à tanta tempestate liberum. Cùm enim anno Imperij XX. Diocletianus & Maximianus purpuram exuerint; non est vero simile Constantium iam rerum Imperatorio sub nomine potientem, ritibúsque Christianis, Eusebio auctore, religiosè adstrictum, in eam, quam profitebatur, religionem sæuiisse. Ergo ab hoc Imperatorum abdicationis anno, liberum effert caput Ecclesia Gallicana, & iam de Gentilium furore triumphans, hymnum victoriæ Christo concinit, ac pro consanguinearum Ecclesiarum calamitate vota offert. Atque ita decursis primorum Ecclesiæ Gallicanæ Patrum, aduersus Gentilium persecutiones cruentis triumphis, ad piam & innocuam de vitiis, & Hæresibus successorum victoriam firmatâ pace properemus.

FINIS.

PARS SECVNDA



PARS SECVNDA
HISTORIARVM
ECCLESIÆ GALLICANÆ.

COMPLECTENS ACTA, QVAE rerum in prima parte narratarum probationibus inseruiunt, ex veteribus Manuscriptis codicibus eruta.

AD LIBRVM PRIMVM.

AD Caput XII. Mimij Catalaunensis hæc est vita ex veteri Manuscripto.

INCIPIT vita sancti ac beatissimi Mimij Episcopi & Confessoris, qui obiit in Catalaunica ciuitate, Nonas Augusti.

Igitur beatissimus Mimius Episcopus, nobilis genere, de ciuitate Roma oriundus fuit. Sed *cùm à sancto Petro Apostolo in Episcopum benedictus fuisset*, ad partes Galliarũ ad prædicandũ verbum Dei missus est, *vnà cum fratribus suis sancto Dionysio, futuro Parisiensi Episcopo, & sancto Xestio Remensium Episcopo, & sancto Euchario Treuerensi Episcopo, & sancto Sauiniano Senonis Episcopo, & sancto Senecio Suessionis Episcopo, & aliis sex*

Episcopis, & Donatiano Diacono, & Domitiano Subdiacono, qui quasi ex vno vtero in Christo fratres esse noscuntur. Hi domino imperante ad prædictas partes directi fuerunt, & cùm accepta ordinatione Pontifices velociter festinassent, & Româ in decem & octo millibus ad mansionem diuertissent; contigit vnum ex Officialibus S. Mimij, Domitianum scilicet *Subdiaconum*, qui à beato Petro Apostolo cum ipso fuerat *ad officium prædicandi* destinatus, defunctum fuisse. Sed cùm beatissimus Mimius ipsius Subdiaconi solatium ad officium sibi cognouisset deesse: eo sepulto continuè ad sanctum Petrum reuersus, lachrimabiliter ita suggessit, dicens: Domine sanctissimè Magister cognoscat sanctitas tua Domitianum subdiaconum, quem mecum ad verbum Domini gentibus prædicandum direxeras, in itinere modò fuisse defunctum. Quod cùm beatissimus Petrus audisset, cui à Domino potestas ligãdi ac soluendi data esse dignoscitur, diuina inspiratione permotus beato Mimio Episcopo fiducialiter respondit, dicens: Noli frater contristari de transitu filij nostri, sed accipe vestimentum meum, & reuertere ad locum sepulturæ eius, & super corpusculum eius impone, ita dicens: Imperat tibi Dominus Iesus Christus, & Magister noster sanctus Petrus, vt qualiter tibi mandauit, mecum ad verbum Domini gentibus prædicãdum ambulare non tardes, vt lumen dominicum per nos omnibus pateat. Acceptâ igitur oratione beati Petri Apostoli, cùm ad locum ipsum vbi defunctus fuerat peruenisset, & super corpusculum eius vestimentum sancti Pontificis imposuisset, auxiliante Domino continuò surrexit incolumis, qui mortuus iacebat in puluere. Tunc ait ad eum sanctus Mimius, surge frater Domitiane, eamus ad locum vbi à sancto Magistro nostro sumus destinati, & *ad ciuitatem Catalaunicam* recto itinere properemus. Multas quidem virtutes per seruos suos Dominus eo tempore in itinere dignatus est ostendere. Recipiebant enim debiles gressum, cœci visum, surdi auditum, & in qualibet infirmitate positi, beati Mimij precibus continuò ad pristinam sanitatem perueniebant. Cúmque iam ad dictam ciuitatem Catalaunis, vbi directi fuerant, accessissent, & ipsos propter gentilitatis errorem quo premebatur, noluissent accipere, diuina inspiratione permotus cum

ſilentio ad ſpeluncam deſerti, quæ vocabatur *Buxeria*, à ciuitate ferè milliario vno diſtantem ire deſtinauit, vbi die ac nocte vigilabat, & orationibus vacabat: impleuit autẽ ibi circulum anni. Poſteà verò contigit, vt quidam nobilis puer in fluuiolo, qui eſt ad portam ipſius ciuitatis, nomine Nauta fati munus impleſſet, & cùm hoc parentibus nuntiatum fuiſſet, & ſuper corpuſculum ipſius defuncti planctum validiſſimum excitarent, audientes beatum Mimium virtutes aſſiduas in ſpelũca operantem, ad eius præſentiam deuotè acceſſerunt, lachrimabiliter poſtulãtes, vt filium eorum ſuis orationibus ſibi redderet incolumem. Beatus verò Mimius eorum gemitibus cõpatiẽs, genibus prouolutis in terra, Domino fuſis precibus ſupplicauit, vt puerum eis redderet viuum, & populus in errore gentilitatis poſitus ad fidei cognitionem perueniret. Beatiſſimus itaque vir petitione à Domino obtentâ, ſurrexit de puluere. & puerum aſtantibus parentibus viuum & incolumem ſuſcitauit de morte. Qui continuò beatiſſimi gratiâ, lauacrum expetiit ſacri fontis, & dum parentes ipſius pueri tantam virtutem per ſeruum Dei factam vidiſſent, poſtulauerunt à ſacerdote, vt cum dignis honoribus ad ciuitatem Catalaunicam, vbi ipſum anteà propter gentilitatis errorem recipere noluerant, ad Pontificalem cathedram accederet. Et dum ipſum cum ſumma diligentia congregata multitudo populi ad ipſam ciuitatem adduceret, ad portam ciuitatis obuiàm habuit leproſos tres, & cœcos ſimiliter. Quibus in nomine ſanctæ Trinitatis impoſuit Crucis vexillum, & ad priſtinam ſanitatem ipſos ſtatim perduxit. Ingreſſúſque ciuitatem, occurrit ei quidam homo dæmonium habens, quem continuò ſimiliter ad ſanitatem priſtinam reuocauit. Poſteà verò omni tempore vitæ ſuæ eleemoſynâ, ieiuniis, vigiliis inſiſtens, omnem populum Catalaunicæ ciuitatis diuinis eruditionibus, vt bonus paſtor aſſiduè gubernauit. Igitur dum ad ſpeluncam, vbi fuerat ante conuerſatus, quadam die ad orationem veniſſet, inuenit quemdam hominem claudum in grabato iacentem, quem orationibus ſuis ſanum reddidit & currentem. Et dum fama beati Mimij in omnem terram autore Domino coram omnibus diuulgaretur, completo ſeptimo Epiſcopatus ſui anno, germana eius nomine *ſancta Poma*, ipſum ex-

petit. Quam cum digno honore recepit, & posteà tempore vitæ suæ, vt decuit, gubernauit. Illa verò mortuos suscitauit, ægrotos curauit. Et ita beatus Mimius Pontifex Episcopatũ suum octoginta annis rexit, vt Apostolatum suum diuina pietas ei duplicaret in corpore, quem fidelem seruum probauerat in fide. Qui obiit Nonas Augusti, & sepultus est in oppido ciuitatis, vbi anteà fuerat conuersatus, vbi etiam digna basilica, vt decuit ipsum, in altum noscitur ædificata fastigium. Posteà verò in eius locum S. Donatianus & Domitianus subdiaconus, quem mortuum ordinatione sancti Petri suscitauerat, qui etiam cum ipso fuerant ad prædicandũ directi, Episcopatum in sua Catalaunica ciuitate in pace acceperunt. Ad cuius beati Mimij sepulchrum multas virtutes assiduè diuina pietas dignata est ostendere, vbi recipiunt cœci visum, debiles gressus, surdi auditum, & dæmonia fugantur, & qualibet infirmitate oppressi ibidem cum fide integra postulantes, cõtinuò pristinam recipiunt sanitatem. Regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

AD Caput XV. In Cõcilio Lemouicẽsi de Martialis Apostolatu habito Anno Chr. M.XXXI. referuntur hæc verba Abbatis Solemniacensis.

TACE inquam frater, melius est vt sileas, quia quando nos in scholis magistrorum, mel & lac bibebamus, tu solam ruminabas fabam. Scripturam de sancto Fronto nouam, cuius tu auctoritate niteris, Gausbertus noster edidit, lucri causa, qui sub huius Lemouicæ sedis Episcopo Hildegario Chorepiscopus nobis extitit. Qua autem ratione ille potest esse Apostolus, qui indigena Petrocoricensis fuit. Profectò si ibi à puero psalterium didicit, sicut in eius gestis legitur, & ibi Clericus est factus, iã ibi sacerdotiũ, & Christianitas erat, vbi scholæ scripturarum diuinarũ, vbi Clericatus ordo erat. Legitur eum potiùs heremitam vixisse, quàm Episcopum. Dicere nescis quæ signa ille operatus est, vt Petrocoricenses cõuerteret, potiùs ille Deo eos acquisiuit, qui omnẽ Aquitaniã cum Stephano Principe Galliarum ad fidem traxit. Neque

Frontus, neque Saturninus, neque Dionysius leguntur mortuos suscitasse. *Et infrà.* Vbi autem est locus in quo Frontus Georgium legitur suscitasse? Porrò apud Else monstratur sẽper locus, vbi Martialis Austriclinianum suscitauit. *Et infrà.* Numquam vsque ad hunc hodiernum diem, qui est quinta Sabbati, factus est liber in toto orbe terrarum, qui in ordine Apostolorum per Letanias habeat scripta nomina Frõti, Saturnini, Dionysij, Iuliani, Austremonij, Vrsini, neque aliorum qui post Martialem in Galliam venerunt.

Ex his patet vitam à nobis hoc capite excerptam eius Concilij tempore adhuc non fuisse conscriptam: sed solùm aliã, quã accipe è veteri Manuscripto.

Vita sancti Frontonis Confessoris.

BEATVS igitur Fronto, terminis vrbis Petrocoricæ, ex loco, qui dicitur *Linicassio*, fælix luminis sumpsit exordiũ, quem mater egregia sub niueo pectore gestans, vt gemmam conspicuam, genuit cunisque locauit. Alitur ergo sacer diuino munere puer, plexus vndique vlnis dulcia vbera sugens. Cúmque ad septimum ætatis suæ peruenisset annum, mater eius nomine Frontonia literarum eum studiis commendauit. Quo in opere positus, sancto insinuamine cælitùs indeptus intra breuia annorum spatia mystica dogmata pertransiuit, & beati Dauid Psalmigrafa sanctifico pectori commendauit. Parentes quippe eiusdem nolebant eum ad maiora studia literarum, Philosophorúmque artis Gymnicæ deputari. At ille cœlitùs perfusus gratia Regis. Quid inquit prodest mihi terrena quærere lucra, & dulcia quæsita labiis relinquere curæ? Melius est enim boni operis incœpta peragi, quàm manus in aratro poni, & retrò lumina verti. Tunc sibi comam beatus Fronto totondit, & duos ex suis famulis clericos ordinauit, cum quibus laudum canora psallens, pernox ineffabiles Deo gratias referebat. Audiens hæc Isquirinus Præses, iussit eum suis obtutibus præsentari. Cui inquit, nuper enim te propter, multitudo sæuissimè garrit, cur nostris muris per nouæ religionis culturam huic plebi mentem subuertere co-

naris, numinibúsque nostris probosam referens religionem? Cui beatus Fronto respondit. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine: Melius est confidere in Domino, quàm confidere in Principibus. Tunc irâ motus Præses, voluit eum succumbere morti: Sed quia nobilium sanguine creatus erat, is suffragium plebis adeptus, vitæ ei terminos condonauit. Quem posteà beatus Fronto ad baptismi gratiã, & vitæ æternæ gaudia reuocauit. Tale scilicet edictum Isquitinus Præses decreuerat, vt comam capitis in postero beatus Fronto tondere non deberet. Cúmque hæc acta essent mente consternatus Fronto ad semetipsum ait. Surgens age, rumpe moras Fronto, en tempus vt pedetentim valeas ingredi callẽ, & partes Ægypti ad horas aliquas accedas. Sumptísq; secum duobus pedissequis, Deo iubente, dulce peregit iter, & dum omnes Ægypti partes fælici indagatione visitaret, inuenit quemdam hominem Dei, Apollonium nomine, cum quo pergens ad locum, vbi preces Deo fundebat, peruenit, erántque illi duo pariles adeò pro latronum custodia dracones, qui perpetim excubantes fores illius custodiebant. Quadam nocte, vt mos erat, latrones raptim venientes vt aliquid furtim subriperent, viderunt duos geminos attollentes colla dracones, trisulcísque linguis venenosa terga tumentes. Tũc metu perterriti ceciderunt in terram, & facti sunt sicut mortui, quos vtrique serui Dei sic inueniẽtes, pari oratione pro eis Deum deprecati sunt, & eos illicò pristinæ reddidit sanitati, & baptisati continuò crediderunt in Domino Iesu Christo. Cúmque latè, longéque perlustrans bonorum operũ in norma beatus Fronto se florere vidisset, monitus à sancto Spiritu Romã aduenit. Et dum paucis inibi diebus moraretur, haud procul è vicinio, cuiusdam senioris filia dæmone correpta quatuordecim frendens expleuerat annos. Huc aduenientẽ beatũ Frontũ dæmones sensêre, & lasciui cœperunt tales inferre querelas. O Gallia, quæ nobis tormenta misisti! Quanta huic virtus homini à Deo est, ante cuius conspectum sistere penitùs non valemus. Haud mora, continuò pedibus se beatissimi Fronti puella prostrauit. At ille intrepidus preces Deo fundere cœpit, dicens: Altæ sedis Dominator præses, qui verticem cœli cuius in aspectibus die noctéque

angelica turba persultat, ter agios, sanctúsque Deus vnus, sacráque Potestas; annue nunc meis precibus superna Majestas, & hanc tuam famulam, quam sæuus hostis inhabitat, piâ miseratione saluare, & his dæmonibus liberare digneris. Et completâ oratione liberata est puella, quæ tempore longo à dæmonibus fuerat possessa. Fulgor enim fertur ipsâ horâ cœlo cecidisse, vt diuino iussu dæmones cremarentur. Hæc audiens *beatus Petrus* honorificè eũ recepit, & cognitis boni operis eius actis, secum eum assiduè voluit permanere. Cúmque in eo gratiam Dei florere vidisset, plebi suæ ex qua ortus fuerat, eũ voluit in munus luminis destinari, ita vt vrbis Petrocoricæ Episcopatus onus primus assumeret. Ille verò metuẽs ne rursus ei Præses Isquirinus resistere conaretur, tunc magis, magísque à sancto Petro correptus est, atque vt onus Episcopatus perceptum psalmis, & hymnis compleuit, direxit eũ cum Presbytero nomine Georgio. Tertio verò die iter agentibus reddens spiritum Georgius Presbyter, humanum corpus fessum reliquit. Beatus videlicèt Fronto cum lachrymis, gemitúque eum condidit sepulturæ. Reuersus ad sanctum Petrum fleuit, & mœsto corde comitem sibi itineris datum plangebat esse defunctum. Ne defleas, inquit Petrus, sed hunc baculum sumens vade ad eum, & detecto ab humo cum oratione Dominum deprecans tange illum, tactúsque resurgens tecum in itinere perget. Acceptóque baculo iniũctum sibi opus exercuit, & cùm ad locum vbi eum sepelierat, peruenisset, innumera eum paganorum multitudo ad respiciendum quid ageret, circumsepsit. Tunc firmo robore, mentis effodit arua, & rursum euoluens baculo tetigit almo. Tunc ille bina lumina voluens sub fronte metalla, cælestem gaudens respexit luminis auram, & gratias Deo indefessis precibus concinebat. Non minima igitur populi multitudo ea hora cõuersa ad Dominum Deum, & pronâ ceruice deprecantes, rogabant beatũ Frontum, vt baptismi gratiam eisdem pro sua pietate largiretur. Quod Vir Dei gaudens annuit, eósque fonti regenerationis immersit, & purificati per dies septem, Clericatus sibi officium, *prout soliti erant*, voce consonâ deprecabantur. Protinùs Vir Dei gauisus resultans & psallens, Domino Deo gratias referebat. Gloria tibi perpetue, perennis, præcelse, omnipotens.

Deus, qui nexos in tenebris ad lumen veritatis adducis, & mihi solatij gaudia subministras. Et iter ingrediens hortabatur cunctos in Spiritu sancto, credula mentis corda firmare. Tunc sibi ex ipsis septuaginta electos aggregat viros, cum quibus glorificans Deum Petrocoricam ingreditur vrbem, ita dicẽs: Ædificationis vestræ, & mei solatij curam ferens, decreui aliqua vobis vtilia reuelare sapientiæ sacramenta, vt etiam ad vestrę humilitatis augmentum quicquid boni operis labor accesserit, gaudio implear spirituali, animo aduertite filioli vestris cordibus, quæ narrantur. Quid nuper in Cappadonis gestum sit, referam. Vos audientes clarorum virorum sectemini vitam. Hæc ago circuiens, & vtrobique percunctans quia nõ quæro quod mihi vtile sit, sed quod omnibus vobis, vt salui sitis. Erat quidam senex à prima ætate Deo deuotus, & à beatissimo Petro vrbis Romæ ordinatus Episcopus, nomine Frõtus. Hic verò *septuaginta Monachos in ciuitate Petrocorica, in qua natus est,* ad seruiendum Domino congregauit, & quidem tempore in prædicta ciuitate cum eis habitans, in opere Dei crescebat, & à quodam Præside ipsius ciuitatis nomine Isquirino assiduè propter opera Christi prosequebatur. Sed tamen vt quos Frontus Episcopus propter nomen Domini baptizabat, Isquirinus Præses gladio deputaret. Laudabatur quoque à pluribus, præcipuè à fidei amatoribus: sed cùm magno tædio fuisset affectus, eò quòd non ad viam solitudinis, vel ad Heliæ pergit exemplum: tunc accensus ab Spiritu sancto, relictâ ciuitate cum mobilibus Eremum petere, nudus afferens fratrum conuentum esse thesaurorum cælestium lucrum, vocatísque fratribus omnibus dixit eis. En quid nobis cum mundo crucifiximus: nobis nihil, si fuerimus lucrati, magnum gerimus animæ detrimentum. Inter omnes habitantes placuit omnibus oratio ista. Post hæc completâ horâ diei nonâ, acceptis bis acutis, & seminibus olerum exeuntibus de ciuitate, fuit eis eadem nocte auxiliator Dominus, agens iter cũ omnibus suis, per desertum ambulauerunt, & dextras quadraginta millia Quingentos peruenerunt, qui vocatur *Notoialus super fluuium Dorononiæ*, vbi draco magnus, cum multitudine serpẽtium habitabat. Videntes verò, qui fuerant, beatum Frontum Episcopum sequuti in Eremo, nimiam multitudinem serpen-

tium,

tium, metu ducti retrò repetere cœperunt. At ille confidens in opere & ieiunio proſtrauit ſe ad orationem, non baculum terreſtrem, ſed virtutem cæleſtem inter eos oſtendit, & numquam apparuerunt. Acta hæc omnia eodem loco, nouorum oculis aliena, vbi fixerunt tabernacula. At verò Frontus Epiſcopus terrore depoſito, ſecurus orabat maximè nouus Eremi habitator. Conuerſatis itaque eis, in eodem loco factum eſt, vt murmurare cœpiſſent, dicentes: Num ſola in Eremo caſtitas quæ in vrbibus non eſt? Cur itaque non ad ciuitatem reuertimur, de qua ad tempus exceſſimus? Aut in Eremo ſola, Deus exaudit orantes? Quis hominum cibo Angelorum viuat? Quem pecorum & ferarum delectat fieri ſolatium? Quãta nos habet neceſſitas hic morari? Cur itaque non regreſſi in locum, in quo nati ſumus, benedicimus Dominũ. Audiens ergo Dei ſeruus ſermones eorũ æſtuabat, orabátq; pro eis intrepidus, vt citò corrigeret eos Deus. Nunquã tamẽ inter eos diuinorũ vacauit officiũ canticorum, nec pſalmigraphiæ ſiluit vox, nec in penuria laceſſentes vigiliis defuerunt. Confortabãtur quotidie in meliora ſtudia, ſed quod crebrius murmurabant, eò quòd parua eſſet in eremo eſca. Bonus magiſter gratias agebat, & Dei omnipotẽtis auxiliũ ſuper omnes influere celeriùs expectabat, quodã perfecto vigiliarũ opere vocauit ad ſe vniuerſos, & ait eis: filioli, quid eſtis turbati, & cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris. Nolite in paupertate aduerſus Deum murmurare, integrum expectate Dominum, non inopem, ſed ditatorem: ſcitote ſcriptum eſſe, & reminiſcimini, quoniam non necauit Dominus fame animam iuſtam: Oculi enim Domini ſuper timentes eũ, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Si meretrices numquam Deus omnipotens deſeruit, & latrones, nec à nobis auferet protinùs eſcas. Nolite quæſo in diffidentia remanere, reddet militibus ſuis ex alto promiſſa, aut numquid mẽdacem faciemus eum? Ipſe dixit per ſuum filium. Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid operemini, hæc omnia gentes inquirunt. Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Si Regnum Dei quærimus, quid de eſcis corporis cogitamus? Non oportet carnẽ fragilem, pinguem vermibus exhibere. Onere ieiuniorum

asellus grauandus est, ne gestire incipiat quando pascitur. Comedat igitur paleas, ne recalcitret, & ad iracundiam incitet suum authorem. Propter corporis curam, filioli, murmurare non debuistis: ferte potiùs sessorem animarum, & cogitationum vestrarum, vt pascatur spiritus desiderio animæ in benignitate quærentes cælum. Deinde quia modicæ fidei estis, spiritaliter vos obiurgabo, dulcissimi, coruis cælesti nutu vbi cadauer fuerit nunciatur. Quid vobis cura de his, & torquet vos cura carnis moriture. Post modicum cauendum est etiam vobis, ne murmurantes efficiamini Israëlitici populi socij, quos incongruè murmurantes interfecit exterminator. Committamus nos itaque in solitudine Domino, curam nostram teneamus ipsius testamentum dicentis: Non derelinquam te. Igitur præstabit nobis alimenta pastoris, sicut Heliæ dedit, aut si non fecerit, & defecerimus fame in Eremo, licèt nostris meritis imputemus, quia delictorum nostrorum gratia accidit, improperabimus tamen ei dicentes: Pollicitus es Domine pascere tuos in terra, nos præcepta tua tenentes defecimus fame temporali, non verbi tui. Oportuit animas nostras in sæculo panibus pasci. Ergo fecimus in corpore positi quod iussisti. Tu verò expectans sufferentiam nostram, seruos tuos probasti. Redde hîc nobis, quod sustinentibus promisisti. Pluribus aliis exhortatus eos eloquiis, abstulit murmur à cordibus eorum. Orabat pro eis indesinenter, ne multa fieret probatio temporis in longitoria, & ne turbatio auerteret quosdam eorum retrorsum, Dominus precem serui sui non est oblitus, eidem statim adiutor factus Dominus, per Angelum quoq; suum Præsidem Isquirinum visitauit, aitque ad eum: Tu epularis in diuitiis splendidè, & serui mei in deserto pereunt fame: sed conuentus à me diluculo festina seruis meis ex donis, quæ dedi tibi mittere escas, quòd si distuleris, excitabis in te Dei furorem. Audiuit ergo hæc homo iste, & cor eius cõsternatum fuit in se totâ nocte, consurgénsque manè mœstus, & tabefactus conuocauit suos amicos, & domesticos domus suæ, qui possunt rei accidentis custodire occulta, exposuitque visum, & interrogauit si quis eorum viam nosset, vbi Christi famuli habitarent, qui Heremitas nouos inter anfractus montium habitatores haberent. At illi ignorantes nescire

se vniuersi dixerunt. Aliâ verò nocte à prædicto Angelo visitatus, graui plagarum cæde percussus est, similiter manè memoratus ad eos causam exposuit, plagas ostendit. Quidnam de hac causa fieret eorum consilio requirebat, suæ saluti consulens, ne peiora in Domino indignante, verbera crescerent. Quis in tam profundo negotio audebat consilium dare? Tũc vnus eorum sapientior cunctis, & forti spiritu, consilio prouocatus respondit. Nihil frater super verbum oris mei. Sis securus, multitudo tibi abundat camelorum, onera eos sine dubio his quæ seruis Dei possint ad escas sufficere, his escis quibus Heremitæ vtuntur, & dirige eos per viam onustos præter aliquos ductores. Etsi à Domino cœli est tibi visitatio, ipse Dominus deducet eos ad cuneum puerorum suorum. Tunc dispositis oneribus animalia tua reuocabit illæsa, & posteà benedices Dominum, qui & animalia tibi reddidit salua, & oblationem suscepit ad pascendum gregem suum de manu tua. Quòd si Diabolus tibi minetur inferre iacturam, sapientissimi Iob similis eris, nec dabis in direptis animalibus corã Domino blasphemias. Para ergo cor tuum Deo in vtraque parte super visitationem hanc, & cùm tacuisset, placuit omnibus consilium istud, fecitque ita. Oneratis ergo camelis, in crastinum ornamentis quoque eorum impositis, direxit eos per viã cum fletu, & erat lugens eos ex die quâ abierunt vsque dum reuerterentur ad eum. Fuerunt enim cameli septuaginta. Factum est autem cùm nonâ horâ consuetam orationem cum voce antiphonarum, & hymnis in vnum celebrarent, primus ante Monasterij fores excubabat camelus, quem solus Episcopus oculis intuens, ne videntes illi, qui auidi escam desiderarent, auocarentur ab oratione. Iactatus autem Episcopus in corde suo Dominum Deum laudauit. Componit similia de suis stramentis. Expositis ita cibariis, præcepit beatus Frontus dicens: Alimoniam vobis ferentibus lauate pedes camelis, datéque eis cibaria, ex quo sibi sumptus in viaticum detulerunt. Sic factum est. Vt autem illuxit dies vt sacci funderentur præcepit, & cameli dimitterentur abire ad domum suam, sancto permotus consilio Dei vocauit seruus ad se fratres, & ait: En Dominus Deus omnipotens per omnipotentem Filiũ suum recordatus est nostri, & direxit alimoniam nobis per

gratiam sancti Spiritus. Nobis autem sedentibus diuinitatis eius Angelus camelos perduxit; non omnia tollamus cibaria, sed dimidium onerum eulogias Domino reuocemus. Placuit omnibus sermo iubentis. Abstulit itaque recludẽdos in horreum saccos triginta & quinque camelorum, triginta quinque verò onera aliorum refudit in omnes saccos, ne alij portare viderentur, alij leues abirent, & benedicens omnibus dimisit eos non viam ostendens, non indicans iter, at ipsi ornamentis tonãtibus viam per quam venerant, regrediebãtur. Ille verò qui animalia sua per incertam sine ductore abire viam crediderat, dignam spem domus suæ tanquam amissam plangebat. Amici à quibus visitaretur consilio aderant, nec solatio defuerunt. Quartâ ergo die cùm vniuersorum animus anxius, ac Domini fessum tædiis æstuans pectus esset, auditur subitò procul tintinnabulorũ sonus in auribus eorum, quasi sonitus campanarum. Tunc vniuersi cœperunt communiter ad orientem vertere aspectum, genibus prouoluti Domino Regi consuetas gratias impendentes, quia voluit de horreo serui sui holocaustum accipere, & illæsa animalia reddere. Iã vniuersi obuiàm camelis tanquàm mortuis resurgunt communiter. Igitur venientes camelos cum gaudio salutabant. Tunc ille fretus exultatione, quia omnes camelos suscepit illæsos, Dominum benedicit, & ait: Domine Deus cœli, qui iustè me arguisti, hoc munus anniuersarium erit in omnibus diebus vitæ meæ ex bonis tuis, quæ mihi succedentibus concesseris fructibus. Habeo iam comites qui non tam per iter incognitum peragant, sed nota ferentibus, Angelo tuo demonstrante via panditur. Ego autem adhuc inuocabo fratres meos, ex his quæ remanserunt mihi ministrabo, quia saluos reddidisti mihi filios meos, & statim à semetipso conuersus exclamauit voce magnâ, dicens: Magnus est Deus Christianorum. Rogo te Deus pater cœli & terræ, vt ostendas mihi viam, vt ego ambulem vbi famuli tui habitant, & des mihi baptismi gratiam vt Christianus efficiar. Tunc itinere profectus peruenit ad locum vbi serui Christi habitabant, rogauítque eum dicens: Famule Christi peto à te, vt mihi peccatori baptismi gratiam largiri digneris, eâdem horâ baptizauit eũ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & vocauit no-

men eius Georgium, & benedixit Deum excelsum, & credidit in Christo omnis plebs ex illa hora. Tunc cõuocatis pauperibus iocundum pingue impendit agapem, innotuit Frõtus fama, exiit per populos, & exinde sicut vnumquemque eiusdem prouinciȩ diuitem Dominus visitabat, sic seruis suis, in suo tabernaculo operantibus pabula ministrabat: Ille verò quos pridem miserat anniuersario tempore, onera eidem cameli imposita dirigebant. Benedictus Dominus, qui opuscula peccatoris adimplet, & quicquid pro ædificatione vestrâ ipso donante aggredior, suáque sanctificatione consummabit. Breuia ergo de tanto viro ad vestrum augmentum suscipite, & vniuersis fratribus legite, gratias agentes Domino Iesu Christo Filio Dei Patris omnipotentis per Spiritum sanctum, cui est gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Ergo hanc vitam Hausbertus αἰσχροκερδίᾳ ductus cõposuit; & ex ea deinde alius scriptor, ea commenta quæ descripsimus, primo libro concinnauit.

AD Caput XVI. Georgij Frontonis socij hæc est vita ex codice Manuscripto.

Vita sancti Georgij primi Episcopi Aniciensis, qui & Podiensis dicitur, cuius festiuitas celebratur IV. Idus Nouembris.

CVM beatus Petrus Princeps Apostolorum Romanæ Ecclesiæ cathedram regeret & teneret, erant in eius collegio atque obsequio duo viri sanctissimi, vitâ & moribus inter plures eiusdem Apostoli auditores probati. E quibus vnus Fronto, alter verò Georgius vocabatur, vterque Magistrum ab vrbe Ierosolyma secutus. Et quoniam vniuersalis pastor nouerat eos fulgere eloquio atque doctrinâ, consecrauit ambos & Pontificali baculo sublimauit, destinauítque ambos ab vrbe Roma, vt Occidentalibus populis, qui fidei Christi omninò adhuc expertes erant, ȩternȩ vitȩ dogmata, viámque salutis prædicarent. Ipsi verò non reluctantes, salutaribus monitis aggressi sunt iniunctum sibi iter, licèt multis pro cha-

ritatis affectu profusis lachrymis. Tertiâ quoque die deuenerunt in quoddam oppidum iuxta lacum Volsini, antiquitùs ab ipsa Volscorum gente situm, ibíque benignè suscepti aliquandiù habuêre hospitium, prædicantes, atque euangelizantes Catholicæ religionis salutare verbum. Intereà dum ibidem demorantur, Georgius morbo grauatur, nec plurimo interiecto tempore morte prçoccupatur. Vnde & Fronto tristis & mœstus effectus, concito gradu ad Apostolum Petrum reuertitur, pedibúsque eius prostratus, flebiles voces ingeminat, & pro reddenda defuncto vita lachrymabiliter implorat. Cui Magister inquit, depone luctum charissime quo frustrà afficeris, quia quem mortuum non ignoras, viuere procul dubio gaudebis. Accipe ergo baculum hunc & virgã Pastoralem, quam tecum deferens super corpus defuncti pone. Tunc inuocatâ virtute Dei fiducialiter, iube vt à mortuis citiùs resurgat, & sic ad prædicandum Euangelium sanus, & incolumis pariter tecum pergat. Quibus omnibus, sicut Apostolus præceperat iam peractis, surgere videt socium defunctum, pro cuius fletu amarissimè fleuerat. Vnde & in illa patria multi crediderunt in Christum, videntésque signa mirabilia tantæ virtutis, actorem glorificauerunt Deum. Prædicti verò Fronto & Georgius cœptam tenuerunt viam, semina vitæ æternæ vbicumque commodum nouerunt spargentes. Aquitaniam tandem vsque peruenerunt, móxque properantes ad quamdam Vallanensis Comitatus vrbem, quæ ob antiquitatis priuilegia tunc temporis ciuitas Vetula dicebatur, vniuersum circa degentem, atque contiguum populum conuocauerunt, prædicantes, atque fiducialiùs protestantes neminem saluari, neminémque posse limina vitæ ingredi, nisi in Christo renatum, & sacri baptismatis fonte purificatum. Quod audiẽs multitudo Gentilium, vel commorantium in vrbe, vel etiam fama diuulgante aliàs confluentium, fidem Domini nostri Iesu Christi cum omni deuotione susceperunt. Confractísque idolis, atque emundatis ab omni sorde, & cultu superstitioso phanis, Ecclesiam Deo dedicauerunt. In hac autem præfuit Georgius Episcopus primus Episcopus Velaunensium, & magister egregius, qui fuit auditor quondam eiusdem Domini Iesu Christi, & vnus

ex septuaginta duobus eius discipulis: vnde ad multiplicanda semina vitæ in eadem Ecclesia ac regione à Frontone consocio eius & collega est dimissus. Quo pacto Fronto venerabilis Præsul, non mediocriter verbo & doctrinâ adiens vrbem Petrocoricas, maximam multitudinem illius gentis ad Christum conuertit, multísque miraculis clarus tandem in pace quieuit. His itaque gestis non cessat Georgius Velaunensium Antistes sanctus, arenti terræ spiritualia infigere sarcula, ac nouellæ plantationis messem, segetémque cum omni studio excolere, donec videlicèt sata Deo incrementa donante, in altum consurgere, & dignè Deo messis fructum per diuinæ religionis horrea cumulare. Tunc temporis erat quædam matrona nobilis, reuerendi admodùm vultus, prouectæque ætatis, quę domicilium sibi fecerat in quodam vico, sex ferè milliariis à ciuitate Vetula seposito, quem situm iuxta fluuium Bornæ vulgaris lingua villam nuncupauit antiquitùs, eò quòd quondam polleret frequentiâ pagensium, ac pluribus tuguriis. Et quoniam hæc iam crediderat in Christum, edocta institutis S. Georgij, omníque exuta fuerat ritu gentili, audacter accessit ad Pontificem, depromens ei quamdam ex ordine quã frequenter viderat visionem. Pater, inquit, serenissime, olim grauabar incredibili ardore febrium, & quia biduo interposito quædam quasi remedia sentiebam, quartâ die angebar plurimùm, Iámque cùm diù affecta morbo essem proxima morti, quidam vt videbatur, de salute mea sollicitus, nocte in cubiculo soporanti mihi astitit dicens: Surge velociter, & cacumē istius montis ascende, quem maiores vestri græco sermone dicunt Anitium, vos autem quasi propriæ nationis vocabulo dicitis Podium. ibi enim videbis magnæ visionis mirabilia, & si fideliter accesseris, ac deuotè credideris, illicò restitueris pristinæ sanitati. Fateor itaque tibi in rei veritate expergefacta surrexi, præcedente quoque, ac subsequente me familiâ, sicut indictum mihi fuerat, vix & cum magno labore prædicti montis cacumen expetij, & procul mihi obsequentibus positis sola ad lapidem in modum altaris sculptum, qui in editiori loco est situs deuotissimè accessi, & quia vtroque labore infirmitatis videlicèt, atque itineris satis affecta fueram, statim obdormiui. Tunc circa lapidem illum admirans intueor maxi-

mam frequentiam Angelorum, ac supernorum ciuium, desuper verò quamdam Regiæ dignitatis ac potestatis dominam, vultu quidem atque habitu, omníque venustate decoram. Cúmque rogare cœpissem quæ esset, vel quo nomine diceretur tantæ authoritatis Regina, quidam ex circumstantibus familiarem se mihi præbens, sic exorsus est: Scito hanc esse totius mundi Dominam Virginem Mariam, genitricem Dei omnipotentis, quæ ideò tibi in hoc monte voluit innotescere, vt scias eam locum istum velle tueri ac defendere, velut quodam dilectionis priuilegio sibi specialiter præsignare. Vnde vt certa efficiaris super his quæ tibi pronuntio ne dubites te diù quæsitæ sanitati reddendum esse continuò. Pręgaudio itaque euigilans sana surrexi, ac debitas Deo, & Virgini Mariæ gratias rependens, numquam posteà eâdem incômoditate infirmitatis laboraui, sed plura miranda ibidem rediens sæpissimè vidi. Hæc autem sanctus Antistes Georgius audiēs, diu reuoluit in animo, ac mente præsagit, prænunciat maximā Dei visitationem futuram esse in prædicto Podio. Vnde & multoties recitat illud mirandum in sermone habito ad populum. Iubet tamen spinea corona prædictum locum circūdari, ne immundi homines, vel pecora si improuidè accesserint, morte damnarentur horribili. Intereà dum templum ibidem erigere præmeditatur, subtractus ab hominibus in cœlesti Regno fœliciter sublimatur.

Sanctus itaque Georgius Proto-præsul Velaunensis, qui nunc Aniciensis diœcesis appellatur, sedem suam habuit in ciuitate Vetula sæpiùs memorata, quæ ob antiqüitatis priuilegia tunc temporis ciuitas Vetula vocabatur. In eadem quoque ciuitate post multa virtutum opera migrauit ad Christum, quarto Idus Nouembris, ibíque corpus eius sepultum fuit in Ecclesia quam ipse priùs in honore beatæ Virginis dedicauit. Prædicta autem ciuitas Vetula, mutato postmodùm nomine, hodiè nuncupatur Villa sancti Pauliani à nomine dicti sancti, qui fuit Episcopus ibidem, vbi corpus eiusdem sancti Pauliani in Ecclesia intitulata suo nomine requiescit. Distat autem sancti Pauliani Villa à Podio Aniciensi duabus ferè leucis, aut quasi sex milliariis. Postmodùm verò processu temporis dicitur fuisse translatum corpus sancti Georgij, à prædicto loco

co sancti Pauliani, apud Anicium ciuitatem, per Episcopum Aniciensem Norbertum nomine, qui fuit frater Comitis Pictauensis Aquitaniæ Ducis. Et in quadam Ecclesia ipsius sancti Georgij intitulata nomine, ossa eius esse in quodam vase lapideo, retrò altare Canonici eiusdem Ecclesiæ, asseuerant. Et scripturam ibidem legunt, & ostendunt translationis huiusmodi seriem, & ordinem continentem; eiusdem translationis memoria XI. Calend. Ianuarij ibidem agitur celebris, & festiua. Verumtamen Canonici S. Pauliani, Clerúsque, ac populus loci eiusdem, corpus S. Georgij memorati, adhuc se habere contendunt, in proprio tumulo, & in Ecclesia vbi fuit primitùs tumulatum; ibíque sepulchrum eius iuxta altare prominens ostenditur, & deuotione consonâ veneratur. Fiúntq; ibidem eius meritis crebra in infirmitatibus miracula sanitatum. Festúmque eius recolitur quarto Idus Nouembris.

Hæc ex gestis quæ habentur in Ecclesia Aniciensi excerpta sunt, & collecta.

AD Caput XVII. Clementem hunc Metensem alium longè à Romano Episcopo fuisse patet ex vita quam ex Manuscripto insero.

Incipit Vita sancti Clementis, Mediomatricorum Apostoli.

POSTQVAM peractis omnibus, quæ cum patre pro mundi salute gerenda dispofuerat, Christus Dominus migrauit ad cœlos, statim vt promisso Spiritus sancti munere beati Apostoli potiti sunt, & confirmati, ilicò quam vnusquisque eorum prouinciam, vel regionem prædicaturus aggredi deberet, communi consilio iuxta diuinam prouisionem, sorte decernunt. Singulis igitur ad sibi delegata loca pergentibus, beatus Petrus, qui in eorum numero primus erat, & quasi Dux fortissimus eminebat, ad eam quæ totius mundi caput erat, hoc est vrbem Romuleam, totâ alacritate contendit, fundatâ prius apud Antiochiam Ecclesiâ, ac suæ sedis nomine dedicatâ. Igitur cùm Romam peruenisset, ilicò qui summas quas-

que vrbes in occiduo positas, Christo Domino per verbum fidei subiugarent, optimos, eruditósque viros ex suo consortio direxit. Tunc denique Apollinarem Rauennam, Leuciũ Brundusium, Anatholium Mediolanum misit: Marcum verò, qui præcipuus inter eius discipulos habebatur, Aquileiam destinauit, quibus populis cùm Hermagoram suum comitẽ præfecisset Marcus ad beatum Petrum reuersus, ab eo nihilominùs Alexandriam missus est. Eá igitur tempestate, cùm apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Mettis appellatur ciuitas, in ipsa Mosellæ amnis ripa posita, copiosis populorum turbis abundaret, ad eamdem B. Petrus Apostolus vrbem, Clementem nomine, virum egregium, ac meritis probatum, sublimatum Pontificali dignitate direxit; cum quo pariter, sicut antiqua tradit relatio, ad, quæ præcipuæ erant, Galliarum vrbes verbo fidei obtinendas, alij quoque religiosi doctores ab eodem Apostolorum Principe missi sunt. Cùm ergo peruenisset B. Clemens Mediomatricum ciuitatem, in cauernis, vt ferunt, amphitheatri quod propè eamdem vrbem situm est, hospitium habuit: in quo etiam loco oratorium Domino construens, altare in eo constituit, ac B. Petri Apostoli præceptoris sui nomine consecrauit. Is igitur venerandus Sacerdos, dum sedulâ admonitione eiusdem vrbis populis prædicaret, cooperante sibi diuinâ misericordiâ, maximam ex eis multitudinem à sordidis Idolorum cultibus, & erroris cæcitate liberatam, ad veræ fidei splendorem perduxit, primúsque in illis regionibus ostensor iustitiæ, & index veritatis enituit. Denique asseuerant, qui eiusdem loci cognitionem habent, quòd in amphitheatro vbi primitùs aduenìens habitauit, vsq; ad præsentem diem, nec serpens consistere queat, sed & omninò noxiæ pestes illum locum refugiunt, vnde olim veræ salutis tali emanarunt modo insignia. Ferunt námque antiquiores nobis à senioribus priscis cultui sanctæ religionis admodùm deditis veracissimo per varios temporum successus relatu vulgatum huius sanctissimi Præsulis atque Apostolici viri tam ingens quod occuli non decet miraculum. Eo namque temporis articulo, auxilio quo idem venerabilis Pontifex ad præfatam deuenerat vrbem; maxima eiusdem pagi clades deuastabat vrbem. Amphitheatrum quippe iam superiùs di-

ctum, tantâ erat serpentium multitudine plenum, vt non solùm venire quisquam, sed nec appropinquare ad eumdem auderet locum. Nam ex eorum flatibus veneniferis mortalitas efferbuerat, non modò hominum, verùm etiam equorum, boum, pecorum, cæterarúmque bestiarum nimiùm crudelis. Iam verò beatissimo Clemente mœnia appropinquāte ipsius ciuitatis, eadem ita se dilatauerat pestis, vt nullus adeundi eam aut redeundi cursus fieret cuiquam salubris. Si quis námque portas eius, maximâ coactus necessitate vellet exire, aut appropinquare, confestim in attactus veneni interibat miserrimè. Nec mirum sanè, si anguis lubricus per amica sibi vascula, corpora eorum prosternebat, de quorum mentibus ius proprium adhuc minimè per sacri fontem baptismatis amiserat. Sed quas tibi bone Iesu referre quimus grates? qui nobis tantos vbique, talésque direxisti patronos, qui nostras, tuâ gratuitâ pietate ab omnibus sæuissimis sordibus tyranni mundarent mentes, atque tuas iure colendas notificarent virtutes, vt supernæ valeremus patriæ fieri ciues, de quorum venerando admodum collegio, ante mundi constitutionem eximium præstitisti Præsulem Clementem, ad has dirigendum partes, qui nobis ineffabilia clementiæ tuæ dona propalaret, ac cœlestem municipatum, cum Sanctis omnibus acquirere posset. Postquàm ergo admirabilis Trinitatis Deificæ cultor, delegatum sibi prædicationis officium omni cœpit mentis conamine explere, mox multitudo innumerabilis languentium ad eius studuit, quem verum audiebant prędicare Domini auxiliū confluere, cognoscentes ab ore egregij pastoris, non immeritò serpentino se infectos fuisse veneno. Qui vbi eorum vidit indicibilem miseriam, statim saluberrimam non distulit conferre medicinam. Spopondit igitur veri Dei citiùs affore eis clementiam si ipsi detestabilem idolorum abiicere culturam non renuerent. Tandem ergo non solùm languentes, sed insuper pauci, qui supererant, salubri inito consilio, sospites cunctis se promisêre abrenunciare simulacris, si beneficiis non fraudarentur à summi cultore Dei promissis. Talia namque, tamque diù à se desiderata, vir Deo plenus audiens affamina, omnia paratus pro eis discrimina ferre, extemplò laudes cunctorum Creatori exsoluit præcipuas.

Denique paucis secum aggregatis fratribus, sacræ obtulit munus oblationis, quod in sui commemorationem fidelibus deuotè Dominus præcepit peragere Christus: At verò posteà quàm se, suósque sacro muniuit libamine, antiqui hostis non est veritus certamina abire, sed spe suâ commissâ terræ cœlique Domino, cauernas adiit amphitheatri, intrepidè pugnaturus cum antiquo serpente, videlicèt diabolo. Vt autem sonitum pedum senserunt appropinquantium serpentes, mox cauernis cœperunt prodire, certatim cupientes deuorare hominem Dei. Ille verò facto signo Crucis, eminùs ad eos properabat intrepidus, cuius dum virtuti resistere non valerent, ampliùs tumentia colla protinùs deposuerunt. Vir autem Dei, sicuti refert antiquitas, stolam quam sanctissimo ferebat collo statim deposuit, maximúmque eorum, cuncto spectante populo alligauit, atque vsque ad fluuium Saliæ, quę iuxta decurrit, vinctum manibus propriis adduxit, eúmque ibi soluens dixit: In nomine summę & indiuiduæ Trinitatis, quã ex beatissimi magistri mei Apostolorum Principis, prędicatione verum Deum agnoui, pręcipio tibi vt nulli hominum ac bestiarum nocens, hoc flumen ocyùs cum omni cohęrenti tibi pestifera multitudine transeas: atque eas partes adeas, vbi nullus habitationis humanę vsus haberi valeat. Vix ergo sanctus Sacerdos verba compleuerat, & ecce serpens immanissimus cum cęteris omnibus cœpit festinus abire vt sibi pręceperat Antistes egregius, atque post illum diem ita pręfatus ab omni immunditia serpentium mundatus est locus, vt vix aliquando ibi, vt suprà notificatum est, minimus vermiculus reperiatur. Tunc verò cunctus populus tam magnam per Dei hominem cernens impleri virtutem, ab eius ore auidè satagebant audire veritatis verbum, cupientes sponsionis propriæ exequi promissum. Beatissimus ergo Clemens tantam populi cernens deuotionem, maximas largitori totius boni reddidit gratias, eósque iuxta morem instruens Ecclesiasticum admonuit, vt se deuotissimè prępararent, ad percipiendum sacri donum baptismatis. Qui iussis illius in omnibus obedientes, vnicę sanctę Matris Ecclesię filij meruêre esse participes. Denique cunctis renunciantes sordibus idolorum, per aquam, & Spiritum sanctum ipsius sanctis abluti manibus vniuersi, non

solùm corporum, sed etiam, quod maius est, animarum langoribus caruêre. Hęc ergo explens opera nobilissima gemma Prȩsulum, quotidiéque, iuxtà Psalmographi dictum, de virtute studens proficere in virtutem, donec Deum Deorum cernere mereretur in Siō, post illam quam suprà diximus B Petri Ecclesiam, aliā, vt refertur, in honore sanctissimi Ioannis Baptistȩ construxit Basilicam, in qua multas diabolo abstrahens, Deo acquisiuit animas, ibidemque instituit fidelium baptisterium fieri populorum. Per succedentia annorum curricula, in hoc tēplo tantus fuit sacrȩ religionis vsus, vt posteà nō modico tempore sanctissimū inibi monachorū sub regulari tramite Christo militaret collegium. Tertiam nihilominùs affirmatur ȩdificasse Ecclesiam, in cuius fundamētis fecit mirȩ pulchritudinis cryptam, fontémque inferiùs composuit mirificum, qui non modo habilis est ad potādum, sed insuper valdè salutifer, si quis cum fide biberit, ad omnem expellendum ȩgritudinis morbum. Ante ostium verò ipsius fontis, consecrauit aram in honore prȩceptoris, iam crebrò nominati Petri Apostoil, Apostolorúmque Principis, vbi ipse venerādus Antistes sepulchrum sibi, quod à modò vsque hodiè cernitur, fecit; in quo etiam non paruo tempore humatus iacuit. Nos ergo non solùm hȩc quȩ paucis memorauimus, credere, verum etiam multa alia, & ferè innumerabilia debemus non ambigere, quia nequaquàm nimiùm ferocia, ac indomabilia Gentilium colla Christo subigi potuissent, nisi ipso, qui dixit Sine me nihil potestis facere, cooperāte vt ipsi Principes sanctæ Dei Ecclesiæ, scilicèt S. Apostoli, sequacésque eorū Apostolici viri, quemadmodùm in gestis illorum audiuimus creberrimè; hic quoque vir egregius, & Apostolicus mira & magnifica credatur egisse. Ipse námque author noster, & Redēptor Dominus Iesus Christus in Euangelio omnibus fidelibus suis legitur dixisse: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Sed vt ad hæc quæ dicimus credenda, incitemus animos fidelium, referre visionem hìc fidelis cuiusdam, cuius nomen, quia adhuc superest meliùs fore credimus reticendum, non duximus superuacuum. Hic itaque cùm se post expletum diurni temporis officium, postque effusas deuotissimè Deo preces, sopo-

ri se dare vellet, in mente ei talis beatissimi deuenit memoria Clementis: Cœpit namque nimiis præcordiorum perturbationibus de sæpè dicto Præsule anxiari, videlicèt qui tot millia hominum Christo potuit, eo annuente, subiugare, vt quid nullo penè virtutum fulgeret iubare. Hæc eo cogitante vix aliquando eâ valuit nocte somno opprimi. Sed cùm necdum dormiret, nec omnimodè vigilaret, vir ante illum nimiæ claritatis astitit, eique dixit: Quare ergo, frater charissime, tam longo noctis spatio de almi Præsulis, velut infidelis dubitare videris virtutibus Clementis? Scito absque aliqua ambiguitate, maximis illum in carne viguisse miraculis; adeò vt opinio virtutum illius tantùm se dilatauerit, quò ad Romanas arces, non modò cæteris fidelibus, sed etiam ipsi Apostolorum primo gratiam Dei in illo admiranti, clara peruenerit. Peccatis verò Christiani populi exigentibus, sæpè rerum Creator Dominus, immitem Barbarorum gentem super eos venire, atque illos, Ecclesiásque in quibus præcepta eius audiebant, & contemnebant exterminare cũ ipsis sacræ Scripturæ voluminibus, & idcircò illius quemadmodùm, & plurimorum Sanctorum gesta omninò ferè obliuioni sunt tradita. Sed quid mirum, si magnis dum viueret fulgeret prodigiis, cùm adhuc, si petentium fides non deficit, locus reliquiarum eius non mediocribus coruscat miraculis. Temporibus námque nostris claudum vnum omni penitùs debilem corpore sanatum, trésque dæmoniacos mundatos ante sanctissimum corpus illius oculis propriis, non sine ingenti admiratione vidimus. Transiuit verò VIII. die Calendarum Decembrium ab hac ærumnosa, & instabili vita ad fœlicem & angelicam patriam Princeps maximus, & Sacerdos coniunctus magnis Principibus, Sacerdotum adsistens nunc Domino cælorum, paratus intercedere apud illum pro peccatis fidelium populorum, vbi cum eo lætatur fœliciter in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit vita sancti Clementis.

AD Caput XX. Manuſcripta vita Manſueti hæc eſt.

Incipit vita ſancti Manſueti Diſcipuli Beati Petri, & Leucorum Apoſtoli.

POST glorioſum cœleſtis victoriæ triumphum, cum quo ſæculorum conditor, hoſte deuicto, cœlorum penetrauerat Regnum, Apoſtolicæ dignitati, ipſius Saluatoris præſentia, Petrus Apoſtolus electus, & author præſignatus, claues cœlorum ſuſcipere, atque vniuerſalis Eccleſiæ gubernacula meruit obtinere. Cúmque primùm, vt in Eccleſiaſticis hiſt. legimus Hieroſolymorũ, pòſt Antiochię partibus diuinæ illuſtrationis radios infudiſſet, & diabolicæ ſuperſtitionis tenebras, manifeſtâ virtute depuliſſet Romani Imperij dignitatẽ: Chriſtianitatis titulo, ac ſanctę Crucis vexillo dilatare, ac ſublimare decernens, mundi dominam, & caput orbis Romã aggreditur, ac Deo diſponente, cœleſtis magiſterij diſciplinæ ſanctę Eccleſię Catholicę principalis Paſtor, & Magiſter efficitur; vt videlicèt vbi diuerſarum nationum confluxerat multitudo, inde quoque liberiùs, atque valentiùs in diem creſceret Chriſtianitatis ſana religio. Cúmque ſanctæ prædicationis velut clariſſimos ſolis radios, per vniuerſas terrarũ partes ſollicitus euibraſſet, credentium populorum multitudines aggregans, in ſpem ſalutis æternæ corroborat, cuius ſancti fama nominis non ſolùm ad finitimas, ſed etiam ad exteras perlata fuerat nationes.

Eâ tempeſtate, vt ſcripturæ documento percepimus, quidam ſanctæ indolis fuerat adoleſcẽs, nomine Mãſuetus, ex tranſmarinis partibus nobilium quidem Scotorum clara progenie genitus, ſed mentis egregiæ nobilitate multò pretioſiùs inſignitus. Qui videlicet, teneræ adhuc ætatis proceſſu conſtante, cum præſagio nominis prouehebatur culmine ſanctitatis, moribúſque vocabulo conſonantibus, ſemper ſublimior ſtudebat fieri augmento pietatis. Qui cum cæteris bonorum operum ſtudiis verè extiterat amator innocentiæ, ita quoque vt ſui commoda prætereiens exterorum cauſas libẽtiùs ageret,

aliorúmque infortuniis vt propriis influebat mansuetorũ cordibus copulari, rigidioribus verò Instantijs abrumpi in sanctificationis puritatem assumi, in decliuioris ludibrii præludium absolui imbecillibus, atque inopiâ profligatis tota mentis intentione conferri, ac miserorum gemitus vt suos adhiberi. Tanta quoque in eo fuerat virtutis opinio, vt non solùm sibi sed etiam parentibus fieret in salutem. Naturalis quoque ingenij efficacia cælesti inspiratione præcedente literalis magisterij disciplinam sic dilexit, sic est prosecutus, vt neminem consortis collegij perspicatiorem, neminem in his studijs habuerit præcedentem. Cúmque fœlicibus auspiciis diuini feruoris instantia animos aspiraret adolescentis à Romanis artibus Christianæ fidei Beati Petri Apostoli solertia titulo radiante Romam profectus, eius quem totus visceribus ambiebat præsentiam expetiit, atque Apostolicæ institutionis magisterio se abiectis omnibus subdens, in eum iniecit oculos, cuius ardebat desiderio sanctitatis. Insigni quoque diuinorum operum præconio præeunte, Catholicæ informationis pręelegit principem, de cuius fonte sumeret quod verissimis testimonijs vt patuit post modum approbaret.

Videns autẽ beatus Petrus futuri prouẽtus, ac bonarũ virtutum in eo signa radiare, & claritatem supernę illustrationis manifestatis indiciis emicare, tantò ardentiùs beatum virum ad cœleste magisterium edocendum sibi virtute confessionis adsciuerat, quantò in salutem credentium, pręsentium scilicet, ac futurorum multiplicibus veritatis cooperatoribus indigebat qui videlicèt beatissimus pastor vniuersalis Ecclesiæ totũ mundũ, quẽ à Domino Iesu Christo creditum acceperat dęmonum erroribus inuolui, ac subditum esse illachrymans perfectissimos quosque diuini verbi pręcones ordinauit, quia se in Galliis dirigendi virtute constantię, & fidei testimonio comprobati Galliarum populos, qui iugo tenebantur diaboli eruerent, & ad diuini cultus sacramenta prouocarent. Ex his itaque Maternum Treuericę ciuitatis Pontificem, Remorumque sanctum Sinicium, Mediomatricorum verò Fœlicem, & Clementem, Memmium autem Catalaunensium fuisse non dubitamus. Cum quibus etiam hunc beatum virum consortis ministerij collegam deputauerat, vt pote longo Apostolica

ſublimitatis exercitio edoctum, ac cœleſtis magiſterij experientiâ in cunctis ſummè comprobatum.

Quem videlicèt maioris dignitatis, & gratiæ eſſe decernens, Pontificalis authoritatis priuilegio præmuniuit, vt prædicationis diuinæ emolumentum ſacerdotalis officij præcederet ſacramentum. Imperium quoque Magiſtri eminentis obſequiis, perfectè diſcipulus armatus edicto, inſtructus eloquio, obediens in præceptis, fidus in promiſſionibus, Romam egreſſus, longiſſimos indicti itineris anfractus, à beato Petro corporali non mentis intuitu ſeparatus, longinquæ peregrinationi pro Chriſti regno ſe vltrò ſubiiciens, Leucorum vrbis ſe ciuibus intulit, in omnia ſuppliciorum perferenda genera præparatus. Quæ videlicèt ciuitas, aquis irrigua, paſcuis vberrima, murorum ambitu iucunda, feris, & turribus, ſecus vndique præmunita, idolorum tamen ſordibus vſquequaque polluta fuerat, & confuſa. Metas itaque præfatæ ciuitatis Chriſto duce, ac B. Petri præuiâ authoritate ingreſſus, barbaricâ multitudinem nihil veritus, veræ fidei ſacramentum, & Chriſtianæ religionis cultum gentibus prædicare cœpit. Idola vana eſſe, & ſurda, & muta, manu potiùs facta hominum, & commento, quàm veræ rationis exiſtentiâ, primordio nihil diuini habentia, nec ad beatam fœlicitatem, quæ poſt hanc mortalē vitam ſecura eſt, aliquid attinentia. Vnum Deum potiùs colerent, qui terras, & maria condidiſſet, qui cœli ſublimitatem ſuâ ditione teneret, qui corporibus vitam poſt mortem fœliciùs præſtaret viuendi facultatem. Tantorum falſorum deorum culturam horrendæ vanitatis eſſe ludibria, animarum diſpendia perennium nihil aliud quàm futura tormenta.

Erat tunc temporis memorata ciuitas, populorum ſtipata cateruis, rerum ditiſſima copiis, ac diuerſæ ſupellectilis referta commerciis. Rex quoque gentilis, & barbaricus, cum ſua coniuge Leo nomine Deum ignorans, cùm omni populo ſuo idololatriæ cultibus ſubiugatus. Ad quē cùm perlatus eſſet ſancti viri aduentus, & quam per populos ferebat, diuini prædicatio verbi, ſpreuit, & abnuit, & verum Deitatis æternæ præconem ſurdâ aure prætcribat. Vir autem Domini inſtanti conſtantiâ reluctatus, propter mœnia ciuitatis exiguæ habitationis ſibi receptorium parauit, cunctóſque ad ſe venientes ad cognitio-

nem veri Dei, à superstitionibus dæmonum reuocabat, eligẽ potiùs diuersis cruciatibus, ac suppliciis corpus esse tradendum, quàm id quod B. Apostoli Magistri sui edicto susceperat æternæ salutis ministeriũ declinaret. Instabat igitur negotio perseueranter, quod cœperat. Cúmque huic indefessæ solertię dierum subigerent curricula plurimorum, rumoris huius solẽnis frequentia ad notitiam Reginæ perfertur, cui familiares domestici adiungunt talia referentes; adesse videlicèt quemdam patriâ quidem peregrinum, genere ignotum, affatu dissimilem, vultu & habitu sibi penitùs ignotum, & non esse ei consortem, conditione tamen Christianæ fidei esse cultorẽ, ab Italiæ partibus venientem, *ab eo quem Romanum pars maxima veræ fidei signiferum, & Papam sequitur se à Petro esse missum veraciter asserentem.* Dominum cœli, hominúmque factorem, apertis, atque assiduis vocibus prædicantem. Cúmque hæc & similia rei nouæ admiratione referentibus, Reginæ gentilis animus aliquo modo flecteretur ad audiendum, absentis Regis sui liberâ potita facultate, sec. etò vsa cubiculi, virum Dei sibi præcepit intromitti. Quę est, inquiens, hęc noua, & hactenùs nobis inaudita religio quam nostrorum culturę deorum superducere gestiens, alia nobis colenda denuncias, quæ vsque in pręsens generi nostro, & incognita permanent, & inculta. Intelligens autem vir beatissimus intentionem Reginę sciscitantis, & spem habens in ea vitę regenerantis. Dominum inquit verum, & verum in distinctione trium personarum, Patris, & Filij & Spiritus sancti, omnium rerum incommutabile principium, qui est fons, & origo bonorum, à quo omne genus mortalium existendi sumpsit initium: cuius potestas nec cœpit esse, nec desinit in ęternum, per quem pereunti mundo ęternę redemptionis venit remedium, postquàm Deus, & Dominus noster Iesus Christus Filius omnipotentis patris de cœlis missus ad terras, per vterum intactę Virginis carne vestitus humanâ, mortalibus visibilis ostensus, plurimis, & mirandis virtutum signis declaratus, ad vltimum, vt diaboli excluderet dominationem, in cruce Iudęorum infidelitate spontaneâ dispensatione sui consilij appensus, pretio fusi sanguinis ab errore dęmonum eos absoluit, quos vitę perennis hęredes futuros pręfiniuit. Quid plura? Regina credidit, & nisi paga-

ni Regis potestas obstitisset legitimo adnixa matrimonio, purgari non desisteret fonte salutari. Tamen Rege aliarum rerum euentibus implicito, quoties Regina feria opportuna conciderant, virum Dei frequentiùs adscitum, viam salutis intendebat strenuè demonstrantem.

Erat igitur his paruulus filius, qui instituebatur ad ritum parentum profanorum, cuius videlicèt exigua pueritiæ tempora, licèt teneris ageret natura sub annis, parentibus tamen, vt pòst patuit res, fuit initium, & prouentus tam diù dilatæ credulitatis, & salutis. Beatus autem Pontifex in prospectu vrbis, vt diximus, vmbrosis syluarum frondibus contectum locum delegerat, & remotum, in quo soli Domino vacans, attentiùs opus quod cœperat votis assiduis deferebat. Qui non tantùm suis, quantùm etiam Magistri sui Apostolorum Principis subsidiis innixus, signis, & virtutibus coruscabat, clarus aspectu, moribus dulcis, alloquio mitis, constantiâ fortis, patientiâ longanimis, castitate præcipuus, in beneficiis largus, egenorum miseriis pronus, consiliis cautus, misericordiâ plenus, hospitalitatis gratiam consectatus, in orationibus assiduus, in lectione deuotus, in lachrymis profusus, in compunctione attritus, in cæteris bonis actibus probatus, atque perfectus. Cuius virtutem cùm in rebus maximis, tum etiam in minimis causarum euẽtibus, plures sunt experti. Nam cùm in agendis ferarum executionibus, quælibet animalia canum violentia illud hominum genus insequeretur, vsque ad eum quo vir Dei manebat, locum peruenientes, stupefactos cerneres riguisse, nec vltrà necem exemptæ intentare capturæ. Quare sæpè Regia indignata potestas, sanctum Pontificem Domini decreuerat trucidandũ. Quem tamen diuina virtus, inter arma barbara & mores ferocissimos ad erudiendam plebem fidelium, & expiandam vrbem idolorum conseruabat illæsum, nolens vitam eius breui consummare articulo martyrij, sed prolixis temporum sudoribus immorantem fructum afferre copiosiorem, & pacem Ecclesiæ, quam recturus erat, multimoda commercia referentem ad regnum transire cœlorum.

Intereà causa extitit quâ Rex, & populosa Gentilium multitudo, ludis suis solemnem frequentiam agerent, & consue-

tis otij sui exercitiis vacarent. Cúmque talibus intenti tenerentur, accidit prædicti Regis vnicum paruulum filium, ex muro cui tunc superstare videbatur, ea scilicèt parte quà reducto paululùm sinu quem sors ædificantibus dederat muri ambitus quemdam reflexerat angulū, è sublimi loco prolapsum casu in fluuium Mosellæ cecidisse, qui scilicèt fluuius aluei sui cursu loca viciniora possidens, tunc temporis propter mœnia ciuitatis influebat, tantáque erat illic aquarum profunditas, vt absorptum à voragine puerum, arte & spe descisceret quærētium solers industria virorum. Ciuitas tota ruit in funera, clamor attollitur rusticorum, pater, & mater, penè exanimes referuntur. Tragœdiæ personant mulierum, falsorum frustrà prouocantur sub specie deorum. Dies vertitur in luctum, ludi in miseriam, solemnitas in mœrorem. Ita sorte duplici mœrore, & labore consumptis omnibus, nocte irruente dies clauditur. Cúmque fessa membra post tantum laborem lecto reclinarent, graui vterque parens somno deprimitur. Cùm ecce repentinè dormienti Regis coniugi, vt ambo decumbebāt, beatus Mansuetus per visum apparuit, dicens. Meritò Regina turbaris, meritò confunderis, meritò triste funus filij tui exsoluis. Nam si conditorem tuū cognosceres, & verbis olim meis tu, & Rex tuus fidem adhiberes, ab hoc forsitan infortunio libera fuisses, vel multò salubriùs hæc contingerent, dum animam simul cū corpore pereuntis beata quies exciperet vitæ renascentis, sed nunc quidnam facies, si vel corpus extincti recipere merearis? At verò illa se deuouens acturam quod imperaret; cùm prolixiora sancti viri ambiret colloquia, eius visio inter affamina rumpitur. At illa protinùs somno erecta, marito quod viderat ex ordine intimauit. Tunc ille: O si possum, inquit, eius quem sanctum Dei edoces, promereri præsentiam; polliceor enim me eius dictis assensum præbiturum, si tantùm per eum obtineam, vel cadauer exanime, & laniata membra gurgustio non carere sepulchro.

Inter hæc nocte decedente dies adducitur crastinus. Quæritur vir sanctus à Regis Officialibus, sed eo die minimè reperiri potuit. Labor frustrà quærentium vsque in diem tertium protelatur, iamque spes inueniendi penè subtrahitur. Illucescente autem die tertio tandem prælibatus vir Dei inuentus,

Regiis obtutibus præsentatur. Cui ille pristinę feritatis rigore deposito. O sancte, inquit, Dei, quem saluti nostræ ab exteris partibus gaudemus aduenisse, miserere orbati parentis, miserere extincti nati, adhuc sub aquis lethiferè decumbentis. Iã protinùs asto, & credulus aras destruo, templa & simulachra subuerto, dæmonum figmenta cuncta contemno, immolatitios cruores deuito, fidem quam prędicas suscipio, Dominum cœli, *quem orbis Romanus, iam Petro docente persensit adorandum*, & me, & populum meum, diuinis legibus subiugabo, dum per te merear tantummodò, vel extinctum suscipere, quem constat tam crudeliter perdidisse. Vir itaque Dei, qui iam profectò nouerat quid facturus esset, his vocibus motus, his lachrymis compunctus, simul sentiens tantam frugem populorum, diuinam sibi adesse virtutem, ad mari locum se duci præcepit, de cuius culmine præceps deuolutus puer in gurgitem decidisset. In quo videlicèt loco orationem fundens, ac præcipuè fidens in Domino deuotis precibus incubuit, inuocatóque Christi nomine, cunctis qui littora cinxerant aspicientibus corpus iacentis pueri apparuit, & à profundis eductum ferri super æquora cœpit, quod celeriter ab vndis ereptum ante pedes beati viri protinùs est illatum. Ecce habes, inquit ad patrem, corpus exanime quod petisti; si tamen implere decreueris quod spopondisti, aderit quoque diuina clementia, quæ tibi adhuc multò valeat præstare maiora. Nam & ego ad hoc veni, & peregrinationem tantam assumpsi, vt per me vobis pateat cœlestis ianua regni, à Principe Apostolorum missus, salutis vestræ negotia prosequor, vestrarum gaudens lucra animarum quæro. Tunc pater, & cuncti, qui aderant vnanimiter profitentur, abdicatis idolis veri Dei se futuros esse cultores, si is qui iacebat exanimis spiritu redeunte monstraretur post mortem ad superos posse respirare. Hic sanctus Pontifex plenus semper visceribus pietatis, id quod petebatur per spiritum intelligit operandum. Iterùm genuflexo in orationem diuinæ maiestati supplicaturus, humi prosternitur, & Christianos, qui tunc fortè pauci admodùm numero aderant, idem facere votis cœlestibus præmonuit. Cùm oratione expletâ mortuus repentè vitali flatu membris concutitur, atq; ad sancti viri imperium in pedes erigitur, & cunctis admirantibus

patri incolumis redditur.

Tunc vniuersi, qui ad hoc spectaculum conuenerant, manifestâ Dei virtute flere cœpêre præ gaudio, noménque Christi in commune fateri, & illum præ omnibus esse colendum, qui cunctis mortalibus spiraculum vitæ dedit, ac post lethalia funera mortuorum spem imperio coërcet, atque iterùm cùm voluerit rediuiuis corporibus ad superos reuocari iubet. Tunc fidelis Domini Sacerdos ad resuscitatum puerum conuersus: Accede propiùs, & pertemet enarra parentibus quid videris, vel vbi fueris, cunctis simul patenter ostende. Tunc ille, vt recèns ab infernalibus prodiens emerserat vmbris, ad nutum Antistitis ora resoluens, atque tenero pectore alta suspiria trahens, liberè cœpit dicere, quòd in inferno positus vel senserat, vel vidisset. Multa videlicèt & innumerabilia tormentorum genera inter tartareos ignes, flammiuomos vigere serpẽtes, immensas iterùm multitudines diuersis suppliciis deditos, ac miserorum spiritus inter flammas, & frigora coarctatos stridore deficere, atque ex suo defectu ad rediuiua irerùm incendia reuocari, vbi ad vitam nulla recuperatio, sed omnium bonorum obliuio, sola præsentium pœnarum inenarrabilis cruciatio; ad quam quoque ipse Rex, & Regina, omnésq; qui præsentes aderant, procul dubio essent peruenturi, nisi beati Antistitis dictis & factis crederent, & Christianæ fidei colla subiugarent, séque ipsum ad eadem loca pœnarum deductũ, perpetuę damnationis tenebris fuisse deputatum, nisi beati Confessoris Christi citiùs intercessio subueniret, quæ cum à malignis spiritibus, atque ab infernalibus claustris eriperet, & ad superos reuocaret.

Hęc & plura similia prosecutus, flebilis ad pedes Sãcti prosternitur, & fonte salutis ablui humiliter profitetur, patrem ac matrem, cęteróśque quorum sollicitior fuerat, vt idem facerent votis, monitiśque, quibus poterat suadebat, dicens sanctũ Pontificem à Deo fuisse destinatum vrbi in salutem, venisse ciuibus pastorem sanctum, animarum rectorem, atque custodem diuinâ dispositione, & Apostolicâ institutione electum, cuius ipse & tota ciuitas communiter saluaretur aduentu. Tũc igitur inter verba pueri, & euidentissimam resuscitationis eius virtutem, tantę nouitatis insolito miraculo stupefacti omnes,

videntes manifestam Dei virtutem, cui resistere, & malignè contradicere nemo illorum poterat, Idola respuunt, aras subuertunt cunctas diaboli officinas prosternunt, & Christi nomen communiter inclamare, & laudes in cœlo personare cœperunt.] Deinde etiam claris vocibus erumpentes, baptismatis sacramentum, quod priùs pertinaciter recusabant, humiliter omnes expostulant. Tunc verò secundùm Apostolicam disciplinam, à beato Antistite sanctæ fidei regulam priùs edocti, ac deinde gratiam baptismatis sunt consecuti Rex scilicèt, & Regina, omnisque eorum familia, omnis militaris ordo, vniuersa rusticorum multitudo, & factum est gaudium magnum in illa ciuitate. Tunc omnis candidatorum turba, & cœlestes in laude Christi cohortes, nouũ redemptionis genus adepti, & vetusto anguinis tegminis squalore spoliati, diuinam potentiam admirantes, de gloria B. Mansueti merita magnificè prædicantes, pari voto, paríque consensu sanctum virum totius Ecclesiæ summum rectorem eligunt, ac pastorem, iustum esse, vt qui ad salutem totius populi venerat, totius electione populi pastoris iura teneret. Ac sic vniuersi acclamantes hunc esse dignum, hunc per omnia ciuibus profuturum, non iam quasi peregrinum, sed tamquam pastorem proprium Apostolicæ præfultum priuilegio dignitatis, in sedem statuunt Pontificalis honoris.

Tunc vniuersi iam catholicâ fide fundati, per omnes dominationis suę terminos longè latéque verbum salutis cunctis inferri pręcipiunt, ita volentes, nolentésque autè ver conuertuntur, aut patriâ propelluntur, nec vllus relinquitur, qui aut non baptizetur, aut non baptizandus ad fidem imbuatur. Sic igitur Dei electus priùs quidem Romę Episcopus consecratus, pòst verò, vt verbis pręcedentibus patet, generali populorum acclămatione signis atque prodigiis ad Pontificij culmẽ Leucorum vrbis assumptus; sermone non potest comprehendi quanta, & qualia diuinitùs meruit operari. Misericordia namque, & pietas semper in eius ore, & mente versabatur, nec Episcopalis authoritas pristini rigoris, & abstinentiæ fręna resoluit. Noctes, diésq; continua oratione sæpè consummauit. Motus animi tantâ mansuetudine coarctauit, vt cùm sciret misereri, nesciret irasci, omnibus clemens, omnibus miseri-

cors. Aduenientium verò miserias ita pręferebat, vt quicumque mœrens venisset, apprimè consolatus lętior rediret. Languores autem ęgrè se habentium, non solùm suâ intercessione, sed B Petri Apostoli acceptâ authoritate liberè curabat. Ita pastor in populis, verè medicus agnoscebatur esse salutis. Sicut autem in gestis eius, quę multò ante nos conscripta sunt, studioso lectori perfacile est inuenire, emundatâ, vt suprà diximus, eâdem Leucorum vrbe omni idolorum superstitione, ędificauit ciuitatis intrà mœnia templum Domino, in honorē genitricis Dei, & Domini Iesu Christi, ac perpetuę Virginis Marię, necnon & sancti Prothomartyris Stephani. Aliud verò templum construxit ex latere in parte australi, quod solemni populorum frequentia dedicauit, in honore & veneratione sancti Ioannis Baptistæ, vbi dicitur ad fontes. Deinde autem per omnem diœcesis suę prouinciam plurimas construxit Ecclesias, ordinatis presbyteris, & diaconibus, vbi diuinæ maiestati debita laus redditur, & glorificatur Deus admirabilis in sanctis suis, vsque in præsentem diem. In eo verò vbi primùm aduenicns cominùs in suburbio ciuitatis, vt diximus, hospitium præparauerat: diurnis quidem in ciuitate diuini pabulum verbi gregi sibi commisso sollicitè ministrabat, nocturnis autem temporibus vt liberiùs orationi instaret, ad idē tamquam sibi consuetū habitaculū reuertebatur, vbi scilicèt lacrymarū affluentiâ deluebat, si quid circa aliorū salutem occupatus sibi ipsi diurnis spatiis minùs perfectè procurasset.

Tantis igitur, ac talibus, vt prædiximus, lōgo temporis exercitio, diuinus operator incessanter insistens, fatigari non poterat, quem S. Spiritus feruor accendebat, qui secundùm Apostoli dictum, etsi aliis non erat Apostolus, huic tamen plebi verè Apostolus extitit, quem ipse tot signis, atq; virtutibus, tot laboris & cōstantiæ suę sudoribus Deo acquisiuit. Et quamuis moribus nostris conuersioni multa deesse sentimus, quæ ille vir beatus & coluit, & excoluit, signa autem Apostolatus eius nos omnes in Domino sumus, quia quod ille ab ipso primordiali sanctæ, & vniuersalis Ecclesię sumpsit exordio, hoc postmodùm generi nostro liberâ authoritate profudit, fide potiùs armatus quàm ferro. Prætereà B. Petrus Apostolus qui in numero Apostolorum primus eligitur confessor filij Dei factus,

humani

humani generis pastor electus, Ecclesiæ fundamentum, clauicularius regni cœlorum, Christi Domini confessione probatus, passione postmodùm coronatus, Galatiam, Pontum, Cappadociam, Bithiniam, atque Italiam Euangelicis plenè repleuerat documẽtis, qui sub Claudio priori Cæsare Antiochenã fide Catholicâ primùm perfectè fundasset Ecclesiam, eámque per septem continuos regeret annos, Simonis Magi versutias, qui Apostolicam institutionem vbique locorum fugitans, sanæ doctrinæ radios suæ tenebris maculare nitebatur, spiritu sancto edoctus præueniens eumdem Simonem Magũ Romam prosecuturus ingreditur, ibíque electione fidelium pastor Ecclesię factus, Euangelium prędicans viginti, & quinque annis eiusdem vrbis tenuit principatum. Contra cuius clarissimam prædicationem, vt historiæ referunt, idem Simon Antichristi membrum vtique factus, rabido ore consurgens, Neronis, & Agrippæ Præfecti fisus audaciâ, Apostolicam assertionem sui prauitate mendacij obfuscare non destitit. Vnde magicis artibus cœlum conscendere molitus, virtute & oratione B. Petri Apostoli, dum ferretur per aëra, ad terram amens corruit per partes diuisus. Quibus actis Nerone iubente proscriptus, tricesimo sexto anno post passionem Domini in vrbe Roma, vt ipse voluit, deorsum cruci affixus, post Apostolicum meritum superna cœlorum regna ingreditur, glorioso martyrij sanguine laureatus.

Cuius in toto orbe terrarum meritò recolendam B. Mansuetus, tanquam fidissimus discipulus, magistri audiens passionem, loco quo prædiximus beatum virum non longè ab vrbe pro tempore fuisse hospitatum, quem etiam sacri oratorij iam pridem titulo sacrauerat, nobiliorem Ecclesiam condidit quam videlicèt in honore, & memoria Petri Apostoli, sui vtique præceptoris, statuens, sacri pignoris eius quem secum detulisse fertur, benedictione consecrauit, vbi scilicèt diebus, ac noctibus peracto prædicationis officio conueniens, ac soli Deo vacare desiderans, plures posteà agens annos, multitudines fidelium in fide Christi colligens, ad consortium præmisit Angelorum. Cúmque iam electus Dei athleta plenus esset dierum, & prouectæ ætatis multis, & diurnis bonorũ operum sudoribus, & laboribus vt prędiximus fatigatus, virtutibus

quoque, & miraculis signis admodùm declaratus, tanquam fidelis seruus, & prudens, qui dominicæ familiæ mensuram tritici in tempore suo erogauerat, ad accipiendam æternæ recõpensationis mercedem, Domino iubẽte vocatus, carnis onere deposito tertio Nonarum Septembrium spiritũ cœlo reddidit, & stolam beatæ immortalitatis cum Domino suo perẽniter regnaturus accepit, vbi modò gaudet Angelorum cœtibus admixtus, atque ouium suarum adhuc inferiùs agentium multò magis præstantiùs & potentiùs intercessor effectus. Ad cuius exequiarum solemne consortium, iam dici non potest quanta multitudo fidelium conuenerat, quos videlicèt ipse laboris sui instantiâ in filios adoptionis per Spiritum sanctum transfuderat. Cerneres maximas populorum cateruas non iã peregrini, & ignoti, sed proprij patris, & pastoris sui funus triste stipasse, & lamentabiles exequias vndique quodam quasi procinctu flentium, atque dolentiũ confuso ordine miscuisse; atque sequentium agmine vsque ad locum sepulchri corpus defertur exanime, & in eo loco, quo eum prædiximus B. Petri Apostolorum Principis honore, & merito Ecclesiam dedicasse, dignissimæ traditur sepulturæ. Vbi tot certaminum, & laborum consummauerat cursum, ibi Domino disponente voluit debitam corpori habere sepulturam. Quem videlicèt locum meritis eius obtinentibus, ex tunc, & modò diuina potestas ad laudem, & gloriam sui nominis, signis, & virtutibus illustrat; vt ostendatur quantùm in conspectu æternæ claritatis in cœlis fulgeat, qui tantarum quotidiè virtutum in conspectu mortalium admiratione coruscat. Cuius merita gloriosa nos qui oues, & grex eius sumus, cum humili deuotione debito honore veneremur, vt ipsius intercedentibus meritis sine fine gaudere mereamur. Nunc quoque quia vitæ, & conuersationis eius in carne degentis ex parte finem agnouimus, quis eius fuerit successor, compendiosâ breuitate huic narrationi inserere dignum iudicauimus.

Post gloriosum B. Mansueti Leucorum vrbis primi Pontificis ex hoc mundo ad cœlos transitum, sicut in gestis præcedentium Antistitum inuenitur, sanctus ac beatissimus Amon Dei prouidente clementiâ, in prædicta sede communi vniuersorum voto atque consensu ordinatur Episcopus, beati vi-

ri successor factus, qui prædecessoris sui mores, & instituta ad vnguem exequutus non valet explicari quantæ bonitatis, & sanctitatis fuerit operibus comprobatus. Hic namque Pontificalem dignitatem in cuncta morum honestate exuperans, non solùm verbis exemplisve subiectam plebem circumquaque competenter excoluit, sed etiam miris, ac magnificis virtutibus illustrauit, qui sic quoque cùm daret in celebrationibus decus, & ornaret tempora vsque ad consummationẽ vitę, recedens ab hoc sæculo in oratorio quod suprà diximus, in B. Petri Apostolorum Principis honore à sancto viro studiosè constructum, cum eodem prædecessore sanctissimo condignæ traditur sepulturę. Vnde quoque amborum meritis, & intercessionibus, ad laudem diuini nominis, idem locus ex eodẽ tempore visus est magnificis miraculis effulsisse. Cùm scilicèt cœcorum oculi diuturnâ caligine pressi, optatam expulsis tenebris lucem recepêre, variarum peste cladium languentes exuit, attractis quoque neruis plures repentes humi, necnon & quam multi diuersis, & innumerabilibus angoribus infecti, salutis gaudia horum interuentu se gaudeant ad propria retulisse. Ad quorum videlicèt patrocinium Regum, ac Principũ legimus frequentiam confluxisse, ac viris sanctis xenia ad subleuandam seruorum Dei inopiam, & pauperum indigentiam deuotè contulisse: vbi etiam diuersis temporibus mirifica sunt ostensa virtutum amborum meritis insignia. Sed vel propter irruptiones barbararum gẽtium, vel propter scriptorum inopiam, sine dubio sunt prætermissa, vel perdita; cùm etiam hãc nouerimus vrbem ob inhabitantium enormitatem scelerum, simul cum rebus, Vvandalorum vastatam persecutione crudelium, ac postmodùm antiqui hostis insidiis atrocibus flammarum incendiis concrematam.

Hoc tamen non est silentio supprimendum, quod ore quorumdam nobis fideliter est relatum. Martinus Turonorum S. Episcopus toto orbe notissimus B. Maximino Treuirorũ Antistiti admodũ fuerat familiarissimus, ita vt sæpè collatis fruerentur alloquiis, *& B. Petrum Romam pariter adituri*, mutuis viatim inniterentur collegiis. B igitur Martinus communi disposito quodam tempore id acturus, oratorium B. Mansueti, ad quod declinauerat, diuinam exoraturus clementiam, deuotus

vt erat ingreditur. Cùm ecce repentè cuiusdam sanctimonialis spiritus puellæ, cuius corpus non longè ante sepultum eo loci fuera-, repertus vocibus sancti viri nomen ex sepulchro ingeminat, cuius precibus cùm vir beatus intēderet, protinùs illa subsequitur. Sanctissime, inquit, Pontifex terræ cœlóque præpotens, animæ miserere sepulti. Corpus quidem hic tegitur terris, sed spiritus adhuc versatur in pœnis. Adhibe in auxilium sanctissimi Mansueti & tuum patrocinium. Hāc quoque saluatam credideris, cùm reuersus vocem non audieris supplicantis Hinc ille abiens, iter quod cœperat aggreditur, petenti præcipuè subuenire sollicitus. Intereà confecto toto illo itinere, cùm rediens glebam beatissimi Mansueti, vt erat solitus, non præteriret, & signa petentis defunctæ iam nulla percepisset, gratias Creatori persoluit, quia vtriusq; interuentu saluatam agnouit. Hæc enim perire quomodò poterat, cui tales intercessores immensa Dei misericordia commiserat? His ita gestis quia ad alia tendimus, in his quoque pro voto finem facimus.

Hoc etiam non indignè placuit inserendum, quod frequēti testimonio vulgatum adhuc inter ora versatur plurimorum. Ex transmarinis Scotorum finibus has partes moris erat expetisse multos, inter quos eo tempore vir quidam pauper cum coniuge dicitur accessisse. Antiqui enim temporis multos fama exierat, suæ gentis virum sanctissimum Scottigenis peregrè abeuntibus solito potissimùm expetendum. Vnde, & hic conscius, vt rumor erat, amoris & gratiæ non longè ab æde B. viri potitus hospitio voluerat mansitare. Hic in rebus domesticis exiguæ fuerat admodùm supellectilis, tantùm inter rei familiaris commoda, non magnæ quātitatis solitus alere porculam, futuris sibi escarum vsibus inferendam. Vt autem assolet in tanta multitudine hominum amicam bestiolam cùm absentem diutiùs conspicit, furto sibi sublatam pauper intelligit, furantis autem personam cùm nusquam deprehenderet damni sui non ferens dispendium ad sacram ædem tendit, & efferis, vt Scotorum datura est, animis, tumulo Sancti se mœstum iniecit, & plenum querimoniis, & vt rustici verba eloquar. *O sancte Dei Scottum inquam, te, Scottum & me genti Scottigenæ propitius miserere.* Me eminùs positum fortè iuuare debue-

ras. Ecce peregrè contiguam quid aporiari pateris? quod rebus destitui permittis? Redde obsecro quod perdidi, redde quod fur impius fortè iam absumit. Hæc & his similia multa prosequens, pauper ille tristis recipitur hospitio. Interim latro auidus miserum animal iam ferro præfocauerat, spe gaudens saturandi gutturis, ex his quas furto sublegerat rapinis. Nec diù distulit sanctus sui querimonias pauperis. Nam vt extincta bestia tegebatur latibulis, virtute sancti, flatu redeunte in pedes erigitur, furisque domo violenter eripitur, ac contubernale stabulum ingressa, non sine multorum admiratione proprio domino viua, & incolumis restituitur. Sic delusa est iniqui furis præsumptio, sic pauper recreatus est suo quod passus fuerat infortunio, sic etiã admirabilis facta est, non tantùm in maximis, quàm etiã in rebus vilibus sancti Mãsueti, si fidei credatur, euidentissima virtus. Si quis verò, huic rei incredulus esse voluerit, nihil nostra intererit, cùm hoc sciscitari placuerit, multorum adhuc relationibus comprobabit.

Quoniam anterioris executione operis, prout diuina sublimitas ad memoriam præsentium temporum réuocandam exiguitati nostræ contulerat, pauca ex pluribus breuiter explicauimus, vtique ad ea quæ dum maneret in corpore, Dei est virtute operatus omissis his, quæ, vel incuriâ, vel prolixæ vetustatis desidiâ sunt suscepta negotia connertamur. Quæ videlicèt tantò securiùs profecimus, quantò hæc quoque viciniùs facta fuisse in dubio non tenemus. Imprimis siquidẽ adnotantes, quòd siue, vt diximus, barbararum irrumpente feritate gentium, seu etiam creberrimus inter se consectationibus populorum, per succedentia tempora idem locus rebus priuatus, munitionibus dissipatus, penè ad nihilum fuerat redactus, frequenter etiam sæcularium dominationi subiectus. Intereà lóngâ euolutâ quoque temporum serie, post Drogonem inclytum Leucorum vrbis Episcopum, Dómnus Gauzlinus nobilissimus, Francorum nobilibus ortus, pietate, & religione conspicuus, literarum studiis apprimè eruditus, per Dei prouidentiam electus in hac sede est Pontifex ordinatus. Qui diligentes clerum instituens viros prudentes vndecumque colligens, vrbem rebus auxit, sapientiâ deco-

rauit, prouidâ dispensatione muniuit. Hic itaque præfatum locum diuersis, vt diximus, casibus lapsantem considerans, ascito sibi ex loco sancti Apri Confessoris Christi, Domno Erchembaldo patre venerabili, quem ipse quoque illic Abbatem constituerat, locum supradictum in religionis ordine committit reparandum. Qui videlicèt vir venerabilis, vt erat religiosissimus, sub Præpositorum manu monachorum aliquos delegauit, & quia illic stipendia eo tempore deerant, propriis sui monasterij sumptibus alendos instituerat.

Præfati igitur fœlicissimi Antistitis Domini Gauzlini tẽpore, dum isdem locus sub Præpositorum, vt diximus, custodia ageret, quæ ante è vicino, vrbis visu, vel auditu contigerint, satis sit vel pauca de multis expedire. Vvidonem istius vrbis multi nouerunt, hic viculum quemdam habuerat ab vrbe non longè positum, quem quia ipse construxerat vsque in præsens tempus nomen Vvidonis habet. In hoc quædam eius inquilina fuerat quæ iã per annos 7. cœca permanebat. Hæc, & coniugem, & filios potiùs ad calumniam, quàm ad adiutorium possidebat. Quid ageret omninò nesciebat, omnium, & maximè suorum, infœlix patens contemptui, præsenti subiecta inopiæ Intereà instabat dies, quâ expectabantur in crastinum annuæ beati Mansueti solemnitatis gaudia. Tùm illa inimicam cæcitatem perferens, turmis se commiscuit confluentium, alieno duci innititur, beati Pontificis domum gemebunda ingreditur, fletibus perfusâ facie, diuinæ maiestatis amicum inuocat, mitis pastoris affuturam sibi clementiam exorat. Cúmque in oratorio pernoctare cupiens ab Ecclesiæ Præposito cum cæteris excluditur, ante ianuam vallata populis excubat, habens in eo fiduciam in quem totam mentem defixerat. Cum ecce nocte media elatâ voce Deo gratias agit, interuentu sancti lucernas ardentes sibi patere asserit. Eia, inquit, sancte Dei cœcam illuminasti, infirmam solidasti, tristem resfouisti. A modò me tuis obsequiis habeto famulantem, super quam tuam ostendisti potentiam. Ita quæ alieno duce venerat, collatæ lucis authorem libera rediens omnibus prædicabat.

Adduntur plura miracula, quæ cùm parùm ad nostram historiam conferant, omittimus.

AD Caput XXI. Eucharij & successorum vitam accipe ex manu exarato codice.

Incipit præfatio in Vita sancti Eucharij Episcopi, & Confessoris.

QVAMQVAM beata vita sanctorum apud omnipotentem Deum æternaliter maneat, & eorum nomina liber vitæ sine obliuione contineat, nihil tamen verę religioni obsistere credimus, si eorū merita sępiùs mente reuoluamus, actúsque illorum verbis, & scriptis commemoremus. Vnde & ea quæ de gestis sanctorum patrum Treuericæ vrbis certissimâ relatione maiorum agnouimus, silentio segniter præterire non debemus, quia iustum est hos piis commendare memoriis, quorum quotidiè instruimur exemplis.

Incipit Vita eiusdem.

IGITVR postquàm beatissimus Petrus Apostolus, Antiochenam Ecclesiam primá confessione Christiani nominis super solidissimam petram fundauerat, Pontum, Galatiam, Cappadociam verbo prædicationis illustrauerat, in exordio Claudij regni Cęsaris, supernâ prouisione ordinante, Romam ingressus, salutarem cunctis credentibus fidem constantissimâ assertione prædicauit, eamdémque potentissimis signis, atque virtutibus comprobauit, & eiusdem vrbis Pontificatū viginti quinque annis strenuissimè rexit. Vbi dum firmiter fidei fundamenta collocasset, & per totam Italiam fama doctrinæ eius longè, latéque percrebuisset, tandem à Spiritu sancto præmonitus, Galliæ quoque, ac Germaniæ verbum salutis inferre ordinauit, atque ad hoc opus tres probatissimos viros ex suis discipulis elegit; Eucharium videlicèt, qui interpretatur gratia, magnarum virtutū existens vir, & impleuit opere quod designabatur nomine, Valerium, & Maternum, quorum statim Eucharium ad Episcopalem dignitatem sublimauit, Valerium ad gradum Diaconatus promouit, Maternum Subdiaconum consecrauit, qui satis idoneè à Magistro instructi, iniunctum sibi mandatum alacri mente susceperunt, & acceptâ

benedictione ad supradictas regiones ire cœperunt. Pergentes per viam incessanter sanam doctrinam cunctis euangelizabant, & multos ad soliditatem sacræ fidei signis, & virtutibus prouocabant; cúmque in quoddam Galliæ castrum nomine Elegia peruenissent, ibique aliquantùm temporis commorantes, omnes ad credulitatem constanter incitarent vnus illorum nomine Maternus, febre correptus grauiter ægrotare cœpit, atque crescente eàdem infirmitatis molestiâ, non post multos dies vitam finiuit. Quâ orbitate beatus Eucharius nimiùm contristatus, faciem vbertim lachrymis perfudit, simúlque ingeminans, ait: O inimica, & odiosa mors, quæ propter inuidiam diaboli in orbem terrarum introisti, quare contra nos tam crudeliter exarsisti? Cur quod superna pietas ad depellendam mortem infidelitatis destinauit, tu violenter abstulisti? Scio te impiissimam in Christi morte occubuisse, & vnde te iterùm aduersùs seruos suos erexisti? Sed confido in Dominum Iesum Christum, quia quod per nos fieri disposuit, hæc author impedire non poterit. Hæc dicens lachrymas reflexit, & corpus discipuli terræ commendans, assumpto Valerio cum celeritate Romam rediit, cunctáque, quæ sibi in via accidissent fideliter Magistro narrauit per ordinem, dicens. Non possumus iterùm remeare per viam quâ misisti nos, & gentes prædictas docere, nisi Maternum discipulum tuum, tuis sanctis precibus resuscites à mortuis, vt virtus Domini nostri Iesu Christi gentibus illis manifestetur. Quem ille clemẽter consolabatur dicens: Noli lugere charissime, quia quem nunc mortuum doles, ipsum per gratiam Redemptoris nostri citiùs resurgere videbis, & tui itineris fidelem, & incolumem socium habebis. Mortem enim, quam ille ad tempus pertulit corporaliter, hanc omnipotens Deus ad salutem plurimorum præuidit. Sed iam nunc accipe baculum meum, & cœptum iter perage, & cùm illuc perueneris, ipsum baculũ super corpus defuncti pone, dicens. Præcipit tibi Petrus Apostolus, vt in nomine Christi Iesu, à mortuis resurgas, & commissum ministerium nobiscum perficias. Sanctus verò Eucharius, cum fratre Valerio imperium magistri gratanter suscipiẽs, ad prædictum castellum veloci gressu peruenit, & ad sepulchrum fratris accedens, dilectissimúmque thesaurum effodiens, baculum

culum funeri superposuit. Et dum Apostoli verba quæ mandauerat retulisset, statim Maternus resumpto spiritu consedit, datáque manu Pontifici, viuus, & incolumis coram populi multitudine de tumulo surrexit. In hoc ostenditur Propheta dixisse. Mirabilis Deus in sanctis suis. Tunc omnes qui aderant in cœlum laudes extulerunt, & multi ex paganis baptismi gratiam consequentes, vnitati fidei se coniunxerunt. Sicque impleta est promissa Apostoli sententia, Quod mors illius occasio multorum fieret ad vitam resurrectionis. In quo loco posteà Christiani Ecclesiam construxerunt, eíque ex eo quod ibi acciderat, nomẽ Resurrectionis imposuerunt. Illi verò postquam ibidem multos ad fidem imbuerant, & iam ad alia loca tempus trans migrandi adesse viderant, vale dicentes fratribus per Gallias semina vitæ serendo profecti sunt; tandemque perfecto itinere Treueros peruenerunt; vbi tantus error Gentilitatis inerat, vt exceptis singulorum penatibus, in vno loco ciuitatis centum statuta Idola à populo generaliter colerentur, & per ea miseri responsis dæmonum, ac præstigiis deluderentur. Nec tamen bonis actibus recepti sunt à populo Treuerorum; quia quantò ciuitas potentior dignitate sit, tantò ciuium prædicatione superbior. Cúmque sanctus Eucharius per singulos dies admoneret, vt Idola vana colere cessarent, & vt ad verum Deum se conuerterẽt, illique nullo modo verbis eius acquieuissent. Quodam die cum sociis vrbem ingressus est, eumdem sermonem ad populum habiturus. Quapropter Pontifices capita zelo contra eos accensi, maximam partem populi aduersùs eos concitauerunt, & expellentes eos extra ciuitatem lapidibus obruere voluerunt. Quod videns beatus Eucharius ad arma orationis se cum suis conuertit, obsecrans cum lacrymis omnipotentis Dei clementiam, vt illis contra incredulos pium præberet auxilium, & insanis infidelium turbis agnoscendam fidei veritatem capabilem aperiret sensum. Inter hæc omnis illa sæuientium turba mirum in modum ita cœlitus obligata est, vt alij ex eis incassum jactui immittentes brachia extenta, inflexibiles starent: Alij nihilominus pro colligendis lapidibus deorsum inclinati, terræ pronis ceruicibus inhærerent, & omnes secundùm vniuscuiusque cor-

poris motum immobiles, & obstinati perdurarent. Dumque hoc ferè per vnius horæ spatium ageretur, & cuncti per varios modos nexibus superni numinis adstricti tenerentur, cœperunt omnes iam nimio dolore fatigati, absolutionem membrorum suorum humiliter petere, seque credituros, si absoluerentur clamare. Tunc sanctus Eucharius iterùm orationem ad Dominum fundens, omnem illam rebellantium multitudinem à vinculo doloris absoluit. Benè autem scribitur de electis Dei. Si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum. Et Moïses. Deus pugnat pro vobis. Hoc viso miraculo omnes pariter se ad pedes sanctorum prouoluentes, rogabant, vt eis viam veritatis ostendere non differrent. Post hæc facto silentio Beatus Eucharius dixit: Necessarium vobis est, dilectissimi, vt errorem in quo hactenus conuersati estis penitus relinquatis, & ad verum Deum toto corde vos conuertatis: Error enim est maximus, & diabolicâ fraude hominibus persuasus, lapides, & ligna surda, & muta, ac sensu carentia, & omnium rerum visibilium, & inuisibilium, nec adorare, nec cognoscere. Huius quippe vanitatis diabolus est author, quia omnium scelerum, atque errorum est ipse inuentor. Ab initio namque contra hominem per inuidiam exarsit, vt eum aduersùs præcepta Dei sui agere callidè persuaderet. Primus etenim parens noster innocens, & immortalis est creatus, & totius corruptionis ignarus. Hanc itaque dignitatem diabolus non ferens, egit arte nequissimâ, vt homo in tanta sublimitate positus mandata Dei sui negligenter postponeret, & de ligni fructu vetiti inobedienter comederet, cui ille, proh dolor! consentiens, statim immortalitatis veste priuatus, à celsitudine prioris dignitatis cecidit, & à paradisi gaudiis merito suæ præuaricationis projectus in huius exilij, atque cæcitatis ærumnam deuenit, ex cuius carne omne genus humanum propagatum processit, & ab illo sicut originem nascendi, ita etiam ab ipso initium peccandi sumpsit. Cùm ergo diabolus per varia deceptionum genera in mundo grassaretur, & eum sibi subiectum esse gloriaretur. Tandem omnipotens Deus condolens humanæ miseriæ filium suum

in deitate ſibi coæternum, & conſubſtantialem miſit in mundum, vt his miſeriis tandem finem imponeret, & captiuum hominem de crudeliſſima diaboli poteſtate miſericorditer liberaret. Hic verò Altiſſimi filius, per quem omnia creata ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quia in ſua majeſtate videri ab hominibus non potuit; viſibilem ſe ex caſtiſſima Virgine carnem aſſumendo exhibuit, particeps quidem factus noſtræ naturæ, ſed alienus, ac remotiſſimus à conſortio totius culpæ. Hunc ergo cùm vidiſſet diabolus, ſanam doctrinam populis prædicantem, peccata relaxantem, Regna cœlorum credentibus promittentem, cæcos illuminantem, leproſos mundantem, paralyticos curantem, mortuos ſuſcitantem, & omnem languorem, vel infirmitatem ſanantem, expauit quidem in eo, & puritatis innocentiam, & diuinorum operum excellentiam. Sed quia eum ſimilem mortalibus vidit, hunc Deum eſſe dubitauit, vnde aduerſus eum crudeliſſimos perſecutores excitauit, qui eius doctrinæ reſiſterent, contumeliis affectum probroſâ morte occiderent. Sed quia ad hoc in mundum venerat, vt non ſolùm contumelias, ſed etiam mortem pro nobis ſubiret, non recuſaret vincula, flagella, ſputa, conuitia ſuſtineret, vt nos ab æternis opprobriis eriperet. Deinde quaſi agnus manſuetiſſimus ad victimam ductus, cruci affixus, & velut mundiſſima hoſtia pro ſalute mundi patri eſt oblatus, conſummatáque paſſione in ſepulchro eſt poſitus. Qui tertiâ die non ſolùm à mortuis reſurrexit; verùm etiam ipſum authorem mortis diabolum igneis cathenis ligatum, in æternam damnationem retruſit. Poſt hæc diſcipulis ſuis per dies quadraginta in multis argumentis apparuit, colloquens cum eis, & conueſcens, atque ipſo die quo aſcenſurus erat in cœlum, illis præcipiens. Euntes in mundum vniuerſum, & cætera. Et hæc dicens, videntibus illis, penetrauit cœlos, & ſedet ad dexteram patris. Exin decimo die poſt aſcenſionem eius, illis in illo loco conſiſtentibus, atque orantibus, Spiritum ſanctum in igneis linguis ſuper eos miſit, & ſcientiam omnium linguarum eis dedit, quo repleti, & confortati cœperunt mox magnalia Dei prædicare, & per orbem diuiſi, veram ſalutem cunctis gẽtibus prædicare. Ex quibus nunc B. Petrus

est Ecclesia consecrata. Post hæc quidam nobilis eiusdem vrbis Senator, vidit somnium ad salutem ciuium cunctorũ profuturum. Quadam verò nocte aspexit per somnium quemdã virum contra se stantem, vultu elegantem, splendidissimis vestibus coruscantem, crucémque miræ æstimationis in manu ferentem, ac sibi dicentem: Isti viri, qui huc venerunt serui sunt Dei excelsi, & propter vestram salutem huc destinati; Et ideò si mortem euadere, & ad vitam æternam vultis peruenire, omnia, quæcumque dixerint vobis facite, & præceptis illorum obedite. & hæc dicens ab oculis eius sublatus est. Facto autem manè conuocatis ciuibus narrauit per ordinem, quæ per somnium viderat. Quâ relatione freti cœperunt certatim ad Sanctos Dei currere, & sacri baptismatis vndam sitienter expetere. Tantáque fuit per tres dies ad illos populi concursio, vt in flumine quod per mediam ciuitatem currit, eos baptizarent, vnde & accidisse creditur vt ex eo tempore ipse riuulus ob infusionem sacri olei, deriuatiuè oliua nuncupetur. Interim ciuitas à pollutione idolorum mundatur, error superstitiosus abiicitur, destruuntur dæmonum aræ, fabricantur per loca Christi Ecclesiæ, & quæ anteà Creatorem suum non cognoscendo erat adultera, ipsa se per fidem conuertendo facta est Christi sacratissima sponsa. Interim per vniuersas circumquaque regiones verbum vitæ prædicabant, cœcos illuminabant, mortuos suscitabãt, & omnes languores curabant. Cúmque sanctus Eucharius per viginti & tres annos Pontificatum Treuericæ vrbis teneret, & Ecclesiasticas res benè firmatas haberet, quadam nocte astitit ei Angelus Domini dicens: Euchari fideliter in mandatis Domini laborasti, viriliter in agone præsentis vitæ certasti, veni iam in requiem tibi promissam, & accipe certaminis tui incorruptibilem coronam. His per visionem compertis, sanctus Eucharius valdè gaudebat, & tempus dissolutionis suæ intrepidus expectabat. Cùm verò diem exitus sui sibi instare prænosceret, conuocatis discipulis ad se, ait illis: Scio me, carissimi, de hoc sæculo citiùs migraturum, atque debitum humanæ conditionis expleturum, & ideò vos rogo, vt fidem firmam, spem inconcussam, charitatem veram, inter vos habeatis, & nequaquàm deinceps diaboli erroribus consentiatis; quod de me terrenum est terræ mandate,

& quod ſpiritale, ſpiritalibus quoque exequiis procurate. Ad B. autem Valerium dixit: Commendo tibi chariſſime frater ſponſam Chriſti, Eccleſiam videlicèt eius, quam in iſtis regionibus virtute eius acquiſiui, vt illam caſtè cuſtodias, & nullis eam errorum deceptionibus in diebus tuis polluas. Menſuram Euangelici tritici, ſicut fidelis ſeruus, & familiæ largiter eroga & cōmiſſa tibi talenta in eis fideliter multiplica, vt dum iudex rationem ponere cum ſeruis ſuis venerit, non vt ſeruus nequam, & deſidioſus pro infoſſis talentis puniaris, ſed potiùs pro duplicatis theſauris ad gaudium Domini tui fœliciter introducaris. Hæc dicente S. Euchario, ſubitò cunctis qui aderant cernentibus lux clara velut fulgur emicuit. ac penè per vnius horæ ſpatium totam cellulam eius circumfulſit. At ille valedicens fratribus, repreſsíſque oculis reuerenter reliquit hoc triſte ſæculum, & cum ipſa luce VI. Idus Decembris lætus migrauit ad Chriſtum. Tunc diſcipuli pro eius exitu ſacras exequias celebrauerunt, & corpus eius in Eccleſia, quæ eſt extra mœnia ciuitatis ad meridianam plagam ſita, cum hymnis, & lachrymis ſepulturæ tradiderunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

SANCTVS VALERIVS.

POST venerabilem obitum S. Eucharij, B. Valerius in miniſterium Sacerdotale ſucceſſit, illúdque per quindecim annos ſanctè viuendo, & verbum vitæ prædicando probatiſſimè rexit. In quo videlicèt temporis ſpatio, multos ad Dominum populos, ſigna magna, & ſtupenda prodigia exercendo, conuertit, & ad agnitionem catholicę fidei ſaluberrimâ inſtigatione perduxit, qui etiam ſtudioſiſſimè verbū prædicationis inſtabat, vt iam tunc per Galliam ac Germaniam *Chriſtiani paganos, & numero ſuperarent, & religione.* Erat namque doctrina eius ſingulis congrua, cunctíſque audientibus dulcis, & gratiſſima, vnde ob mellifluam ſermonum eius facūdiam vndique ad eum populi confluebant, & ſaltem aliquod verbum ex ore eius audire cupiebant. Quantùm verò ad proprios mores pertinuit, vt breuiter narrem, fuit cogitatione

mundissimus, verbo vtilis, & discretus, operatione nihilominùs irreprehensibilis, & præcipuus, ac sic per actiuam vitam singulis positus compassione extitit proximus, vt tamen præ cæteris in contemplatione esset suspensus. Et in hac contemplatione positus, non deserebat fraternam condescensionem vitæ actualis, nec etiam in actione summissus, recedebat à sublimitate contẽplationis: quique salutaria monita sui magistri recto tramite sequens Euangelicum triticum Dominicæ familiæ fideliter dispensauit, & credita sibi talenta spiritualibus augmentis quotidiè multiplicauit. Cùm verò his profectum gradibus, vsque ad venerabiles canos peruenisset, & iam consummatio sui cursus appropinquaret, quâdam nocte apparuit ei B. Eucharius per visionem dicens. Tempus iam instat frater Valeri resolutionis tuæ, & parata sunt tibi gaudia retributionis æternæ: patet enim tibi ianua Regni cœlestis, quam post hanc horam quinto die gratulabũdus ingredieris, & de concessis Domini tui beneficiis sine fine lætaberis. Quapropter Maternum agonis nostri cooperatorem, tui officij, illúmque de visitatione nostra ante diem sui exitus certissimum redde, & hæc dicens recessit. Euigilans autem sanctus Valerius, mox visum somnium B. Materno, cæterísque fratribus, qui præstò erant narrauit, & eisdem obitus sui lætissimo vultu instare prædixit diem. Sequenti verò die venerabilem Maternum ad Sacerdoralem gradum prouexit, & eum de studio commissi ministerij diligenter instruxit. Cúmque per prædictum spatium ob famam depositionis eius aduenientes fideles verbo salutiferæ admonitionis, de exercitio sanctæ conuersationis instanter instrueret, & eos ad salutem animarum suarum dulcifluâ exhortatione paternis visceribus incitaret. Illucescente autem iam quinto die oratorium ingressus, viaticum, quod ipse consecrauerat, accepit. Et post hęc extensis inter discipulorum manus sacris membris IV. Kal. Febr. Spiritum cœlo reddidit. Cuius corpus colligentes discipuli sacratissimo corpori sancti Eucharij coaptauerunt, & in eodem sarcophago cum diuinis laudibus condiderũt, quod supernâ dispositione actum esse credimus, vt quorum vna mens semper in Domino erat, eorum corpora nec sepulchrum ab inuicem separarent. Amen.

SANCTVS MATERNVS.

POST decessum B. Valerij Archiepiscopi, beatus Maternus Pontificalem suscipiens apicem, cœpit per ciuitates, & regiones veram fidem quę est in Christo constanter prędicare, cunctos ad viam salutis continuâ admonitione prouocare, magnis virtutibus quotidiè crescere, signis, ac miraculis longè latéque clarescere. Et quantò quotidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspexerat, tantò diligentiùs iniũctum ministerium regulariter ordinare studebat. Hic etenim quamuis esset vir magnę authoritatis, & prudentię, nihil tamen ex proprio imperio, quasi liberâ vtens potestate exercuit; sed omnia humiliter egit, communémque se subditis studio sanctę dilectionis exhibuit. In omnibus etiam quę probabiliter gesserat, non suam, sed Christi gloriam quęsiuit, quique inter cętera sanctarum virtutum exercitia, mitissimus existens consolabatur afflictos, pauit ex his quę habebat egenos, vestiuit nudos, redemit captiuos, suscepit peregrinos, errantibus viam salutis misericorditer ostendit, desperatis spem venię consequendę clementer promisit. Currentes in via mandatorum Dei semper ad anteriora impulit, remorantes verbo exhortationis instigauit, & modò docendo, modò exhortando, modò in periculis se obiiciendo omnibus indesinenter pro solamine occurrit. His ergo, atque aliis huiusmodi bonorum operum studiis fultus, ad sanctam, ac laudabilem senectutem peruenit, & sicut quadraginta diebus iacuit in sepulchro, ita etiam totidem annos mansit in sacerdotali ministerio. Is itaque solitus erat per nocturnam quietem locum vbi corpora Sanctorum requiescunt, silenter frequentare, & ibidem diutiùs in oratione solus persistere. Vnde dum quâdam nocte iuxta morem eamdem Ecclesiam intraret, ibique prolixiùs diuinas laudes celebraret, circa mediam noctem cœpit somno grauari, & ad instantiam precum offendente linguâ sæpiùs retardari. At ille in subsellio quod ibi erat considens, infixis ad genua cubitis, inter vtriusque manus sanctũ caput reclinauit, & paululùm somno cedens celeriter obdormiuit. Statímque apparuerunt ei per visionem sanctus Eucharius

rius, Valeriúsque clarissimis vultibus splendentes, sacerdotalibus infulis coruscantes, coronas singulas è rosis, & liliis in capitibus gestantes. Ecce Materne, sicut olim tibi promisimus, ita ante diem dormitionis tuæ visitandi gratiâ ad te venimus. Nunc ergo gaude, & lætare, quia die tertiâ ex hoc sæculo migrabis, & ad inenarrabilia Domini tui gaudia introibis. En certè præmij tui incorruptibilis est corona, quæ à paradiso perpetuæ amœnitatis est sumpta, & tibi à Christo per nos famulos tuos destinata, cuius flos numquam marcescit, cuius odor numquam à suauitate deficit, cuius perseuerantia fidem nō nouit. Quam post corruptionē præsentis vitæ incorruptibiliter possidebis, & in conspectu Regis Regum cum ea laureatus æternaliter perseuerabis. His dictis mox disparuerunt. Ille autem à tenuissimo somno euigilans, valdè quidem lætus de ostensa sibi visione extitit; sed tamen statim adesse corporis molestiam sensit, accersitóque ministro cum eius adiuuamine ad cellulam rediit, & seorsùm familiaribus discipulis hoc, quod sibi fuerat ostensum retulit. Die autem crastinâ cōuocatâ ad se fratrum cateruâ, cœpit eos studiosè de fidei integritate admonere, & animas eorum ad cœleste desiderium delectabilibus verbis accendere, ac per totum diem salutaria monita eis dare non cessans, vsque ad octauam horam subsequentis noctis sermonem exhortatorium protraxit, & quod reliquum noctis supererat, in psalmis, & hymnis cum fratribus peregit. Post pullorum verò cantum instante iam die venit desuper vox clara, dicens: Materne dilecte Dei, veni. Qui mox vt assuetam vocem audiens conuersus ad circumstantes fratres ait: Valete filioli mei, & viscera mea; ego iam migrabo, & in præsenti sæculo ampliùs vobiscum non ero, & hæc dicens communionem Dominici Sacramenti accepit, statímque sanctam animam exhalauit. Post cuius absolutionem hi qui præsentes erant fideles, condignas exequias expleuerunt, & eius non longè corpus à reliquiis sanctorum Eucharij, ac Valerij honorabiliter posuerunt.

Sanctorum, fratres dilectissimi, Treuirorum Episcoporum Eucharij, Valerij, atque Materni, qui in multis miraculis fuerunt coruscantes, quoúsque in hac vita fuerant conuersati, ex his pauca in hoc libello scripta leguntur. Tamen inuenimus

pòst Treuirorum quòd tribus vicibus deuastata sit ciuitas, atque succensa, ergo nec immeritò pro suis tribus sceleribus maximis, prima superbia, & pro sedula ebrietate, tertiáque pro libidine immoderata. Igitur Deus omnipotens tres plagas maximas Gentilium venire permisit super Regnum Christianorum, & super ciuitatem prædictam tribus vicibus. Prima autem plaga Græcorum sub Imperatore Constante filio Cõstantini qui Arrianus effectus est, Catholicos in toto orbe persequens. Secunda quando Vvandali, & Alemanni sub Imperatoribus Arcadio, & Honorio Romanis, vastauerunt. Tertia Hunorum sub Attila Rege, & sub Imperatore Theodosio minore. Contra hæc vna plaga, id est gladius Gentilium de tribus quæ commemorantur sæpissimè in canone 1. gladio, fame, pestilentiâ, quibus consueuit Deus iram suam super Regna terrarum vindicare, venit super populum, & ciuitatem Treuirorum. Nos ergo sanctam Trinitatem, & omnes Angelos, omnésque Sanctos rogamus, vt exercitum Christianorum à plagis prædictis & similibus custodiant,

Nos quoque, ô Ciuitas Treuirorum, Pontificum nostrorum prædictorum solemnia colamus, & eorum auxiliis poscamus, quæ miræ virtutis, quando fuerant in vita præsenti, per eos Dominus fecerat, quamuis pauca de multis commemorãtur, vt prædiximus, propter deuastationẽ, & incẽdium ciuitatis cũ Ecclesiasticis causis. Hunc verò libellum posteà inuentum, alium inuenimus. Igitur tunc illos legimus mortuos suscitasse, paralyticos curasse, dæmoniosos liberasse. Sic autem, & nunc multa genera infirmitatum quotidiè in templis eorum propter merita Sanctorum, sanitati restituuntur, per eum, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DISSERTATIO

De tempore quo S. Martialis in Aquitaniam missus est, ex Gallicô MS. D. Ioannis Cordesij Presbyteri Canonici Lemouicensis in latinum sermonem versa.

VVLGARIS est omnium opinio, Martialem, non solùm Lemouicûm, sed etiam Aquitanorum esse Aposto-

lum; cùm primus Christi fidem promulgaturus in Aquitaniā venerit. Ipsum etiam primum Lemouicũm Episcopum fuisse, apud omnes constat, cùm sedem Episcopalem in vrbe Lemouicina fixerit. De tempore quo missus est, solùm disputatur. Quâ in re duas animaduerto sententias: Vna illum ex septuaginta discipulis Petrum sequutum Antiochiam, tum Romam, inde cum duobus Presbyteris ad fidem Christi prædicandam ad Lemouicas missum, ibíque tandem anno resurrectionis Dominicæ quadragesimo, vitâ excessisse refert: quæ hodierna vulgi est opinio. Alia, Decio imperante circa Christi annum CC. L. missum asserit: atque hæc est Doctorum sententia, profitentium illam dignitate, & pondere victrix; at impugnantium numero victa.

II. Vtra harum opinionum veritati magis consentanea sit, vt deprehendere possimus, singillatim illæ examinandæ sunt. Atque vt à vulgari incipiamus; Duæ Martialis nomine vulgatæ Epistolæ, ad Burdegalenses & Tolosanos, ipsiúsque vita, quæ ab Aureliano successore scripta fertur, certiorem huius opinionis originem nobis demonstrant. Huius ergo tota ratio, ex earum veritate pendens, accuratiùs examinanda est. Primùm an illæ epistolæ verè à Martiali scriptæ fuerint, an illa quam modò habemus eiusdem vita, eadem ipsa sit quæ ab Aureliano composita dicitur, inuestigare debemus. Etenim si de illis certissimè constet, Martialem secũdùm vulgaris opinionis calculum in Gallias missum à Petro fuisse, non erit ampliùs dubitandum. Sin verò contrà, illis Auctorum nomina falsò supposita pareat, diruto fundamento quibus illæ innixæ sunt, eas quoque ruere necesse erit.

III. Quantũm ad epistolas: primùm occurrit illud quod ad earum calcem in veteri manuscripto Ecclesiæ S. Martialis scriptum legitur. *Hæ duæ epistolæ Domitiani persecutione aduersùs omnem Dei Ecclesiam vbique feruente, reconditæ fuerunt in sacrario B. Petri, videlicet in Basilica prædicti Apostoli, in tumulo cuiusdam, in qua etiam Pontificum sepultura antiquitùs solebat habere, vbi hactenùs, vt in titulo scriptum reperimus, latuerunt. Nostro autem in tempore, Philippo Rege regnante, sunt repertæ: quæ nimiâ vetustate consumptæ, signis & litteris penè nobis incognitis (vt mos antiquorum fuerat) scriptæ, vix tamen legi potuerunt, largiente Domino nostro Ie-*

su Christo, cui laus debetur, honor omnis, & victoria in sæcula sæculorum. Amen. Quæ verba falsitatis eas arguunt, & verè apocryphas, (quæ nempè sæculis tot abscondita) fuisse demonstrant. Cur enim ab eo quo scriptæ fuerunt tempore ad hæc posteriora sæcula quibus visæ sunt, nemo illarum meminit? Quibúsve modis altè in terra defossæ, per mille annos imputridæ, & illæsæ euaserunt? Cęterùm si ad Burdegalenses, & Tolosates scriptę, non adeò ab illis neglectas, quin aliquod fragmentum aliquáve penes eos memoria superfuerit, credendum est. Vsqueadeóne miserabile fuit illarum fatum, vt cùm Gentiliū persecutionibus & barbarorum direptionibus, tot chartæ superstites fuerint, earum nec vestigium nec memoria ad nos vsque peruenerit. Plurimorum scripta desideramus; at illa scimus nos desiderare, cùm ab his scriptoribus, qui aliquando illa se legisse scriptis suis testantur, illa extitisse discimus. Verùm harum epistolarum, Hieronymus, Gennadius, Isidorus, Honorius Æduensis, Abbas Trithemius, Henricus Gandauensis, aliíque Scriptorum Ecclesiasticorum collectores inter tot antiquitatis monumenta diligentissimè conquisita nusquam meminerunt. At ille qui hisce epistolis posterorum fidem conciliare tentauit, statuariorum & sculptorum more, qui statuas & numismata altiùs fodiunt, vt rubigine tandem antiquitatis opinionem illis conferant, illas absconditas voluit, infausto tamen euentu, cùm sagacissimi scriptorum æquè ac numismatum exploratores, commentum facillimè detexerint. Ex his criticis Cardinalis Bellarmini iudicium afferam, doctrinâ, & dignitate aliis omnibus anteferendū. Illius in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis verba hæc sunt.

S. Martialis primus Episcopus Lemouicensis dicitur scripsisse duas epistolas, vnam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum. Sed multa sunt quę eas epistolas suppositititias esse indicare videntur.

Primùm enim auctor harum epistolarum dicit se cum Christo vixisse antequàm crucifigeretur. Martialis autem Episcopus primus Lemouicensium missus fuit ad eam vrbem Decio Aug. & Grato Coss. Anno Domini 254. vt Gregorius Turonicus testatur lib. 1. histor. capit. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titu-

lum epistolarum esse falsum, qui auctorem præfert Martialẽ Episcopum Lemouicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor, à se baptizatum Stephanum Regem, & quemdam alium tyrannum cum Satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum, & etiã tempore Decij Imperatoris, non habuit Gallia vllos Reges, sed Imperio Romano subiecta erat, &c.

Tertiò, dicit idem auctor eodem loco, templa Idolorum euersa fuisse, & Ecclesias ædificatas auctoritate Regia ipso suo tempore; quæ videntur manifestè falsa, & certè pugnant cum historiis Gregorij Turonici, Adonis, & aliorum.

Quartò. In eadem epistola cap. 9. citantur verba scripturæ Geneseos secundùm S. Hieronymi versionem, quod etiã in vtraque epistola passim cernitur. Id verò signum est apertissimum nouitatis.

Quintò. In eadem epistola cap. 23. scribit auctor se interfuisse cum aliis discipulis, quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Euangelio, siquidem Marcus cap. 14. & Lucas cap. 22. dicunt Christum cum duodecim vltimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortũ ingressum, ac deinde Iudæ obuiàm iuisse.

Sextò. In epistola eadem cap. 8. dicit Valeriam quandam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio lib. 2. sacræ Historiæ, & Gregorio Turonico lib. 1. cap. 28. Histor. Franc. qui scribunt temporibus M. Antonini primũ intra Gallias martyria visa.

Hactenus Cardinalis Bellarmini de Epistolis Martialis rectum iudicium.

V. Quantum autem ad eiusdem Martialis vitam pertinet, illam scilicet quam ex manuscriptis Codicibus primus Carmelita *Beauxamis*, Apostolicis vitis, quæ sub Abeliæ Babylonici nomine circumferuntur, attexuit. Non illa maioris æstimanda est, quàm illæ Apostolicæ, quæ iudice eodem Cardinali *Fabrili similiores sunt, quàm veræ narrationi*: cùm propter errores historiæ, tum ob fidei labes, quibus aspersa est. Iure itaque merito *Ioannes Hessels Louaniensis Theologus*, ab eodem Cardinali laudatus, illam hac censurâ notauit, in mensis Iunij histor. censur.

Vita S. Martialis. Prædicante Domino nostro Iesu Christo apud Iudæā in tribu Benjamin conuenerunt ad eum: non placet propter valde multa. Inter cætera erronea, dicuntur Martialis & Cleophas cum aliis multis discipulis Domino, & Apostolis in cœna ministrasse cibi, & potus copiā, aquam & linteamina ad discipulorum pedes abluendos, & detergendos, cùm vno linteo dicatur Christus fuisse præcinctus: & Apostoli putarint Iudam missum à Domino, vt egenis aliquid daret, aut vt emeret necessaria ad diem festum; quod nō designat multitudinem ministrantium ibi fuisse. Rursus dicitur Martialis à Domino post resurrectionē, parem potestatē & ligandi & soluendi accepisse cum Apostolis, & sic missus ad prædicandum in vniuerso mundo. Quod si verum esset nunquam Matthias in locum Iudæ successisset, sed Martialis electus fuisset. Et vocatur Martialis Coapostolus & Condiscipulus Petri, quòd tolerandum non videtur. Et si possit vocari Apostolus sicut Epaphroditus & Andronicus à Paulo vocantur Apostoli, alicuius particularis gentis. Rursus inducitur Angelus dicere de Martiale, quod duodecim angeli deputati ei non permittunt eum fatigari, & esurire, sitire vel pati dolorem. Item quòd sicut à concupiscentia carnali est alienus, ita & à dolore mortis fiet extraneus. Quæ omnia ridicula sunt, non est enim seruus maior Domino. Item, dicitur ipse multo auro & luminaribus ornasse Ecclesiam, & instituisse, qui diuinum officium agerent, (quos nunc Canonicos dicimus) & precepisse vt omnes populi vicini, &c.

Huc vsque docti illius Theologi censura, quę vitę Martialis scriptorem, tot ridicula, & Scripturę sacrę contraria permiscentem, ęquè imperitum Theologum, ac supinum Historicum fuisse demonstrat. Quicumque ille fuerit antiquitatē & fidem captauit, his verbis quibus finem imposuit, ac si Aurelianus Martialis discipulus & successor ipse scripsisset. *Ego verò Aurelianus, licèt non omnia cognouerim quæ antequam ab ipso sacri baptismatis vnda regenerari meruerim, plenè didicerim; tamē postquam ab illo ab inferni claustris liberatus superis sum vitæ redditus, quæque audire relatu, ac videre potui visu, reÿcere minimè curaui.* Quę quàm vera sint iudicant verba hęc, quę in veteri manuscripta collectione miraculorum translationis S. Martialis leguntur

in archiuo Ecclesię eiusdem sancti. *Ab antiquis enim temporibus, sæua vndique per Aquitaniam procella irruit barbarica, gentium videlicet Scytharum, inter quas Vvandali, Slaui, Gothi etiam Arriana perfidiâ maculati, Aquilonales quoque gentilitatis errore ebrij debacchantes supra modum, Norici, Danamarchij, cum Iresi... libus Normanis, cuncta miserabiliter vexabant. Qua de re necesse fuerat, vt pretiosior thesaurus Ecclesiarum perstudiosè clam occultaretur. Barbari enim non modò captiuos cum pecuniis, quin imò gloriosa sanctorum corpora, à nostris finibus ad suos venalia transferebant indignè; quod de plerisque contigit, sed etiam Ecclesiastica vtensilia, librorumque diuinorum multiplicia à patria extrudebantur. Terra sola asportari non passa ædificiis carebat superbis, vt-pote ignium fauilla dissolutis. Fertur autem, quia liber, in quo per singula summi Patroni facta erant digesta, ab ipsa gente translatus fuerit. Si enim volumen vitæ Apostoli apud nos non paruam præmonstrat prolixitatem, multò magis de quo istud, vt ferunt, defloratum dicitur, copiosiùs effluit, & quia excerptus apud plurima innotuerat loca, non aboleuit nobis. Singulariter verò digestus per multa, vt singularis solitarios relinquendo deseruit. Ille autem excerptus liber per vniuersum penè orbem Europæ apud authenticos viros benè cognitus & probatus, eumdem, quam canonici libri veteris ac noui instrumenti, auctoritatem in Ecclesia Catholica habet.*

Ex quibus verbis infertur, Vitam Martialis, quæ ab Aureliano scripta dicitur, non ampliùs extare. Idque vitæ Alpiniani socij Martialis hæc verba confirmant. *Gesta etiam sancti Apostoli Martialis, quæ Aurelianus longissimis narrationibus persequutus est, verbositate prætermissa eius breuiter collegimus, vt superiùs citata sunt, necessaria tantùm decerpentes, & verbosá, ac superflua, licèt vera, causa fastidij omittentes.* Vnde vnum eumdemque vitæ Martialis ac Alpiniani scriptorem esse patet; non Aurelianum, sed alium quemdam, qui se Aureliani compendiarium exceptorem prædicat.

VI. Itaque hoc vnum modò expendendum est, an hæc quæ nunc legitur vita, ex illa prima & antiqua Aureliani excerpta sit. Siquidem illius à Barbaris deperditæ compendiũ fuerit, æqualem antiquæ fidem obtinere censebimus. Vt autem veram, quam profiteri vult, antiquitatem redoleat narratio; neque nationum, hominum, locorúmve nomina,

descripto tempori incognita continere, neque alia certissima eiusdem æui historicorum fidei omninò contraria narrare debet. In his tamen supinè peccauit huius vitæ author: præcipuè his verbis. *Ingrediens Stephanus denominatæ virginis*, (scil. et Valeriæ) *Sponsus, & Dux tenens Principatus à fluuio Rhodani, vsque ad mare Oceanum, Vasconum, atque Gothorum gentem regendi habens potestatem, vsque ad montes Pyrenæos* Et paulò pòst. *Habebat autem iste Dux, sicut iam diximus, Principatum à fluuio Rhodani vsque ad Mare Oceanum, possidens omnem Ligeris regionem, omnemque Aquitaniam seu Vasconum & Gothorum gentes. Rex tamen non vocabatur, licèt Rex potentissimus Galliarum esset: quia nemo sibi alius propriè in Occidente hoc nomen tunc imponebat, nisi solummodò Nero, qui Romæ Imperij Principatum tenebat.* Quis enim ignorat, Ducis dignitatem, Vasconum & Gothorum imperium, demum Imperio Romano decidente post Theodosiũ Magnum cognita fuisse? Nerone imperante Gallias omnes ab eius Proconsulibus, Præsidibus, & Legatis eius sub nomine administratas fuisse quis nescit? Et quamuis illa ad reijciendum id scriptum sufficerent, author tamen, quasi ad detrahendam scripto suo fidem totus incumberet, nominibus propriis illud aspergit, quæ eo tempore in vsu fuisse nemo credet. Tale Gentilis mulieris *Susannæ* nomen, Babyloniis aut Iudæis cognitum; *Arnulfi*, *Hildeberti*, *Sigeberti* item nomina, inter Burgundiones & Francos in Gallia tandem audita.

VII. Nihilominus tamen, quidquid deliret scriptor, eius vita apud posteros tantam fidem obtinuit, vt inde supra hominum memoriam traditio nata sit: aduersùs quam qui disserat, fidem ipsam impugnare plerisque videatur. Absit autem vt tam infirmo fundamento innitatur nostra fides, quæ νόμῳ ἐγγράφῳ καὶ ἀγράφῳ solùm stabilitur. Vt autem hæc traditio à nimia credulitate progressa examinetur: statuendum est, ad hoc vt certissima traditio habeatur, illam ipso tempore ad quod res ipsa refertur, nasci, & non interruptâ serie ad posteriora tempora peruenire debere. An hæc igitur vulgaris traditio, à Martialis tempore eo ordine ad nos vsque deriuauit? Primò in illa vita, Martialis vnus ex Septuaginta duobus Christi discipulis fuisse dicitur. Nemo tamen veterum

rum, qui nomina discipulorum collegere, illius meminit: non Eusebius, non Hieronymus, Seuerus Sulpitius, Dorotheus, aut Ado; ex quo constat eorum sæculo incognitam fuisse illam de Martiale traditionẽ. I I. Eadem vita à Petro missum fuisse Martialem ait, & in Galliis imperante Vespasiano decessisse. At Gregorius Turonensis vnà cum Saturnino Tolosate in Gallias venisse, atque ideò Decio imperante probat ex actis Saturnini. Quare neque anno sexcentesimo, quo vixit Gregorius, nota fuit illa vita, quam vel impugnaturus, vel approbaturus Gregorius retulisset. Neque Gregorij fidem minuit, quod ait Baronius, potuisse hoc loco æquè ac alibi decipi Gregorium: non enim hac in re qui peccat in vno factus est omnium reus; alioquin fluxa esset per omnem Historiam Gregorij autoritas. Cæterùm Gregorius Senatoriâ stirpe clarus inter Aruernos Lemouicibus finitimos, Martialis, quem plerisque locis laudat, dignitatem & ætatem ignorare non poterat. Hæc autem traditio neque annó nongentesimo adhuc nata erat. Nam Lethaldus Monachus scriptor vitæ S. Iuliani Cenomanensis, cũ aliis Episcopis sub Decio Martialẽ in Gallias venisse asseuerat. III. Anno XIV. Neronis Imp. Martialem Basilicam construxisse eadem vita testatur: quod is facilè non credet, qui demùm sub Constantino Christianis maiores Ecclesias ædificandi facultatem datam fuisse non ignorabit. Nam priùs intra cœmeteria & cryptas conueniebant fideles, donec à Constantino Basilica S. Saluatoris Romæ ædficata est, quæ à Nicolao primo in epistola relata actione V I I. Concilij V I I I. *prima in toto orbe terrarum constructa esse dicitur.*

Probatum est, vt existimo, vulgarem hanc Martialis vitam ab Aureliano minimè scriptam, neque traditionem antiquã esse: modò tempus illud quo primùm hæc opinio cœpit, perquiramus. Neminem, ante miraculorum secundæ translationis scriptorem, huius vitæ meminisse reperio. Ille verò paulò post annum vicesimum supra millesimum scripsit, nam referens ea quæ circa annum millesimum & decimum contigerant, hæc scribit.

Decursâ multâ generâtione posthac mortalium celebratur ab Aquitanis, secunda subleuatio summi viri moderna, cuius sublimitatem cō

ausim fiducialiter commemorare, quo liquidum est nullius figmenti nebulam adhibere. Omne etenim penè genus hominum superest hactenùs, quod oculis testificatur, quæ literis inserere Volo. Et paulò pòst. *Ne quis autem me existimet fabulosum, digniores me qui hodiéque innumeri supersunt, interrogans comprobabit hæc esse omnimodè Vera.* Ex quibus manifestissimè colligitur, authorem eas res paulò pòst quàm gestæ fuerant descripsisse. Secundo loco Martialē Apostolum lego in Synodo Francica, habitâ coram Rege Roberto, à Gausleno Bituricensi Archiepiscopo, Hugone Abbate S. Martialis, & quibusdam aliis Franciæ Episcopis anno M. XXII. In illa Aquitani Francos, quòd inter Apostolos Martialem numerarent, redarguebant his verbis. *Vos Franci non rectè facitis, quia Martialem cum Apostolis pronuntiatis. Nos rectè agimus, quia eum inter Confessores recitamus. Vos Vltimum Apostolorum dicitis: nos primum Confessorum in Letaniis dicimus.* Quod iurgium compescuit Gauslenus, Martialem Apostolum asserens, sed non probans, & his verbis disputationē concludens. *Nos Franci morem quem Patres nostri, qui primi Monasterium S. Benedicti suo magisterio informarunt, plenâ nobis ratione subnixū tradiderunt de hac re, ratum conseruamus.* Quæ sanè verba huiusce traditionis Apostolatus authores Monachos S. Benedicti demonstrant; qui eo sæculo literarum & bibliothecarū magistri, authoritate quâ apud populum pollebant, illi facilè opinionem suam persuaserunt. Ac quemadmodùm Hilduinus Abbas S. Dionysij sub Ludouico Pio, circa annum Christi DCCCXXX. arte Græcorum fauorem eius ambientium delusus, primus omnium Dionysium Parisiensem Areopagitam Pauli discipulum esse asseruit. Quamuis ad id vsque tempus scriptores Ecclesiastici, Gregorius Turonensis, Fortunatus Pictauiensis, Anno Christi DC. Beda Anno DCC. Vsuardus Anno DCCC. Dionysium solum Episcopum Parisiensem nominent, nullâ Areopagiticæ dignitatis factâ mentione. Immò & Gregorius illis septem Episcopis annumerat, quos sub Decio circa annum CCXI. missos fuisse refert, quos inter & noster Martialis adscriptus est. Prætereà antiqua omnia martyrologia, scilicet ipsum quod Gregorij I. Papæ tempore in vsu erat ab Heriberto Rosvveido editum, & Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Notheri Monachi S. Galli, memoriam S.

Dionysij Areopagitæ Episcopi Athéniensis, qui teste Aristide contemporaneo scriptore sub Adriano passus est, die tertiâ Octobris recolunt: At Dionysij Parisiensis cum Rustico & Eleuthero passionem, die nonâ eiusdem mensis commemorant. His omnibus insuper habitis, Hilduinus Areopagiticam dignitatem Dionysio affinxit, neque tamen integram fidem apud posteros meruit, cùm Lethaldus & Abelardus, quamuis hic S. Dionysij monachus, illius opinionẽ impugnarint. Ergo Hilduini exemplo, cùm Ecclesia Lemouicensis S. Martialis circa annum DCCC.XLVIII. in potestatem monachorum S. Benedicti venisset, Martialem fictæ antiquitatis illustriorẽ illi monachi reddiderunt. Nam Hugo Abbas S. Martialis ab illa Synodo reuersus in Monasterium, in Litaniis Martialem inter Apostolos primus omnium descripsit. Quâ re commotus Iordanus Episcopus Lemouicensis, nouitatis Abbatem arguere, & Martialem Confessoribus non Apostolis annumerãdum ex veteri more asserere, vt patet ex epistola Regis Roberti, Guillelmi Ducis Aquitaniæ & Episcoporum nomine scriptâ Benedicto Papæ VII. qui anno M. XXIV. obiit, è qua hæc verba Iordani describimus. *Sanctus Aurelianus successor illius (quem ipse sanctus Martialis de infero traxit) Ebulus, Atticus, Ermogenianus, aliique eius successores vsque ad triginta sex, Ego verò septimus, qui votor Iordanus omnium infimus; hi omnes pro sanctissimo Confessore eum habuerunt, similiter omnes Abbates in eius Monasterio habitantes, vsque in hodiernam diem. Iste Abbas qui nunc est, nouitate deceptus, superbia elatus venit ad me, qui sum vilior meis antecessoribus, deprecans vt in Concilio meo, & in Synodo, sanctissimum Confessorem in numero ponerem Apostolorum, quod facere nolui. Ille perseuerans dictis fidem quam habuit cum duodecim monachis illius Monasterij mihi promisit, vt cum auctoritate in omni Concilio me defenderet; hoc facere non potuit in Concilio Guillelmi Ducis Aquitanorum audiente Archiepiscopo Bituricensi, Isemberto Pictauiensi, cæterisque cum suffraganeis: Omnes Episcopi Francorum, Aruernorum, Vasconum, Aquitanorum, cum quibus ego fui loquutus, comprobant & affirmant, sanctissimum Confessorem Martialem non debere tolli de illo loco, vbi sancti Patres & nostri antecessores eum posuerunt; & non esse Apostolatum nisi auctoritate comprobatum.* Et paulò pòst. *Tibi verò ego Iordanus has literas*

mitto de parte istorum prædictorum, Regis scilicet Roberti, Guillelmi Ducis Aquitanorum, Archiepiscoporum omnium videlicet Catholicorum, qui mihi contradicunt, ne sanctum Martialem in numero ponam Apostolorum. Tu autem, si ausus es hoc facere quod non fecerunt sancti tui antecessores, Gregorius, Clemens, Bonifacius, multique alij, vt ponerent Confessores inter Apostolos, si peccatum est, tuũ sit, ego verò liber à culpa, neque iniquitas, neque peccatum meum; voluntatem omnium Aquitanorum tibi monstrabo: quia ille Abbas seductor nulla alia causa hoc facit, nisi quia vult destruere sedem Episcopalem primi martyris, & Apostolatum S. Petri adnihilare. Per istius chartæ portitorem literas mihi mitte, & per omnia tuam voluntatem mihi manda. Respondere non potuit Benedictus morte præuẽtus; sed successoris Ioannis XIX. in veteri MS. Lemouicensi epistola legitur. *Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Iordano Episcopo & eius Clero, cunctisque Episcopis Galliarum, salutem charissimam cum benedictione Apostolica, &c.* In qua descriptis his quæ in vulgari Martialis vita leguntur, hac ratione Martialem Apostolum esse definit. *Cùm igitur Apostoli nomen non sit numeri, sed officij, quicumque reuelante Deo ad prædicandum mittitur, & sua pia exhortatione & exemplo, commissum sibi diuinitùs populum à potestate diaboli liberat, non incongruè Apostolus dici potest, quia Apostolus Missus dicitur.* Quæ sanè definitio in illa Episcopi & Abbatis controuersia rectè lata est: nam illi in missione Martialis conueniebant, cúmque ex septuaginta duobus discipulis communi consensu asserebant, ac de solo Apostoli nomine disputabant. Acceptâ Ioannis epistolâ conueniunt Biturigibus Episcopi, & decretum huiusmodi ferunt. *In nomine Domini, Ego Aymo Archiepiscopus Anno Incarnationis Dominicæ Indictione XIV. In Concilio Bituricensi, quod actum est Kalendis Nouembris cum consensu Coepiscoporum, seu Abbatum, & reliquorum fidelium, qui ibidem præsentes adfuerunt, decreui, & auctoritate propria firmaui, vt priuilegium Domini Ioannis Romanæ Sedis Papæ, quod isdem Dominus instituit, & Episcopis, Abbatibus, & reliquis fidelibus totius Galliæ misit, inconuulsum & illibatum permaneat; scilicet vt beatissimus Martialis in numero Apostolorum, tam in Litaniis quàm in omnibus diuinis officiis computaretur, & esset, nec immeritò.* Hancque decreti rationem reddit Aymo. *Est quippe dignũ, sicut in gestis eius reperimus insertum, illũ videlicet*

tum in cœna Domini, quàm in paßione, necnon & resurrectione, ascẽsione quoque præsentem adfuisse, & cum cæteris Apostolis Spiritum sanctum accepisse. Nullámque aliam autoritatem præterquàm illam Martialis vitam citat. Vt autem Decretum illud executioni mandaretur, Episcopi Lemouicas veniunt die decima octauâ eiusdem mensis Nouembris, & incœptum apud Bituriges Concilium absoluunt. In hôc Iordanus Lemouicensis Episcopus examinandam affert in medium de Apostolatu Martialis sententiam. Tum quidam presbyter & Canonicus Podiensis Engelricus citat Hieronymum in epistolam ad Galatas, vnde concluditur alios præter duodecim fuisse Apostolos; eos scilicèt, qui cùm Christum in carne vidissent, eum postmodùm prædicarunt. Aliud tamen infert his verbis. *Si illi qui in carne Dominum videntes, eum posteà prædicantes Apostoli sunt, quantò magis Martialis qui Domini in carne discipulus fuit?* Quod vix superioribus cohæret; ac si principium petere noluisset, priùs hypothesim probare debebat: verùm minimè mali illi homines non ita accuratè singula examinabant. Post Engelricum Azenerius Abbas, inter Grammaticos, & posteà in Palatio enutritus, non alio quàm Apostoli sub nomine in sui ordinis Monasteriis quæ erant in Francia Martialem cognitum vsquam audiuisse. Ac tandem cùm in Bituria præcepto Regis Roberti Monasterio cuidam præpositus fuisset, contrariam illius consuetudinem se abrogasse, & Martialem inter Apostolos scripsisse. Vnde patet nõdum stabilitam eo tempore fuisse hanc traditionem, neque tantam obtinuisse auctoritatem Martialis vitam, quod etiam colligi posse videtur ex verbis corroborationis factæ in Concilio Bituricensi de Apostolatu Martialis, quæ sunt. *Contestati sunt ergo omnibus, vt abiecta ignorantiæ cœcitate eum corde credant, & ore fateantur Apostolum, quia prauitas & negligentia fuit his qui ante nos fuerunt, cur non omninò patefecerunt gloriam Dei, quæ in eo est pro Apostolatu.* Quare constans adhuc non erat S. Martialis Apostolatus traditio. Atq; id MS. homiliâ dictâ eodem tempore in dedicatione Capellæ S. Petri iuxta S. Martialis apertè confirmatur. *Hoc autem*, inquit, *quare dixi, nisi quia susurrones contra statuta Patrum agentes persensi, qui rectè mentiti in capita sua, in quantum ipsis est per latibula garriunt, Martialem non esse vnum ex*

his, qui Dominum prædicauerunt, Apostolis, sed vnum ex postremis Confessoribus Episcopis, qui longè post Apostolorum tempora extiterunt.

Et quamuis Odolricus Abbas S. Martialis præfati Hugonis successor hoc in Concilio asseruerit, S. Martialem ab antiquis omnibus Patribus inter Apostolos fuisse connumeratũ: nullum tamen profert, ex quo eam traditionẽ probare possit, hanc leuem silentij sui excusationem prætexens, ne ob Martialis Ecclesiæ regimen, adulandi studio ea dicere videretur. Nihilominus tamen & veteres codices Litaniarum citat, in quibus S. Martialis inter Apostolos scriptus erat. Quasi verò illa esset in Litaniis antiquitus distinctio, nec promiscuè nomina sanctorum recitarentur: nam in missali perantiquo Anni millesimi Ecclesiæ Lemouicensis, inque Litaniis quadruplicibus quæ diebus Paschalibus recitantur, cõmixti sunt Confessores, Martyres, & Apostoli, nullo ordine seruato. In tribus earum primis nulla Martialis est mentio, in quarta recitatur post Paulum, & hunc Petrus & Siluester præcedunt; vnde apparet, aliam fuisse ab hodierna methodo, illam antiquam Litaniarum seriem. Quare non magno æstimanda sunt desumpta ex illis libris testimonia. Addit Odolricus eam de Martiali sententiam etiam Abbonem Sancti Benedicti ad Ligerim Abbatem approbasse: at huius paulò ante defuncti ætas recentissima auctoritatem minuit. His præcipuè rationibus Sancto Martiali, Apostolatus in eo Concilio decretus est. Verùm quibus auctoribus, probis sanè & sanctis, at imperitis. Nam Sixtum secundum Papam, Laurentium, Dionysium Areopagitam, Clementem & Saturninum eodẽ tempore vixisse asserunt; attamen & Saturninus Impp. Diocletiano & Maximiano, Decio & Grato Coss. martyriũ tulit, ipsis ibidem testibus. Quod sanè ridiculum est, ille enim Consulatus non in Diocletiani & Maximiani, sed in Decij Imperium cadit, vt ex fastis videre est. Præterea quicumque in eo Concilio Apostolatum Martialis excutere voluerunt, vt indocti notati & repulsi sunt; illius verò assertores, quantumuis historiam confunderent, vt doctiores laudati. Nulla quoque Gregorij Turonẽsis de Martiali sub Decio Imp. disserentis mentio facta; quod vnum silentium ad retractandum

causam valeret. Verumtamen tantum pondus ab hoc Concilio noua illa traditio obtinuit, iam paulò ante vitæ vulgaris S. Martialis editione promulgata; vt exinde maior pars hominum Martialem vnum ex LXXII. discipulis, à Petro in Aquitaniam ad prædicandum Euangelium missum fuisse crediderit. Atque ipse Cardinalis Baronius illam sententiã, quando Concilio Prouinciali confirmata erat, approbauit; licèt aliunde vitam S. Martialis meritò suspectam, & multis historiæ sanæque doctrinæ maculis aspersam primo Annalium tomo duxerit.

IX. Ex his omnibus quæ examinandæ primæ opinionis causâ dicta sunt, hæc colligere possumus.

1. Vitam Mrrtialis quam modò habemus, non illam esse quam Aurelianus scripsisse dicitur; neque ex illa exceptam.

2. Illam nullam sapere antiquitatem.

3. Erroribus cùm in historia, tum in fide, & dogmate, esse refertam.

4. Nullum fide dignum auctorem ante nongentesimum Christi annum illius meminisse; vnde sequi videtur ab eo tempore fuisse conscriptam.

5. Non parere traditionis & opinionis huius vllum extitisse fundamentum ante Annum nongentesimum.

6. Ab anno solùm M.XXXI. & Concilio Lemouicensi S. Martialem in officiis diuinis inter Apostolos recitatum, ante in Confessorum Episcoporum numerum conscriptum, quod antiquis Lemouicensis Ecclesiæ Missalibus & Breuiariis ante Concilium scriptis confirmari potest.

X. Examinata priori sententia, rationem secundæ inquiramus: quæ nimirum S. Martialem anno vltimo Imperij Philipporum, Decij primo, Ipso & Annio Grato Coss. Fabiano Romæ Episcopo Anno Christi CCL. in Aquitaniam venisse refert. Atque hæc tantò magis verisimilior erit quantò illa prior à veritate aberrat.

XI. Huius opinionis prima origo ex actis passionis Saturnini Martyris & primi Episcopi Tolosatis ducitur, vt ab Gregorio Turonensi circa annum Christi DC. scribente refertur, cap. 30. lib. 1. Histor. Franc. his verbis. *Huius* (scilicet Decij)

tempore, septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia passionis sancti Saturnini denarrat. Ait enim sub Decio & Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana Ciuitas S. Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt Turonicis Gatianus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, *Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Aruernis* Stremonius *Episcopus, Lemouicis Martialis destinatus Episcopus.* Quæ narratio ex actis publicis, excerpta, in quibus socij Saturnini descripti erant, Martialem vnum ex illis eo solùm tempore non antè missum fuisse conuincit. Quod satis confirmatum videtur auctoritate Seueri Sulpicij qui libro secundo Historiæ sacræ ait. *Post Adrianum Antonino pio imperante pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio persequutio quinta agitata. Ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.* Quæ verba duo indicant primum, eos, qui sub Aurelio Lugduni passi sunt, primos Galliarum martyres fuisse; quare reiicienda vulgata Dionysij Valeriæ, Sauiniani & aliorum priora martyria. Secundùm, paulò ante Antoninorum imperium receptam in Galliis Christi religionem, primò Lugduni & Viennæ Romanorum coloniis propter Italiam sitis, in quibus noua illa religio suos primos habuit martyres. Atque adducta à Seuero ratio, visorum demum quartâ persecutione martyriorum in Gallia, scilicet propter religionem tardiùs receptam, magnum hac in disputatione pondus habet. Neque illi Irenæus Tertullianus & alii scriptores antiqui aduersantur, qui dum per Gallias promulgatam religionem Christianam asserunt, non ad priora, sed ad sua tempora Seueri nimirum Imperatoris, ætate à Sulpicio notata posteriora referendi suut. In omnibus etiam latè Galliis receptam fuisse illorum temporum religionem non existimare debemus, sed solùm in aliquibus prouiciis & vrbibus; cùm & Martini Turonensis tempore, anno CCCC. eodem teste Sulpitio in eius vita, Dij Gentiliũ adhuc in Gallia colerentur. Enimuerò recepta primùm Lugduni & Viennæ Christi fides, in vicinas prouincias paulatim diffusa est. Ac cùm beneuolis erga Christianos per vices Imperatoribus libera prædicandæ fidei facultas daretur: Episcopi præcipuè vrbis Romæ, in hæc

loca

loca excolendę religionis causâ viros Christianos mittebant. Ideóque Philippis Imperatoribus Christianis fauentibus, Fabianus Romanus Episcopus nominatos suprà septemuiros in Galliam Episcopos legauit.

XII. Ergo ex dictis cõstat sexto sæculo Gregorio Turonẽsi scribente, Martialem pro Petri discipulo ipsiúsque legato non agnitum fuisse. Nam & ipse Gregorius pluribus locis libri de gloria Confessorum, de Martiali & aliis verba faciens, de Petro semper silet. Ita cap. XXVII. *Igitur S. Martialis Episcopus, à Romanis missus Episcopis in Vrbe Lemouicina prædicare exorsus est.* Et infrà. *Per sanctum enim Stremonium, qui & ipse à Romanis Episcopis cum Gatiano beatissimo & reliquis, quos memorauimus, est directus, primum Aruerna ciuitas Verbum salutis accepit.* Neque alius qui Gregorium antecedat, vel ducentos etiam post annos subsequatur, huius circa Martialẽ nouæ opinionis meminisse legitur. Atque ad hanc posteriorem Martialis ætatem confirmandam, sufficit Ausonij, Engolismensis Episcopi vita, quæ illum Martialis discipulum à Chroco Valeriano & Gallieno imperantibus, Gallias depopulante, cęsum pro religione fuisse narrat. Quare Martialis discipulum Ausonium post annum CCLX. passum, ducentis annis præcedere nequit; quod tamen asserere coguntur nouæ huius opinionis assertores, ad Petrum Apostolum Martialis missionem referentes.

XIII. Tandem comparatis duabus hisce opinionibus, nõ arduum est nostræ antiquitatem, vulgarísque nouitatem animaduertere. Hæc enim nullo certissimo ab authore cõfirmata, nullisque subnixa rationibus meritò reiicienda est, hac regulâ historiæ certissima à Baronio allata primo Annalium tomo *Quod enim à recentiore auctore de rebus adeò antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Vt autem magis huius opinionis vulgatæ infirmitas appareat; inuestigandum est vnde illud inualuerit, à Petro missum Martialem: quod sanè loquendi formulâ factum est. Cùm enim Romana Ecclesia, Petri sedes fuerit semper appellata, illi qui ab ea sede legati sunt, à Petro missi fuisse dicti sunt, licèt à Petri successoribus longa post tempora venerint. Quod pluribus Scriptorum locis manifestum, confirmatur dignitate Bonifacij à Gregorio II. in Germaniam Euangelij gratiâ legati, qui

Missus sancti Petri dicitur in Caroli Martelli epistola, & cap. 2. lib. 5. Capitularium. Quare corrigendi sunt plerique authores qui circa annum millesimum & ab eo scripserunt; nam hanc loquendi formulam vix capientes, ad Petrum retulerunt, quod eius successoribus adscribendum erat. Hac in re lapsus Flodoardus Sixtum primum Remorum Episcopum à Petro missum scribens, ex Hincmaro corrigendus est, qui Flodoardo annis centum & quinquaginta anterior, Sixtum Remorum à Sixto Romano missum asserit, cap. 16. operis contra Hincmarum Laudunensem.

XIV. Ea sunt quæ veritatis studio inuestigaui, & scripsi, Martialis aut alterius sancti dignitati derogandi animo minimè ductus, neque enim tempus, gratiæ à Deo illis collatæ, aliquid addere, aut demere potest, vel minor est eorum sanctitas quòd tardiùs vixerint. Verùm vt quorumdam facilitati succurram, qui fabulosis narrationibus pietatis & religionis prætextu toto animo incumbentes, sacram nostram historiam fœdissimis maculis aspergunt. Quod tamen mirum videri non debet, si naturale populorum omnium veræ fictæve originis suæ referendæ desiderium repetamus. Nationes enim pleræque, cùm nihil antiquius Troiæ excidio legerent, à profugis & Troiano incendio superstitibus originem suam se traxisse prædicarunt. Ita & in causa religionis libenter quisque populus ab ipso ore Christi, aut Apostolorum suam repetit. Atque inde tot traditiones exortę quæ à vulgi opinione in ipsum Sanctuarium, & Ecclesiasticam traditionem transierunt, quas notare facilius esset, quàm euellere. Hoc vnum possumus, vt indicemus, Deus, cùm ipsi placuerit, veritatem docebit.

FINIS.

Veritas non eget nostro mendacio.

Quod enim à recentiore auctore de rebus adeò antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.

Cæsar. Baronius Cardinalis, Tomo I. Ann. cap. XII.

AD Caput XXXVI. Verba Clerici in Concilio Lemouicensi perorantis sunt hæc.

PORRO autem de Dionysio Areopagita, qui in actibus Apostolorum memoratur, putare solebam, ipsum esse qui in Galliam cum Rustico, & Eleutherio post decessum Apostolorum Petri, & Pauli, & Martialis venit. Donec nuper contigit mihi fortuitò legere commentum Bedæ super libro actuum Apostolorum vbi ita scriptum est. Dionysius iste Areopagita ipse est qui posteà Corinthiorum Episcopus factus gloriosissimè Ecclesiam rexit, & eloquio clarus multos libros ad vtilitatem Ecclesiæ scripsit. Huius Dionysij Hieronymus in Chronica sua mentionem faciens dixit. Dionysius Corinthiorum Episcopus, eloquio clarus sub Antonino floruit Imperatore, quo tempore Polycarpus discipulus Ioannis passus est. Sub Traiano verò, qui quintus post Vespasianum imperauit, Ioannes Apostolus in pace quieuit, & Clemens Papa in mare mersus martyrio coronatus est. Huius Dionysij Gregorius in quadam homilia meminit dicens. Fertur Dionysius ille antiquus venerabilis pater Areopagita dicere, quòd ex minoribus Angelorum agminibus foris ad explenda ministeria, vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur. Hic autem de Francia Dionysius vnde fuerit oriundus in passione sancti Marcelli fideliter indicari mihi videtur, sic enim habetur. Puer quidem Marcellus sub doctrina B. Sixti erudiebatur: cúmque suppliciis Sixtum Episcopum videret puer macerari, cœpit timere. Tunc sanctus Laurentius corroborans ætatis eius infantiam ait ad eum, Marcelle genitor tuus Egeas noluit Christum credere, nam mater tua Marcellina, & fratrés tui Marcellinus & Dionysius iubente sancto Clemente Papâ vobis Romæ partibus Galliarum, vt ad fidem Christianam gentes instruerent directi sunt, vade ad eos vt non pereas in manu Decij. Et infrà dicitur. Profectus Marcellus cum Anastasio commilitone Christiano, vt iret vbi erat frater suus Saturninus Episcopus, peruenit vsque ad Argentomagum, vbi à Præside comprehensus inquisitus est vnde esset, aut de qua prouincia, vel ciuitate huc venisset. Puer

ausim fiducialiter commemorare, quo liquidum est nullius figmenti nebulam adhibere. Omne etenim penè genus hominum superest hactenus, quod oculis testificatur, quæ literis inserere volo. Et paulò post. *Ne quis autem me existimet fabulosum, digniores me qui hodiéque innumeri supersunt, interrogans comprobabit hæc esse omnimodè vera.* Ex quibus manifestissimè colligitur, authorem eas res paulò pòst quàm gestæ fuerant descripsisse. Secundo loco Martialē Apostolum lego in Synodo Francica, habitâ coram Rege Roberto, à Gausleno Bituricensi Archiepiscopo, Hugone Abbate S. Martialis, & quibusdam aliis Franciæ Episcopis anno M. XXII. In illa Aquitani Francos, quòd inter Apostolos Martialem numerarent, redarguebant his verbis. *Vos Franci non rectè facitis, quia Martialem cum Apostolis pronuntiatis. Nos rectè agimus, quia eum inter Confessores recitamus. Vos vltimum Apostolorum dicitis: nos primum Confessorum in Letaniis dicimus.* Quod iurgium compescuit Gauslenus, Martialem Apostolum asserens, sed non probans, & his verbis disputationē concludens. *Nos Franci morem quem Patres nostri, qui primi Monasterium S. Benedicti suo magisterio informarunt, plenâ nobis ratione subnixū tradiderunt de hac re, ratum conseruamus.* Quæ sanè verba huiusce traditionis Apostolatus authores Monachos S. Benedicti demonstrant; qui eo sæculo literarum & bibliothecarū magistri, authoritate quâ apud populum pollebant, illi facilè opinionem suam persuaserunt. Ac quemadmodùm Hilduinus Abbas S. Dionysij sub Ludouico Pio, circa annum Christi DCCCXXX. arte Græcorum fauorem eius ambientium delusus, primus omnium Dionysium Parisiensem Areopagitam Pauli discipulum esse asseruit. Quamuis ad id vsque tempus scriptores Ecclesiastici, Gregorius Turonensis, Fortunatus Pictauiensis, Anno Christi DC. Beda Anno DCC. Vsuardus Anno DCCC. Dionysium solum Episcopum Parisiensem nominent, nullâ Areopagiticæ dignitatis factâ mentione. Immò & Gregorius illis septem Episcopis annumerat, quos sub Decio circa annum CCXI. missos fuisse refert, quos inter & noster Martialis adscriptus est. Præterea antiqua omnia martyrologia, scilicet ipsum quod Gregorij I. Papæ tempore in vsu erat ab Heriberto Rosvveido editum, & Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Notheri Monachi S. Galli, memoriam S.

Dionysij Areopagitæ Episcopi Atheniensis, qui teste Aristide contemporaneo scriptore sub Adriano passus est, die tertiâ Octobris recolunt: At Dionysij Parisiensis cum Rustico & Eleuthero passionem, die nonâ eiusdem mensis commemorant. His omnibus insuper habitis, Hilduinus Areopagiticam dignitatem Dionysio affinxit, neque tamen integram fidem apud posteros meruit, cùm Lethaldus & Abelardus, quamuis hic S. Dionysij monachus, illius opinionē impugnarint. Ergo Hilduini exemplo, cùm Ecclesia Lemouicensis S. Martialis circa annum DCCC.XLVIII. in potestatem monachorum S. Benedicti venisset, Martialem fictæ antiquitatis illustriorē illi monachi reddiderunt. Nam Hugo Abbas S. Martialis ab illa Synodo reuersus in Monasterium, in Litaniis Martialem inter Apostolos primus omnium descripsit. Quâ re commotus Iordanus Episcopus Lemouicensis, nouitatis Abbatem arguere, & Martialem Confessoribus non Apostolis annumerādum ex veteri more asserere, vt patet ex epistola Regis Roberti, Guillelmi Ducis Aquitaniæ & Episcoporum nomine scriptâ Benedicto Papæ VII. qui anno M. XXIV. obiit, è qua hæc verba Iordani describimus. *Sanctus Aurelianus successor illius (quem ipse sanctus Martialis de infero traxit) Ebulus, Atticus, Ermogenianus, aliique eius successores vsque ad triginta sex, Ego verò septimus, qui vocor Iordanus omnium infimus; hi omnes pro sanctissimo Confessore eum habuerunt, similiter omnes Abbates in eius Monasterio habitantes, vsque in hodiernam diem. Iste Abbas qui nunc est, nouitate deceptus, superbia elatus venit ad me, qui sum vilior meis antecessoribus, deprecans vt in Concilio meo, & in Synodo, sanctissimum Confessorem in numero ponerem Apostolorum, quod facere nolui. Ille perseuerans dictis fidem quam habuit cum duodecim monachis illius Monasterij mihi promisit, vt cum auctoritate in omni Concilio me defenderet; hoc facere non potuit in Concilio Guillelmi Ducis Aquitanorum audiente Archiepiscopo Bituricensi, Isemberto Pictauiensi, cæterisque cum suffraganeis: Omnes Episcopi Francorum, Aruernorum, Vasconum, Aquitanorum, cum quibus ego fui loquutus, comprobant & affirmant, sanctissimum Confessorem Martialem non debere tolli de illo loco, vbi sancti Patres & nostri antecessores eum posuerunt; & non esse Apostolatum nisi auctoritate comprobatum.* Et paulò pòst. *Tibi verò ego Iordanus has literas*

mitto de parte istorum prædictorum, Regis scilicet Roberti, Guilielmi Ducis Aquitanorum, Archiepiscoporum omnium videlicet Catholicorum, qui mihi contradicunt, ne sanctum Martialem in numero ponam Apostolorum. Tu autem, si ausus es hoc facere quod non fecerunt sancti tui antecessores, Gregorius, Clemens, Bonifacius, multique alij, vt ponerent Confessores inter Apostolos, si peccatum est, tuũ sit, ego verò liber à culpa, neque iniquitas, neque peccatum meum; voluntatem omnium Aquitanorum tibi monstrabo: quia ille Abbas seductor nulla alia causa hoc facit, nisi quia vult destruere sedem Episcopalem primi martyris, & Apostolatum S. Petri adnihilare. Per istius chartæ portitorem literas mihi mitte, & per omnia tuam voluntatem mihi manda. Respondere non potuit Benedictus morte præuentus; sed successoris Ioannis XIX. in veteri MS. Lemouicensi epistola legitur. *Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Iordano Episcopo & eius Clero, cunctisque Episcopis Galliarum, salutem charissimam cum benedictione Apostolica, &c.* In qua descriptis his quæ in vulgari Martialis vita leguntur, hac ratione Martialem Apostolum esse definit. *Cùm igitur Apostoli nomen non sit numeri, sed officij, quicumque reuelante Deo ad prædicandum mittitur, & sua pia exhortatione & exemplo, commissum sibi diuinitùs populum à potestate diaboli liberat, non incongruè Apostolus dici potest, quia Apostolus Missus dicitur.* Quæ sanè definitio in illa Episcopi & Abbatis controuersia rectè lata est: nam illi in missione Martialis conueniebant, cúmque ex septuaginta duobus discipulis communi consensu asserebant, ac de solo Apostoli nomine disputabant. Acceptâ Ioannis epistolâ conueniunt Biturigibus Episcopi, & decretum huiusmodi ferunt. *In nomine Domini, Ego Aymo Archiepiscopus Anno Incarnationis Dominicæ Indictione XIV. In Concilio Bituricensi, quod actum est Kalendis Nouembris cum consensu Coepiscoporum, seu Abbatum, & reliquorum fidelium, qui ibidem præsentes adfuerunt, decreui, & auctoritate propria firmaui, vt priuilegium Domini Ioannis Romanæ Sedis Papæ, quod isdem Dominus instituit, & Episcopis, Abbatibus, & reliquis fidelibus totius Galliæ misit, inconuulsum & illibatum permaneat; scilicet vt beatissimus Martialis in numero Apostolorum, tam in Litaniis quàm in omnibus diuinis officiis computaretur, & esset, nec immeritò.* Hancque decreti rationem reddit Aymo. *Est quippe dignũ,* sicut in gestis eius reperimus insertum, *illũ videlicet*

tum in cœna Domini, quàm in passione, necnon & resurrectione, ascẽsione quoque præsentem adfuisse, & cum cæteris Apostolis Spiritum sanctum accepisse. Nullámque aliam autoritatem præterquàm illam Martialis vitam citat. Vt autem Decretum illud executioni mandaretur, Episcopi Lemouicas veniunt die decima octauâ eiusdem mensis Nouembris, & incœptum apud Biturigas Concilium absoluunt. In hoc Iordanus Lemouicensis Episcopus examinandam affert in medium de Apostolatu Martialis sententiam. Tum quidam presbyter & Canonicus Podiensis Engelricus citat Hieronymum in epistolam ad Galatas, vnde concluditur alios præter duodecim fuisse Apostolos; eos scilicèt, qui cùm Christum in carne vidissent, eum postmodùm prædicarunt. Aliud tamen infert his verbis. *Si illi qui in carne Dominum videntes, eum posteà prædicantes Apostoli sunt, quantò magis Martialis qui Domini in carne discipulus fuit?* Quod vix superioribus cohæret; ac si principium petere noluisset, priùs hypothesim probare debebat: verùm minimè mali illi homines non ita accuratè singula examinabant. Post Engelricum Azenerius Abbas, inter Grammaticos, & posteà in Palatio enutritus, non alio quàm Apostoli sub nomine in sui ordinis Monasteriis quæ erant in Francia Martialem cognitum vsquam audiuisse. Ac tandem cùm in Bituria præcepto Regis Roberti Monasterio cuidam præpositus fuisset, contrariam illius consuetudinem se abrogasse, & Martialem inter Apostolos scripsisse. Vnde patet nõdum stabilitam eo tempore fuisse hanc traditionem, neque tantam obtinuisse auctoritatem Martialis vitam, quod etiam colligi posse videtur ex verbis corroborationis factæ in Concilio Bituricensi de Apostolatu Martialis, quæ sunt. *Contestati sunt ergo omnibus, vt abiecta ignorantiæ cæcitate eum corde credant, & ore fateantur Apostolum, quia prauitas & negligentia fuit his qui ante nos fuerunt, cur non omninò patefecerunt gloriam Dei, quæ in eo est pro Apostolatu.* Quare constans adhuc non erat S. Martialis Apostolatus traditio. Atq; id MS. homiliâ dictâ eodem tempore in dedicatione Capellæ S. Petri iuxta S. Martialis apertè confirmatur. *Hoc autem*, inquit, *quare dixi, nisi quia susurrones contra statuta Patrum agentes persensi, qui rectè mentiti in capita sua, in quantum ipsis est per latibula garriunt, Martialem non esse vnum ex*

his, qui Dominum prædicauerunt, Apostolis, sed vnum ex postremis Confessoribus Episcopis, qui longè post Apostolorum tempora extiterunt.

Et quamuis Odolricus Abbas S. Martialis præfati Hugonis successor hoc in Concilio asseruerit, S. Martialem ab antiquis omnibus Patribus inter Apostolos fuisse connumeratũ: nullum tamen profert, ex quo eam traditionẽ probare possit, hanc leuem silentij sui excusationem prætexens, ne ob Martialis Ecclesiæ regimen, adulandi studio ea dicere videretur. Nihilominus tamen & veteres codices Litaniarum citat, in quibus S. Martialis inter Apostolos scriptus erat. Quasi verò illa esset in Litaniis antiquitus distinctio, nec promiscuè nomina sanctorum recitarentur: nam in missali perantiquo Anni millesimi Ecclesiæ Lemouicensis, inque Litaniis quadruplicibus quæ diebus Paschalibus recitantur, cõmixti sunt Confessores, Martyres, & Apostoli, nullo ordine seruato. In tribus earum primis nulla Martialis est mentio, in quarta recitatur post Paulum, & hunc Petrus & Siluester præcedunt; vnde apparet, aliam fuisse ab hodierna methodo, illam antiquam Litaniarum seriem. Quare non magno æstimanda sunt desumpta ex illis libris testimonia. Addit Odolricus eam de Martiali sententiam etiam Abbonem Sancti Benedicti ad Ligerim Abbatem approbasse: at huius paulò ante defuncti ætas recentissima auctoritatem minuit. His præcipuè rationibus Sancto Martiali, Apostolatus in eo Concilio decretus est. Verùm quibus auctoribus, probis sanè & sanctis, at imperitis. Nam Sixtum secundum Papam, Laurentium, Dionysium Areopagitam, Clementem & Saturninum eodẽ tempore vixisse asserunt; attamen & Saturninus Impp. Diocletiano & Maximiano, Decio & Grato Coss. martyriũ tulit, ipsis ibidem testibus. Quod sanè ridiculum est, ille enim Consulatus non in Diocletiani & Maximiani, sed in Decij Imperium cadit, vt ex fastis videre est. Præterea quicumque in eo Concilio Apostolatum Martialis excutere voluerunt, vt indocti notati & repulsi sunt; illius verò assertores, quantumuis historiam confunderent, vt doctiores laudati. Nulla quoque Gregorij Turonẽsis de Martiali sub Decio Imp. disserentis mentio facta; quod vnum silentium ad retractandam

causam valeret. Verumtamen tantum pondus ab hoc Concilio noua illa traditio obtinuit, iam paulò ante vitæ vulgaris S. Martialis editione promulgata; vt exinde maior pars hominum Martialem vnum ex LXXII. discipulis, à Petro in Aquitaniam ad prædicandum Euangelium missum fuisse crediderit. Atque ipse Cardinalis Baronius illam sententiã, quando Concilio Prouinciali confirmata erat, approbauit; licèt aliunde vitam S. Martialis meritò suspectam, & multis historiæ sanæque doctrinæ maculis aspersam primo Annalium tomo duxerit.

IX. Ex his omnibus quæ examinandæ primæ opinionis causâ dicta sunt, hæc colligere possumus.

1. Vitam Mrrtialis quam modò habemus, non illam esse quam Aurelianus scripsisse dicitur; neque ex illa exceptam.

2. Illam nullam sapere antiquitatem.

3. Erroribus cùm in historia, tum in fide, & dogmate, esse refertam.

4. Nullum fide dignum auctorem ante nongentesimum Christi annum illius meminisse; vnde sequi videtur ab eo tempore fuisse conscriptam.

5. Non parere traditionis & opinionis huius vllum extitisse fundamentum ante Annum nongentesimum.

6. Ab anno solùm M.XXXI. & Concilio Lemouicensi S. Martialem in officiis diuinis inter Apostolos recitatum, ante in Confessorum Episcoporum numerum conscriptum, quod antiquis Lemouicensis Ecclesiæ Missalibus & Breuiariis ante Concilium scriptis confirmari potest.

X. Examinata priori sententia, rationem secundæ inquiramus: quæ nimirum S. Martialem anno vltimo Imperij Philipporum, Decij primo, Ipso & Annio Grato Coss. Fabiano Romæ Episcopo Anno Christi CCL. in Aquitaniam venisse refert. Atque hæc tantò magis verisimilior erit quantò illa prior à veritate aberrat.

XI. Huius opinionis prima origo ex actis passionis Saturnini Martyris & primi Episcopi Tolosatis ducitur, vt ab Gregorio Turonensi circa annum Christi DC. scribente refertur, cap.30.lib,1.Histor.Franc. his verbis. *Huius* (scilicet Decij)

tempore, septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia passionis sancti Saturnini denarrat. Ait enim sub Decio & Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana Ciuitas S. Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt Turonicis Gatianus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, *Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Aruernis* Stremonius *Episcopus, Lemouicis Martialis destinatus Episcopus.* Quæ narratio ex actis publicis, excerpta, in quibus socij Saturnini descripti erant, Martialem vnum ex illis eo solùm tempore non antè missum fuisse conuincit. Quod satis confirmatum videtur auctoritate Seueri Sulpicij qui libro secundo Historiæ sacræ ait. *Post Adrianum Antonino pio imperante pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio persequutio quinta agitata. Ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.* Quæ verba duo indicant primum, eos, qui sub Aurelio Lugduni passi sunt, primos Galliarum martyres fuisse; quare reiicienda vulgata Dionysij Valeriæ, Sauiniani & aliorum priora martyria. Secundùm, paulò ante Antoninorum imperium receptam in Galliis Christi religionem, primò Lugduni & Viennæ Romanorum coloniis propter Italiam sitis, in quibus noua illa religio suos primos habuit martyres. Atque adducta à Seuero ratio, visorum demum quartâ persecutione martyriorum in Gallia, scilicet propter religionem tardiùs receptam, magnum hac in disputatione pondus habet. Neque illi Irenæus Tertullianus & alii scriptores antiqui aduersantur, qui dum per Gallias promulgatam religionem Christianam asserunt, non ad priora, sed ad sua tempora Seueri nimirum Imperatoris, ætate à Sulpicio notata posteriora referendi sunt. In omnibus etiam latè Galliis receptam fuisse illorum temporum religionem non existimare debemus, sed solùm in aliquibus prouinciis & vrbibus; cùm & Martini Turonensis tempore, anno CCCC. eodem teste Sulpitio in eius vita, Dij Gentiliũ adhuc in Gallia colerentur. Enimuerò recepta primùm Lugduni & Viennæ Christi fides, in vicinas prouincias paulatim diffusa est. Ac cùm beneuolis erga Christianos per vices Imperatoribus libera prædicandæ fidei facultas daretur: Episcopi præcipuè vrbis Romæ, in hæc loca

loca excolendę religionis causâ viros Christianos mittebant. Ideóque Philippis Imperatoribus Christianis fauentibus, Fabianus Romanus Episcopus nominatos suprà septemuiros in Galliam Episcopos legauit.

XII. Ergo ex dictis cõstat sexto sæculo Gregorio Turonẽsi scribente, Martialem pro Petri discipulo ipsiúsque legato non agnitum fuisse. Nam & ipse Gregorius pluribus locis libri de gloria Confessorum, de Martiali & aliis verba faciens, de Petro semper silet. Ita cap. XXVII. *Igitur S. Martialis Episcopus, à Romanis missus Episcopis in Vrbe Lemouicina prædicare exorsus est.* Et infrà. *Per sanctum enim Stremonium, qui & ipse à Romanis Episcopis cum Gatiano beatissimo & reliquis, quos memorauimus, est directus, primum Aruerna ciuitas Verbum salutis accepit.* Neque alius qui Gregorium antecedat, vel ducentos etiam post annos subsequatur, huius circa Martialẽ nouæ opinionis meminisse legitur. Atque ad hanc posteriorem Martialis ætatem confirmandam, sufficit Ausonij, Engolismensis Episcopi vita, quæ illum Martialis discipulum à Chroco Valeriano & Gallieno imperantibus, Gallias depopulante, cęsum pro religione fuisse narrat. Quare Martialis discipulum Ausonium post annum CCLX. passum, ducentis annis præcedere nequit; quod tamen asserere coguntur nouæ huius opinionis assertores, ad Petrum Apostolum Martialis missionem referentes.

XIII. Tandem comparatis duabus hisce opinionibus, nõ arduum est nostræ antiquitatem, vulgarísque nouitatem animaduertere. Hæc enim nullo certissimo ab authore cõnfirmata, nullisque subnixa rationibus meritò reiicienda est, hac regulâ historiæ certissima à Baronio allata primo Annalium tomo *Quod enim à recentiore auctore de rebus adeò antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Vt autem magis huius opinionis vulgatæ infirmitas appareat; inuestigandum est vnde illud inualuerit, à Petro missum Martialem: quod sanè loquendi formulâ factum est. Cùm enim Romana Ecclesia, Petri sedes fuerit semper appellata, illi qui ab ea sede legati sunt, à Petro missi fuisse dicti sunt, licèt à Petri successoribus longa post tempora venerint. Quod pluribus Scriptorum locis manifestum, confirmatur dignitate Bonifacij à Gregorio II. in Germaniam Euangelij gratiâ legati, qui

AD Caput XXXVI. Verba Clerici in Concilio Lemouicensi perorantis sunt hæc.

PORRO autem de Dionysio Areopagita, qui in actibus Apostolorum memoratur, putare solebam, ipsum esse qui in Galliam cum Rustico, & Eleutherio post decessum Apostolorum Petri, & Pauli, & Martialis venit. Donec nuper contigit mihi fortuitò legere commentum Bedæ super libro actuum Apostolorum vbi ita scriptum est. Dionysius iste Areopagita ipse est qui posteà Corinthiorum Episcopus factus gloriosissimè Ecclesiam rexit, & eloquio clarus multos libros ad vtilitatem Ecclesiæ scripsit. Huius Dionysij Hieronymus in Chronica sua mentionem faciens dixit. Dionysius Corinthiorum Episcopus, eloquio clarus sub Antonino floruit Imperatore, quo tempore Polycarpus discipulus Ioannis passus est. Sub Traiano verò, qui quintus post Vespasianum imperauit, Ioannes Apostolus in pace quieuit, & Clemens Papa in mare mersus martyrio coronatus est. Huius Dionysij Gregorius in quadam homilia meminit dicens. Fertur Dionysius ille antiquus venerabilis pater Areopagita dicere, quòd ex minoribus Angelorum agminibus foris ad explenda ministeria, vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur. Hic autem de Francia Dionysius vnde fuerit oriundus in passione sancti Marcelli fideliter indicari mihi videtur, sic enim habetur. Puer quidem Marcellus sub doctrina B. Sixti erudiebatur: cúmque suppliciis Sixtum Episcopum videret puer macerari, cœpit timere. Tunc sanctus Laurentius corroborans ætatis eius infantiam ait ad eum, Marcelle genitor tuus Egeas noluit Christum credere, nam mater tua Marcellina, & fratrés tui Marcellinus & Dionysius iubente sancto Clemente Papâ vobis Romæ partibus Galliarum, vt ad fidem Christianam gentes instruerent directi sunt, vade ad eos vt non pereas in manu Decij. Et infrà dicitur. Profectus Marcellus cum Anastasio commilitone Christiano, vt iret vbi erat frater suus Saturninus Episcopus, peruenit vsque ad Argentomagum, vbi à Præside comprehensus inquisitus est vnde esset, aut de qua prouincia, vel ciuitate huc venisset. Puer,

respondit, Christianus sum, ab vrbe Roma exiui, & propero ad ciuitatem Tolosam, vbi fratres mei Saturninus, & Dionysius commorantur. Cui Heradius Præses ait, dic mihi vocabulum patris, aut matris tuæ: Puer respondit, pater meus Egeas, & mater mea Marcellina nuncupati sunt. Sed si velint Episcopi, ipsa passio in Concilio eorum potest sine mora deferri. Hæc mihi non discrepare videntur à scriptura, quæ penes nos Engolismæ de Dionysij gestis habetur. Ibi enim legitur, quia Clemens quemdam Philippum ordinauerit Episcopum, & Hispaniæ destinauerit ad prædicandum. Dionysio verò verbi diuini semina gentibus tradidit eroganda, quem in Galliam misit, sociósque ei Saturninum, Marcellinum, & Lucianum atque Rusticum, & Eleutherium adhibuit, qui cùm simul peruenissent ad portum Arelatensium ciuitatis, Marcellinus in Hispaniam abiit, Saturninus autem Tolosam profectus est, & Dionysius cum Rustico, & Eleutherio Parisios adierũt. Lucianus verò Presbyter ad Bellouacensem profectus est vrbem. Iulianus quoque Cenomanensis, vt in gestis eius reperimus, genere Romanus fuit. Saturninus autem, vt passio eius docet, tempore Dioclétiani, & Maximiani, Decio Germanico & fratre Consulibus, passus est.

Vitam, aut potiùs passionis Dionysij acta, Hilduino antiquiora, accipe ex fide quinque manuscriptorum Codicum optimæ notæ.

Passio sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici, & Eleutherij qui passi sunt Parisius VII. Idus Octobris.

GLORIOSÆ martyrum passiones, & pretiosa Domino ipsorum certamina, quamquam digna sint pro miraculorum dignitate conscribi, nequeunt tamen sine formidinis trepidatione complecti, quia cùm magnarum rerum consideratur assumptio, non immeritò præsumpti operis timetur magnitudo, eò quòd tantùm sermo tenuis explicare non valet, quantùm de se exigit veritas passionis. Tamen etsi posito tantæ rei arduum habere videatur initium, in hac mens

trepidatione respirat, quòd semper opifex suum ministrum diuina instructione informet, & inchoanti initium, & ingenij perfectionem accommodet. Hac ergo consideratione audaciam nimiæ temeritatis assumens, *quæ longo tempore fuerant obumbrata silentio*, ipsius diuinitatis auxilio incœpta sunt reseranda. Quia vt habet testimonium veritas, *plus fidelium sunt relatione comperta, quàm probentur ad nos lectione transmissa.* Vnde non sine certi æstimatione coniicitur, quod nouitas adhuc credentium populorum Gentilium crudelitate contrista formidauit scribere, quod tamen gaudebat Dei famulos meruisse, cùm sine dubio iudicentur scripta, quæ fidelium sermo testatur impleta. Credendum enim de his est, & abstersa dubietatis iustæ, totis viribus confitendum, eos qui per confessionem Domini ac Dei nostri digni fuerunt subire martyrium, etiam ampliora tolerare voluisse, quàm videtur succedentibus ætatibus relatio per populos transmissa recolere. Id ergo supplicatio communis obtineat, vt veniam consequatur deuotus, si de virtutibus prætermisit ignarus. Nam etsi omnia non esse soluuntur, credere vniuersitas mereatur, vt Dei famulus etiã maiora sentiat, quàm sermo passionis explanet. Qualiter enim cultorem Domini locus ille gaudens, & eius patrocinium habere promeruit, quando aliorum sanctorum inuentum illi agnouerimus fuisse consortium, sic fidelium relatione dicimus ipsorum iuuamine martyrum quantum de se scire tribuunt explicemus.

Igitur Post Domini nostri Iesu Christi salutiferam passionem, post Resurrectionis vnicæ singularisque mysteriũ, post Ascensionem eius qua manifestauit hominibus nunquam se defuisse quò rediit, Apostolorum predicatio vniuersis gentibus profutura successit. Qui cùm imminere suas cernerent passiones, quod Domino nostro Iesu Christo docente didicerant, repleti spiritus Sancti gratiâ docuerunt; adeò vt fide crescente non pauci mererentur fieri Confessores, quos modo Ecclesia Catholica gaudet promeruisse martyres. Hos ergo quorum virtutem persecutorum non præualuit superare conflictus, quos ad auri similitudinem, reddit flammarum examinatio pretiosos, ad suscipienda mandata Domi-

ni idoneos Apoſtolorum eſſe iudicauit electio. Quibus & Euangelica præcepta ſemper agentibus ſeruanda committerent, electiſque viris Dei diſpoſitione prouidenter honorem decreuerunt Epiſcopalem adiungere quò faciliùs eorum prædicationibns acquiſiti ad miniſterium ſacri proueherentur altaris. Ex qua Confeſſorum turba, ſanctum & venerandi meriti Saturninum vrbs Toloſana promeruiſſe gaudet Epiſcopum, quem impietas ſpectantis populi poſterioribus tauri multis nexibus ligatum dedit Capitolij gradibus illidendum, vbi ſancti capitis ſoluta compage, cerebrum frequentis illiſionis diſperſit iniuria: ſed tali deſcenſu, ad Dominum aſſecutus eſt aſcenſum. Fœlix vir tāti meriti, tantæque & perſonæ, & virtutis, cui conceſſum eſt primum eſſe doctorem, poſt martyrem, qui quod docuit verbis, euidentibus impleuit exemplis. Simili etiam gratia beatiſſimus Paulus Antiſtes, atque Confeſſor, Narbonenſem prouinciam ſalutari acquiſiuit eloquio. Quem ita labor domeſticæ tribulationis exercuit, vt verum Domini eſſe famulum approbares. Sed gratias tibi Domine Ieſu Chriſte, qui infeſtantis inimici tela, probationem fidelium tuorum permiſiſti eſſe non vulnera, & talem his præſtas pro mercede laborem, vt nullum tuorum fuiſſe gaudeat hoſtis imbellem. Dum ergo ad peculiaria patroni geſta ſuſcepti officij tendat obſequium, non ex aſſe quæ de ſeruo Dei ſunt comperta proſequimur, ſed immemores ſui non fuiſſe ſufficiat, in talibus enim cauſis magis conuenit fideles credere, quàm poſſit relatio humana monſtrare.

Sanctus igitur Dionyſius, *qui vt ferunt à ſucceſſoribus Apoſtolorum*, verbi diuini ſemina gentibus eroganda ſuſceperat, quò ampliùs gentilitatis feruere cognouit errorem, illuc intrepidus, & calore fidei inflammatus acceſſit, Pariſios Domino ducente peruenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem, quia virtutem ſuam præteritarum pœnarum recordatio roborabat, & qui meruerat eſſe confeſſor, non cunctatus eſt auctoribus populis accedere prædicator. Tunc memorata ciuitas & conuentu Germanorum, nobilitate pollebat quòd eſſet ſalubris aere, iocunda flumine, fecunda terris, vinetis vberrima, & arboribus nemoroſa, conſtipulata

aliàs *qui tradente beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore.*

populis, referta commerciis, ipsumque insulæ potiùs, quàm vrbis spatium, quod habitationi circumfusa fluminis vnda præstabat, crescentibus consistentium cateruis reddebatur exiguum, & iocunditatis sollicitatione in vnum plebs acta commigrans, penè, territorium suum intra murorum conclusionem contraxerat. Hunc ergo locum Dei famulus exegit expetendum. Ad quem cùm primùm fide armatus, & constantia confessionis accessisset intrepidus, Ecclesiam illis quæ necdum in locis erat, & populis illis nouam construxit, ac officiale seruitium clericorum ex more constituit, probatasque personas honore sæculi ordinis amplians. Cinctus ergo fide & iam constructione Basilicæ roboratus, Deũ gentibus non desinebat insinuare quem nouerat, eiusque omnibus & iudicium, & misericordirm anteponens, paulatim sociabat Deo, quem diabolo substrahebat. Tantas etiam per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, vt rebellium corda gentilium non minùs miraculis, quàm prædicationibus obtineret, miróque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere, sed subdebat se illi certamini Germaniæ ceruicositas, & iugum Christi suaue imponi sibi actâ cordis compunctione poscebat. Ab ipsis quoque destruebantur Idola, quorum sumptu fuerant, & studio fabricata, & inuento salutis portu Idolorum gaudebant perire naufragia. Lugebat portio victa diaboli, cùm de ea victrix Ecclesiæ legio triumphabat. Tunc hostis antiquus videns sibi perire quod Domino constabat assidua populorum conuersione proficere, totam artificij sui machinam ad impugnandum quæ fuerant constructa conuertit, & suæ partis auctores Deorum suorum flentes exitium ad impietatem subitæ persecutionis armauit, vt eos qui vnum & verum Deum colendum insinuauerant, & timendum perdere diuersitate supplicij maturarent, ne superesse posset, qui valeret acquirere quod peribat. Persecutionis ergo publicatâ sententiâ impiorum gaudens turba progreditur, & contra Dominicum populum pugnatura conspirat non cunctati appetere gladio quos Dominus suos monstrauerat esse signãdos. Itaque cùm occidui Orbis partem pro Christianorum inquisitione percurrerent sanctum Dionysium contra incredulos dimicantem Parisiis

repererunt. Cúmque Rusticum presbyterum, & Eleutherium Archidiaconem persecutionis furor inuenit. Hi beati viri à S. Dionisij numquam sustinuerunt abesse præsentiã quos in vnum interrogatio persecutoris inuenit, sed reperire non potuit, quem à societate martyrij separaret. Interrogati, vnum, & verum in Trinitate Deum confitentur, & terrore subiecto, multisque afflicti iniuriis, & suppliciis, verberibus macerati Christianos se esse testantur, visóque percutientis ictu, Domini, ac Dei nostri se famulos magnâ confessionis voce pronunciant. In hac ergo fidei constantia persistentes, reddentes terræ corpora, beatas cœlo animas intulerunt, talíque ad Dominum meruerunt professione migrare, vt amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri. Beata nimiùm, & Deo grata societas inter quos nec primus alter potuit esse, nec tertius, sed Trinitatem confitentes meruerunt venerabilem locum trino decorare martyrio. Metuentes igitur percussores ne conuersi populi fidelissima, probatáque deuotio sanctorum corpora profutura sibi, & Reliquias ad patrocinium tumularet; elegerunt, tetris Sequanæ, profundisque gurgitibus martyrum corpora perdenda committere, quæ imposita nauibus ad præuisum iubentur gurgitem destinari. Tunc matrona quædam, licèt paganorum implicata teneretur errore, conuersionem tamen se desiderare mente monstrabat, & opera facere aliqua cogitans Domino placitura, vsa subtilitate consilij, ad conuiuium venire postulat percussores, & dũ eis copiam optatæ humanitatis extendit, à memoria eorum quæ susceperant agenda discussit, ac fidelibus suis secreta ordinatione committit, vt substracta furto sanctorum corpora diligens elaboraret occultare prouisio. Qui verò ordinatione comperta festinanter quod eis præceptum fuerat exequuntur, furtumque laudabile in sexto ab vrbe memorato lapide, id est in aratam quam seminibus præparauerãt terram, industria tollentis ascondunt. Factâ deinceps, vt moris est, satione, nec suum seges negauit obsequium, quæ tali fœcundata pinguedine, sic in ea beneficium vbertas effudit, vt centuplicatos fructus & cultor acquireret, & patria salutem mereretur. Pubescente verò segete diu latuit quod erat

Parisiorum

Pariſiorum populis profuturum. Antedicta tamen materfamilias horum immemor ſecretorum, cùm primùm perſecutionis furor tepuiſſet vidit in ſomnis feruere locum tantorum oſſa ſeruantem, & quâ oportuit ſollicitudine requiſiuit, atque inuentum eminentis Mauſolei conſtructione ſignauit. Vbi poſtmodùm Chriſtiani Baſilicam ſupra martyrum corpora magno ſumptu, cultúque eximio conſtruxerunt, ibíque quotidie operante Domino noſtro Ieſu Chriſto merita eorum virtutum probantur monſtrare frequentiam, & experiuntur infirmi quantum Dei famulos conueniat honorari, vbi recipit cœcitas viſum, debilitas greſſum, & obſtrictæ aurium ianuæ recipiunt auditum. Sed nec illud ſciendum eſt, quòd immundi ſpiritus infeſtatione vexati, dum ad memoratum locum examinandi virtute diuina ducuntur, ſanctorum ipſorum coguntur imperio, quo quiſque martyrum ſit poſitus loco aſſignatis nominibus indicare. De quorum paſſione VII. Idus Octobris Dominus nos gaudere voluit, qui centeſimum eſſe noſtrum fructum repromiſit, cui eſt honor & gloria virtus, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD Caput XXXIV. Iuliani Cenomanenſis vita à Letaldo Monacho ſcripta hæc eſt.

Incipit Prologus in vitam ſancti Iuliani Cenomanenſis Epiſcopi.

REuerendiſſimo Patri Aueſgaudo, frater Letaldus ſalutem in Domino. Cùm deſiderio afflatus tam ſpiritualis, quàm corporalis remedij ad memoriam præcellentiſſimi Præſulis Iuliani acceſſiſſem, & dulci affamine veſtræ dilectionis frui licuiſſet, eadem vis charitatis, quæ veſtræ ſublimitatis animũ meæ paſſillanimitati cõciliabat, impoſuit mihi onus, ſi idoneus forem, amabile atque iucundum, quia impar, non tam iucundum, quàm reuerendum, ſcilicet vt ea quæ ab antiquis de arcibus glorioſi eiuſdem Patris, inculto, vt vobis videbatur, ſermone conſcripta ſunt, ipſe planiori & luculentiori ordine texerem, & ad ædificationem audientium quadam dealbatura veſtirem. Quod opus reueren-

dum potiùs quàm iucundum dixerim, quia cum magnæ reuerentiæ grauitate dicenda, & scribenda sunt, quæ in conspectu veritatis recitari debent, ne vnde Deus placari creditur, inde ampliùs ad iracundiam prouocetur; nihil enim ei placet, nisi quod verum est. Sunt autem nonnulli, qui dum attollere Sanctorum facta appetunt, in lucem veritatis offendunt: quasi Sanctorum gloria mendacio erigi valeat, qui si mendacij sectatores fuissent, ad sanctitatis culmen nequaquam ascendere potuissent. Dicenda ergo cum veritate sunt, quæ veritas gessit, quia si aliquis Patrum aliquod dicitur fecisse miraculum, non illud homo, sed Deus operatur, qui potens est operari in quo, & per quem vult hominem. Cùm ergo tam mira, & speciosa de actibus huius præcellentissimi Patris recito, non de meritis eius diffido, nec de potentia Christi ambigo: sed cum hæc eadem in aliis inuenio, cui potiùs credendum sit non perspicuè video, nisi fortè grauitas authoritatis alicuius magnifici doctoris me ab errore deduxerit, & quasi anchoræ pondus vacillantem animum solidarit. Multa enim in actibus supradicti Patris conscripta sunt, quæ & in beatorum Clementis, & Dionysij martyrum, & sancti Furcei Confessoris, eodem sensu, & pene eisdem verbis inueniuntur. De tempore quidem quo magnus ille floruerit, ex libro Gregorij Turonensis per coniecturam sumpsi, qui in historiarum suarum lib. I. sub Decio, & Grato Coss. à Xisto Romanæ sedis Apostolico, plurimos Episcopos ordinatos asseruit, & in Gallias ad prædicandum verbum Dei directos, quorum nomina, & loca quibus destinati sunt, partim posteriùs dicam. Porrò cùm beatus Dionysius à sancto Gregorio ex eorum numero fuisse dicatur, & in gestis gloriosi Patris Iuliani cum eodem sancto Dionysio ad Gallias prædicaturus venisse narretur. Non dubium æstimo, quin sub Decio Valeriano Gratóque Coss. & Sixto Romanæ Sedis Antistite fuisse monstretur, qui videlicet Xixtus, & Laurentius Archidiaconus ab eodem Decio tentati, & in Christi confessione permanentes, victrici potentia coronati sunt. Quod verò S. Iulianus dicitur à B. Clemente destinatus, neque ratio temporum, neque veterum consensit authoritas. B. enim Clemens sub Traiano Cæsare in e-

xilium apud Chersones deportatus est, & inter Traianum, atque Decium, sub quo B. Iulianum fuisse coniicimus, plurimi Imperatores intersunt, quod in Chronicis Eusebij Cæsariensis, quæ Hieronymus transtulit, facilè diligens lector agnoscet. Nos igitur ea quæ de sancto Iuliano conscripsimus, in quantum potuimus authoritate præcedentium Patrum confirmauimus, & quędam simpliciter secundùm antiquam traditionem edidimus; quædam verò quæ nobis minùs probabilia visa sunt, pretermisimus. Nusquam tamen de meritis tanti Patris quemquam diffidere suademus, qui dum apud suos sacros cineres Deo largiente tanta, & talia operetur, multò maiora, & clariora, dum in hoc mundo adhuc viueret, eum operatum fuisse cunctis rectè credentibus liquet. Quòd si hæc nostra elinguis rusticitas, vel vtilitati, vel deuotioni aliquod emolumentum contulerit, ea etiam quæ nostrâ ætate apud sacrum eius tumulum patrata sunt, Domino Christo largiente, dum nostræ accesserint notitiæ, subnectere cogitamus. Sane Responsoriorum, & Antiphonarum, vt petiistis, digessimus ordinem, in quibus pro vitando fastidio de vnoquoque modo singula compegimus corpora, neque omninò alienari volumus à similitudine veteris cantus, ne barbaram, aut inexpertam, vti perhibetur, melodiam fingeremus. Non enim mihi placet quorumdam musicorum nouitas, qui tanta dissimilitudine vtuntur, vt veteres sequi omninò dedignentur authores: nam hi qui coniugiis vacant, malunt liberos hominibus similes gignere, quàm alicuius inuisi monstri effigiem procreare.

Explicit prologus.

Vita sancti Iuliani Confessoris Cenomanensis Episcopi, cuius festum celebratur VI. Calend. Februarij.

CVm adhuc mundus errorum tenebris inuolutus, claritatem veræ lucis penitus ignoraret, & antiqui hostis versutia in humano genere, quod sibi à primo parente subdiderat, grassaretur, honorque Creatoris, creaturæ potiùs quàm Creatori exhiberetur. Scilicet quòd vnusquisque vel ex mortuis hominibus, vel insensibili materia, Deos quos

adoraret fingebat, Deus omnipotens humanos miseratus errores, ne sua in æternum factura periret, verbum suum æquale sibi, atque coæternum per vterum intactæ virginis pro sæculi vita verum hominem, ad humanos perduxit aspectus, qui Deitatis naturâ non minutâ, humanitate tamen nostrâ, absque peccati næuo veraciter assumptâ, inter homines conuersatus est, præbens beneficia Deitatis, & perferens incommoda humanæ fragilitatis. Denique eam carnem, quam de virgine sumpserat, pro redemptione nostra posuit, & hominem quem creauerat, non alio redemit pretio, nisi viuifico, & pretioso sanguine suo. Factus ergo obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, destruxit mortis Imperium, & ab ipsis auerni sedibus suos eripuit, & comitâte illa ineffabili triumphati hostis victrice pompâ, ad dexteram patris in perpetuum regnaturus ascendit. Ecclesiam ergo suam quam sibi salutari acquisiuerat sanguine, Spiritus sancti illustrauit aduentu, vt mundi aduersis interim exercenda inuincibili Spiritus sancti confortaretur armaturâ. Fūdata igitur supra petram fidei, diffunditur per climata totius mundi, vt relictâ vanitate Idolorum Deum verum homo cognosceret, & ab errore paterni delicti, & squallore vetustæ gentilitatis in nouitatem vitæ transiret. Sed veternus hostis dolens sibi perire, quod Deo constabat acquiri, omne malitiæ suæ machinamentum ad subuertendum Ecclesiæ inuincibilis conuertit asylum, & iniquâ instantiâ pro defensione falsitatis nonnullos martyrum prostrauit gladio, alios affixit patibulo, alios obduxit pelago, fame alios peremit, ignibus excruciauit, alios membratim discerpsit, & indicibili genere mortium debacchatus, Ecclesiam Christi expugnare visus est. Sed quò eius ampliùs efferbuit immanitas, eò sanctorum insuperabilis constantia, vnde atrociori pulsata est inuidia, inde amplioris virtutis enituit gloria. Neronem igitur primum contra pietatem habens impietatis ministrum, dein per succedentes sibimet Principes malitiæ suæ augens incrementum, per trecentos, & eo ampliùs annos Ecclesiam Christi concussit, sed nullatenus euertere valuit. Cùm enim placuit ei, qui fideles suos igne tentationis permisit excoqui, vt serenus dies post tot

turbines suæ familiæ illucesceret, lux veritatis culmen imperij subiit, & mundi gloriâ sibi substratâ, eos cœpit habere defensores, quos per inuidiam hostis antiqui catenùs habuerat perfidos impugnatores. Tunc ergo velut post asperitatem nimbosæ hyemis, cùm placidas verni clementia temperat auras, redolentes arbusta prorumpunt in flores, & nudata dudùm roseta rediuiuis adornantur rosis, mirantésque oculos erumpentium candor reuerberat liliorum; sic pace Ecclesiæ redditâ, diuersi per mundum effulsêre viri, qui virtutũ luce mirabiles, fulgore fidei insignes, ad sequenda Christi vestigia mansuetis corde pararentur imitabiles, Ad collocandum igitur in Galliis nouæ fidei fundamentum; ad erigendum rudis adhuc Ecclesiæ statum, pietas superna magnificos, atque industrios viros destinauit, Lugdunensibus Fotinũ, Arelatensibus Trophimum, Narbonæ Paulum, Tolosæ Saturninum, Aruernis Austremonium, Lemouicinis Martialẽ, Turonicis Gratianum, Parisiacis Dionysium, Cenomanicis Iulianum. Hic itaque Iulianus Romanâ generositate clarissimus, linguâ facundus, iustitiâ insignis merito fidei percelebris, primus Apostolus Cenomanicæ vrbis à Deo destinatur: qui etsi aliis Apostolus non est, Cenomanẽsibus tamẽ est. Nã sicut de se quoque beatus clamat Apostolus, signum Apostolatus eius ipsi sunt in Domino. Is ergo vir Domini fide munitus ad destruendos errores, ad conculcandas dæmonum vanitates, ad vrbem supradictam accessit intrepidus. Sed dum nouitas sanctæ prædicationis quibusdam incredulis in scandalum, nonnullis verteretur in derisum, miraculorum potentia reddebat attonitos, quos ad audiendam veritatis viam veternus, & innatus error effecerat fastidiosos. Per manus enim reuerendi Pontificis, tantas Christus operabatur virtutes, vt verbo dæmones fugaret, leprosos mundaret, cunctísque languentibus opẽ crucis medicamine largiretur. Denique cùm ad eum plurimi accurrerent, pro adipiscenda salute corporũ; illuminati verbo fidei cum salute redibant animarum. Porrò idem venerabilis vir extra vrbem paruo tectus hospitio, die noctéque in sancto perstabat proposito, vix vllam curam habens corporis, totum se eorum impendens saluti, quos dæmonico nitebatur subducere errori. Sanè cùm iam multi miracu-

lorum dulcedine deliniti, & luce fidei radiati eius sancto contubernio inhærerent, essétque de conuehendæ aquæ penuriâ non modica querimonia, vir Dei ad locum quem aptum credidit accedens, cuspidem baculi, quem manu gestabat, humi defigens, cunctis audientibus dixit: Domine Deus noster qui sitienti populo in eremo de dura silice potum tribuisti, adesto nobis famulis tuis, & aperi thesaurum tuæ pietatis, & iube nobis de duritia huius telluris ministrari fontem aquæ viuentis, vt cognoscant præsentes quia tu es verus Deus, qui in fine sæculorum misisti filium tuum in mundum, vt credentes in te ad veram introduceret repromissionis terram: cúmque fideles respondissent Amen, subitò erupit fons viuacissimus, qui & potentiam diuinitatis ostenderet, & meritum beati viri liquidò cunctis astantibus demonstraret. Tunc qui iam crediderât in fide corroborati sunt, qui adhuc Gentilitatis errore detinebantur, ad pedes Sancti procumbunt, orantes se sanctæ fidei sacramentis initiari. Hunc ergò fontem placuit Centonomium vocitari, quia exhibitionis eius gaudio multiplicato fidei fœnore numerus credentium cœpit multiplicari; multi enim in eo per baptismatis sacramentum veterem hominem exuerunt, & nouo qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & veritate sanctitatis vestiti sunt. Itaque non tantùm quique populares, sed & nobilissimorum plurimi cingula deponentes militiæ, tumida olim colla sua iugo Christi supponentes, sancto viro, & sacris eius gaudebant informari exemplis. Cúmque fulgor tantæ claritatis quasi lucifer matutinus solem iustitiæ nuncians, totam prouinciam iam perlustrasset, Princeps ciuitatis Defensor nomine, vir gloriosus, & secundùm caducos huius mundi honores potentissimus, tot miraculorum nouitate perculsus dignum Deo Pontificem per internuncios euocans, vt ad se venire dignaretur suppliciter exorat. Fidelissimus autem minister Christi cùm ad Principem accederet, ante principalis aulæ ianuam obuium habuit quemdam cœcũ qui coràm eo procumbens flagitabat auxilium: at ille inuocato Christi nomine, & crucis impresso vexillo, eum sub momento pristinæ restituit sanitati, quod Princeps audiens festinus accurrit, genibus Sancti aduoluitur, supplex exorans quòd particeps vitæ æternæ fieri mereretur, quem verbo Dei

diligentissimè instructum Pontifex venerabilis cathechisauit, & solemni ieiunio peracto cum tota familia, multáque nobilium turba baptizauit. Qui in tanto pietatis ardore excreuit, vt domum suam sancto viro traderet, quò ibi Ecclesiam diuino cultui aptam extrueret, & lucrãdis Christo animabus absque vllo inuigilaret incommodo. Iam tunc ergo impossibile dictu reor, quanto gaudio, quantáq; alacritate quotidiè Christo inibi fierent lucra, diabolo detrimenta. Omnis ætas, omnisque sexus ardentissimo amore ad audiendum verbum Domini confluebat, & certatim præire alter alterum in sancto proposito elaborabat. Factam igitur bonorum suorum collationem sancto viro tradunt, quò & Ecclesia diuinis exornaretur honoribus, & pauperes Christi alimentis consolarentur corporalibus. Porrò dispensator fidelis, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mẽsuram, vt in erogando verbo Dei cum pietatis actibus inuigilabat, ita etiam in dispensandis terrenis, secundùm institutionem Apostolicam desudabat, & viuentibus sub se communiter Ecclesiæ filiis, prout cuique opus erat fideliter diuidebat. Sanè præsentium occasione curarum, nequaquàm illius mẽtis oculus caligabat à contemplatione æternorum, sed quò ampliùs fulciebatur rebus transitoriis, eò ampliùs inhiabat ad gaudia patriæ cœlestis: benè enim nouerat quod conueniret in via, quid deberetur in patria. In via quippe videbat necessarium laboris stipendium: in patri autem toto affectu desiderabat æternæ beatitudinis emolumentum. Sunt enim nõnulli qui pastorali regimine laborant, & pro eodem labore sempiterna præmia non appetunt, sed honore prælationis tumidi, quamuis cœlestia verbo prædicent, toto desiderio terrena quærunt. Hic verò Deo dignus Pontifex, cùm virtutum fulgore clarescceret, miraculorum potentiâ cingeretur, obsequentium populorum cuneis fulciretur, & rerum temporaliũ affluẽtiâ ditaretur, nulli delectationis impedimento succumbebat: sed in datore omnium bonorum oculum figens, bona præsentia quasi post tergum, & ante faciem proponebat fideliter, quæ sanctis promittuntur in cœlo. Porrò in ea ciuitate quâ vir beatissimus pastorales agebat excubias, erat quidam vir potens, ac nobilis nomine Anastasius, nondum fidei Chri-

ſtianæ ſubiectus. Huius filius graui arreptus incommodo, ad extrema deductus, & ad vltimum extinctus eſt. Pater verò orbitatis dolorem non ſuſtinens, ad virum Dei cucurrit clamãs, & dicens: Serue Dei Iuliane qui confiteris Chriſtum Ieſum Deum eſſe, per eum te adiuro quem prædicas, redde mihi filium meum. Cui ait vir Dei, Anaſtaſi ſi credis eum quem prędico verum Deum eſſe, & filium tuum recipies, & tu vitam obtinebis æternam. Anaſtaſio deierante, atque dicente, ſi filium meum viuum recepero, Chriſtum verum Deum confiteor, & Idolis penitùs abrenuncio. Abiit cum eo beatiſſimus Pontifex ad domum in qua pueri corpus iacebat exanime, & cunctis flentibus, & quid beatus vir acturus foret conſiderantibus, ille tenens manum defuncti, & ſuſpiciens in cœlum, lachrymis perfuſus ait: Domine Ieſu Chriſte, qui Viduæ filium extra portam elatum multis aſtantibus ſuſcitaſti, & quatriduanum Lazarum, iamque fœtentem verbo potentiæ tuæ à mortuis reuocaſti: Tu præcipe vt ſuſcitetur puer iſte, quatenùs iſto reſuſcitato in corpore, multi per tuam fidem reſurgant in anima, præſentéſque cognoſcant quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui præcepto patris mundum ſaluaſti, cui per te condignas gratias referimus per infinita ſæculorum ſæcula. Cúmque fideles reſpondiſſent Amen, quaſi à ſomno ſurrexit puer incolumis, & cunctis denuò prę gaudio flentibus, parentibus ineffabile gaudium, & cæteris aſtantibus ad ſequendam Chriſtianitatis religionem magnum præbuit incitamentum. Mox pater eius Anaſtaſius cũ omni familia credidit, & baptiſmi gratiam conſecutus numero fidelium applicatus eſt. Sequenti deinceps tempore per eum ſimile huic miraculo ad laudem, & gloriam nominis ſui Chriſtus operari dignatus eſt. Nam cùm idem vir beatiſſimus ab vrbe digrediens, vt lucrum Chriſto de pereuntibus faceret, diœceſis ſuę partes viſitaret; ecce defunctus deferebatur magnâ populi comitante catervâ, adoleſcens cuiuſdam magnifici viri filius, qui dicebatur Iouinianus, ſuperueniens ſanctus Epiſcopus, conſuetâ in Dominum fiduciâ fretus, iuſſit deponi defuncti corpus, & manu ſilentio imperato clarâ voce ad patrem adoleſcentis ait; Iouiniane, Chriſtus quem prædico hominibus mortuos ſuſcitauit, dæmonia verbo fugauit, & ad oſtendendam Deitatis ſuæ potentiam,

iam, quidquid voluit inter homines operatus est. Hunc tu si relictâ vanitate Idolorum Deum ex toto corde credideris, & purificari te permiseris fonte baptismatis, & tuâ salute, & tui filij resurrectione gaudebis. Tunc idem Iouinianus, & vniuersus astans populus Sancti aduoluuntur pedibus, & cunctis misericordiam flagitantibus cum lachrymis aiebat Iouinianus. Magne serue Dei Iuliane, si vnicum mihi pignus, & vitæ præsentis solatium reddideris, non solùm ego Christum verum Deum esse confiteor, sed & populus hic vniuersus Deorum suorum figmenta contemnet, & fidem quam prædicas deuotâ mente suscipiet. At verò vir Deo plenus, genibus in terram curuatis, ac manibus in cœlum porrectis, cunctis audientibus dixit. Domine Iesu Christe, qui vbique præsens es, qui pro nostra redemptione homo fieri voluisti, & inter homines apparens per vexillum Crucis tuæ ab humano genere mortem exclusisti, iube vt resurgat adolescens iste, vt tanti facti potentiâ, & fides in te credentium roboretur, & non credentium corda subdantur quem cum Patre, & Spiritu sancto regnantem, & dominantem confitemur, in sæcula sęculorum. Respondentibus fidelibus qui aderant Amen, quasi à somno adolescens surgens à feretro, & clarâ voce cunctis miraculi nouitate perculsis cœpit clamare. Verè magnus est Deus Christianorum, quem prædicat seruus eius Iulianus. Ad patrem quoque ait. Verè nunc vsque à vero Deo errauimus: nam dij quos colimus profectò dæmonia sunt. Vidi enim eos in inferno, & vidi quia non erat eis requies à tormentis. At verò cunctorum clamore in cœlum sublato Christus ab omnibus magnificatur, Christus verus Deus prædicatur, & famulus eius Iulianus renitens, multúmque reluctans ab omnibus adoratur. Et hic igitur per prædicationem Deo digni Pontificis copiosa multitudo rationabilium piscium, sagenâ fidei collectâ, & ad veræ credulitatis solidum littus à profundis errorum tenebris educta est. Iam tunc ergo velut diuini exercitus signifer, aliis præcedentibus, aliis sequentibus, vitalia fidei serens semina, ad prædium cui vocabulum est Proiliacus diuertit. Ingruentibus autem noctis tenebris hospitium sibi perquiri iubet. At verò in ipso aduentus eius articulo puer paruulus possessoris supradicti fundi filius, ingrauescente quâ

I

vexabatur molestiâ defunctus est. Quod cùm viro Dei nunciatũ fuisset; alibi diuertere noluit, sed secundũ quod Salomõ ait: Melius est ire ad domũ luctus, quàm ad domum conuiuij, gaudium salutis laturus, lugentibus ad domum in qua infantulus iacebat, accessit, & in quadam eius secreta parte mansionem accepit. Iubet ergo ante se inferri defuncti corpus, & patre, & matre, cunctisque remotis arbitris paucis duntaxat sanctitatis suæ comitibus ibidem remanentibus, oraturus se in pauimentum prosternit, noctémq; peruigilem ducens tantâ instantiâ precum cœli pulsauit secretum, vt pariter surgerent, & Pontifex à puluere, & infans à morte. Cùm ergo iam aurora fugaces à cœlo pelleret tædas, intrat pater cum matre, & multa vicinorum frequentia inueniunt sospitem, quem defunctum intulerant, & tanti operis nouitate perculsi, cœlum clamore quatiunt, & versis vocibus iterùm per gaudia plangũt. Continuo ergo fidei Christianæ colla supponunt, & infantem quem hæredem terrenorum bonorum optauerant, cœlestibus disciplinis imbuendum cum tota hæreditate supradictæ possessionis beatissimo magistro committunt. Excitati famâ facti accurrunt vicini, & alij quidem prosequũtur: alij cellulam in qua vir Dei iacuerat irrumpunt, locum vbi sancti steterunt pedes, crebris amplectuntur osculis, & vt benedictionis eius compotes fierent, certatim præcedentis vestigia legunt. Porrò beatissimus ad preces sequentium conuersus, eleuatâ manu cunctos benedixit, & omnes qui inter eos aliquo laborabant incommodo, absque alicuius moræ interuentione pristinæ restituit sanitati. Procedens inde beatissimus cùm iam propinquaret vico, qui dicitur Ruiliacus, qui positus est super fluuium Ledam obuios habuit nuncios primarij eiusdem vici, vt quantocyùs venire dignaretur, quia vnica filia illi erat, quam immundus spiritus inuadens atrociter vexabat. Cúmque peruenisset ad vicum exhibuerunt ei furentem puellam, & sacris eius vestigiis prouoluti, precabantur misericordiam. Spiritus autem nequam S. viri non sustinens præsentiam, ad primum eius imperium, vas quod iniusto iure vindicabat relinquens effugit, & puellam in medio stupentium, & Christi potentiam laudantium reliquit sanam. Sicque factum est, vt per vnius puellæ salutem corpoream,

cuncti vici eius habitatores ad veram animarum suarum peruenirent medelam: nam omnes idolorum vanis abrenunciantes figmentis, & renati fonte baptismatis, facti sunt participes Christianæ adoptionis. Eumdem ergo vicum cum cunctis ad eum pertinentibus prædictus possessor sancto Pontifici humiliter largitur, & vt ibi Ecclesiam construere deberet deuotissimè precatur, quod Præsul benignus gratissimè compleuit, ibique multum populum per sanctæ prædicationis ministerium Domino consignauit. Nec tamen credendum est hunc tanti præconij absque laboris certamine, & impugnatoris antiqui insidiis, tot, & talia perficere potuisse, cùm manifestissimè clamet Apostolus. Omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patiuntur. Quamuis enim magnitudo virtutum, quas per eum Christus operatur, si quid aduersi è mundo emergebat, reconderet, is tamen qui ad ipsum mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum, quasi aliquid suorum reperturus venire præsumpserat, contra hunc quoque qui illius summi capitis membrum erat, machinas diuersarum tentationum, quasi aduersum validissimum murum callidus impugnator admouere non desinebat. Vt enim nouus agricola opacam syluam ingressus, nūc ferro, nunc igne vtitur, quo iaciendis seminibus tellus eatenùs sterilis præparetur: sic Iulianus Cenomanicum penetrans solum veteres quercus annosásque fagos, id est vetustæ gentilitatis sterilia, vanáque figmenta euertere missus, & ferro correctionis vsus est, quo peccata delinquentium feriret, & igne adustionis quo iam emundatum solum ad promerenda diuini amoris semina aptum exhiberet. Sed reliquiæ paganorum, quæ quasi fragmina tabularum, de naufragio errorum euaserant, indignè ferentes laudem nominis Christi dilatari, & simulachrorum suorum portenta pessundari, vnanimiter insurgunt contra Sanctum, maleficum clamantes, qui sub nomine pietatis, vanis præstigiis euerteret corda populorum, ipsósque videntium oculos frustraretur, falsa pro veris assereret, hominem crucifixum Deum affirmaret, deorum immortaliū, quos Romanus orbis à sæculo colit, culturam erroneus euacuaret, viuum exuri debere, vt eius interitus exemplo aliquis impostor, & temerarius terreretur, ne contra rempublicam,

timendorúmque numinum reuerentiam, quibus orbis constat, & alitur, quoquo modo vlteriùs oblatrare niteretur. In his Iulianus nullo modo territus, verùm ad pugnam contra diabolum alacriùs accinctus, ad locum iter accelerat, quo caput erroris eorum malè suasa religio detinebat. Nam in vico cui Arcanas vocabulum est, templum erat, & in eo Iouis simulachrum, falsorúmqne innumera portenta deorum, quæ vario errore delusa gentilitas priscis temporibus erexerat ad suam, & sequentium perniciem populorum. Ad quæ destruenda, cùm Iulianus loricâ fidei indutus, galeâ salutis protectus, gladio spiritus sancti præcinctus præparatur, è diuerso rusticana & ignobilis manus pro defensione deorum, qui sibi auxilij opem ferre nequibant obstinatissimè resistens armatur. Sed Iulianus imperterritus, inrer frementes, & garrientes insanientium voces templum ingressus, inuocato veri Dei Iesu Christi nomine, simulachrum enorme, ipsóque visu terribile in cinerem resoluit, solâ sanctæ iussionis auctoritate. Vt verò insani populi cognoscerent, cui eatenùs culturam Deitatis exhibuissent, euerso simulachro immanissimus erūpit draco, qui facto impetu contra proprios cultores, flatu sulphureo, & atrocis verbere caudæ, deuotorum sibi phalanges in mortem cœpit ardenter vrgere. At illi eius contra Deum suum petunt auxilium, quem paulò antè vociferantes maleficum, totis nisibus elaborabant vt eum incenderent viuum. Porrò Iulianus verùs Dei athleta, eleuatâ cum signo Crucis in sublime dexterâ, draconi imperat vt nullum ampliùs lædens concitus fugiat, & loca humanâ culturâ prorsùs carentia petat. Ad cuius imperium draco sæuissimus effugit viuacissimus, & in eos ius amisit lædendi, quibus vlteriùs fraudem exercere permissus non est seducendi. Tunc vniuersi cum gaudio, iam sunt socij in euertendo falsitatis fano; ac demùm sancto renati lauacro, per manus sancti Pontificis dogmate beatificantur Christiano. Cuius facti fama velox per omnes totius prouinciæ percurrens populos, ita pristini erroris cunctas abrasit nebulas, vt vix aliquis inueniretur, qui Iesum Christum Deum, & Dominum non confiteretur. Huius igitur tam celebris facti nuntio Defensor vir gloriosus, cuius memoriam suprà fecimus, ad se per-

lato, ingenti affectus gaudio benedixit Dominum, & festinus accedens ad beatum virum, suppliciter petebat vt ad domum eius accedere dignaretur, vt pro triumphati hostis victoria largitori omnium bonorum Christo communiter gratias referentes, casto, & sancto simul participarentur conuiuio. Cuius petitionem vir beatus non renuens, quippe quem merito religionis vera sibi nexuerat charitas, vt eius desiderio satisfaceret properabat. Sed cùm iter carperent inueniunt puerum in parte noualis, ab ingenti serpente pedes, ac brachia corpusque totum feris vipereis colligatum. Perterritis autem omnibus qui aderant vir, Dei propiùs accedens ait: Domine Iesu Christe qui humanum genus à paradisi gloria per serpentem deiectum, per crucis tuæ reparasti vexillum, tu libera hanc creaturam tuam ab hoc quo tenetur angue, vt & serpens intereat, & per te puer incolumis euadens, cognoscere præsentes faciat, quia tu es liberator, & protector omnium sperantium in te. Cúmque talia perorasset vir Deo plenus, & qui aderant dixissent Amen, serpens crepuit medius, & cunctis Deum laudantibus puer euasit sanus. Interea cùm ad domum Principis peruenisset summo excipitur gaudio, fitque cócursus omnis ætatis, omnisque sexus ad videndum tantum virum, cuius nomen, famáque virtutum tanto iubare coruscaret, vt etiam quosque remotissimos eum vidédi desiderio succendere posset. Subsequuntur euestigio sanctum Episcopum energumeni duo, salutis remedium flagitantes ab eo. At ille inuocato nomine Christi, & inimicum fugauit, & eos verbo prædicationis illuminatos proprio restituit creatori. Diem ergo illam fœlici exornantes lætitiâ inter ipsa sacræ mensæ conuiuia, totus sermo illius erat de Christi gloria, de interitu sathanæ, de his quoque quæ pertinent ad veram Deum timentium animarum curam. Post gloriosus ille vir omni supellectilis suæ copiâ sancto viro exhibitâ supplex exorat, vt cuncta benigne suscipiens ad quoscumque placuerit vsus retentet. Sed vir beatissimus nihil horum suscipiens benedictione super eum tradita, omníque domo eius in fide Christi corroboratâ festinabat ad propria. Cúmque iam portam à Deo sibi commendatæ subiret vrbis, hi qui in carcerali custodia, ne-

xibusque duris mancipati erant, ingenti clamore sanctum virum vt sui misereretur exorant. At ille benignissimus qui totus semper in Domino visceribus pietatis affluebat, ad eos quibus id officij commissum erat supplex accessit, precaturque humiliter vt eos quos iniquitas propria fecerat reos, aduentus sui gratia redderet absolutos, sed vecordes, neque reuerentia Pontificis præsentis, neque prædicabile tanti viri meritum permouit, vt facerent quæ sanctus non modò imperauerat, sed etiam voce supplici postularat. Porrò ille spretus à perfidis, Ecclesiam intrauit, gratias Christo pro acquisitis sibi animabus reddidit, deinde propriæ domus hospitio sese recepit. Cúmque ei appositus esset panis discumbere noluit, sed tacitus & gemens misericordiam Domini implorare cœpit. Tunc verò secũdùm serui Dei votum Angelico ministerio ostia carceris aperta sunt, & cunctorum cathenæ confractæ sunt, & hi qui in carceralibus priuatisque tenebris residebant, absque humano auxilio ad communem diei lucem egressi sunt. Per medium ergo ciuitatis nemine prohibente absque vinculorum onere sancti viri conspectibus se se obtulere. At ille gaudens in Domino iam lætus cibum accepit, & quos merito soluerat sancti etiam conuiuij participatione donat. Nec fuit qui absolutos repeteret, cùm manifestissimè hoc diuinę virtutis potentia, nõ humanũ auxilium sancto Antitisti contulisset. Plantatâ igitur in pago Cenomanico diuini cultus vineâ, abrasisque de ea Idolorum errorumque omnium tribulis, tempus imminebat quo beatus ille agricola fructum pij laboris à Domino suo percepturus ab istis præsentis vitæ laqueis ad æterna fœlix deberet conscendere regna. Itaque propinquante vocationis suæ die, secedit ad vicum, in quo nunc beati Martialis Ecclesia sita est, in qua cùm non pluribus degeret diebus, & instanter cœlestis vitæ dulcedinem suis propinaret auditoribus, leui tactus incommodo, lætus, & alacer præstolabatur horam, qua laborum certaminumque suorum repositam à iusto iudice reciperet coronam. Et quia nauis sanctæ Ecclesiæ absque gubernatore per pelagus huius mundi non poterat enauigare, sedem sibi à Deo commendatam cum communi Cleri, plebisque Concilio sancto, delegauit

Turibio, quem adiutorem, & socium in sanctæ prædicationis catenus habuerat officio. Idem enim Turibius Presbyterij officio gloriosus, cum sancto Panacio Diacono ad reuelandam Cenomanensibus Christi gratiam, vt ab antiquis suscepimus, comes & adiutor Sancto Iuliano à Romanæ vrbis Antitiste destinatus est. Gloriosissimus igitur pastor communi omnium allectus consensu, fratres filiósque suos euocat, ac consignato successore oculis, ac manibus in cœlum eleuatis, diutissimè gratias agens, & collaudans Dominum, ouesque quas Christo acquisiuerat eidem summo Pontifici commendans, lætus & alacer beatis meritis ditatum cœlo reddidit spiritum. Quo cælestia Regna petente ille eius merito fidei, & bonorũ actuum dilectissimus Defensor vir gloriosus præsens non erat, sed eius sanctissimi obitus tali ordine cognouit diem. Sedente eo ad mensam aperti sunt intellectuales oculi eius, & ecce videt beatissimum Iulianum sacerdotali infula comptum cum tribus Diaconibus suis, & tribus cereis venientem ad se, qui cereos, quos portabant posuerunt super mensam ante eum, & abierunt. Dixit ergo prædictus Defensor ad consedentes: Videtis gloriam quam ego video? Illi nihil se videre testati sunt. At ille dixit: Nunquid non hîc vidistis patrem nostrum Iulianum, qui tot nobis bona ostendit, tot miraculis lætificauit? Ecce enim cum tribus Diaconibus suis, & tribus cereis huc ante me venit, & lætissimo vultu subridens benedixit nos, relictisque cereis abscessit. Vnde pro certo scio quia migrauit à sæculo, & nobis quos præsentiâ corporali dereliquit, beneficia pietatis suæ viuens in Christo impendere numquam cessauit. Surgamus ergo, & ad sepeliendum magistrum nostrum quantocyùs properemus, & vt eum mereamur adiutorem habere in cœlis, quem salutis doctorem habuimus in terris. Hæc eo dicente omnes admirati sunt, pariterque surgentes ad exequias sancti festinantes accurrunt. Iam verò de Martino illo Pontificum speculo legitur, impossibile dictu est, quanta hominum multitudo conuenerit. Cuncti ex agris, & vicis, nonnulli etiam ex vicinis affuere castellis. Hinc psalmicines clericorum phalanges, illinc sacrarum virginum præ parsi-

monia turmæ pallentes, hinc plebs vrbana nobilibus conferta viris, illinc manus agrestes sanctis beati viri famulantur exequiis. Sed ne quis fortè moueatur quòd Iulianum Martino æquiparauerim, qui hoc dicis, si rectè percenseas, penè similia ab vtroque potes videre completa. Martinus adhuc catechumenus algentem pauperem diuisa chlamide vestiuit, Iulianus fide robustus tot millia, veterem hominem exuta, fidei veste contexit. Martinus primò solitariam delegit vitam, vt Christi dulcedine singulariter frueretur: Iulianus apertam expetiit pugnam, vt multorum animas lucraretur. Martinus ad Episcopatum à Turonensibus raptus est. Iulianus Cenomanensibus à Deo Pontifex, quinimò & Apostolus destinatus est. Martinus in virtute Trinitatis Deificæ trium mortuorum est magnificus suscitator. Iulianus totidem ad vitam reuocans mortuos, toties mortis extitit victor. Martini corpus hi qui ductu eius mundum vicerant, prosequuntur. Iuliani exequiis hi, qui eo duce cœlestia iam tenebant, famulantur. Quid plura, vni Regi militarunt, vni Domino seruierunt, vnò spiritu sanctificati sunt, super petram vnius fidei exaltati sunt. Restat ergo vt par sit eis honor & gloria, quos virtutis actio pares in Christi constituit disciplina. Hoc igitur beati viri corpus cùm ad vrbem propriam deportaretur, ventum est ad transitum fluuij cui Sarta vocabulum est. Ad declarandum ergo quanti meriti esset, cuius reliquiæ ferebantur, equi qui lecticam sanctarum gestabant exuuiarum cæteris vix enatantibus inter vndas validas, & profundæ cæcitatis gurgites, nec genibus aquâ tactis littus alterum cunctis mirantibus subierunt. Cùm verò tota vrbs festinaret in occursum pij pastoris: quædam mulier paruulum filium caldariæ imposuerat, suppositóque igne membra infantuli aqua tepenti lauabat, quæ voce psallentium attonita officium cœptum deserit, oblitáq; infantuli cum cęteris obuiam sancto occurrit. Igitur dũ ea veneratissimis moratur exequiis, ignis infanti suppositus valescens vas ferreum in quo paruulus positus erat obambit, immensos calores efficit, & efferuẽtes in seipsum refundit vapores. Quis putaret in tali discrimine viuere posse? Porrò beata mater cùm iam sanctæ reliquiæ domui suæ propinquassent, domesticósque lares cognouisset, recordata pignoris sui pauida accurrit,

currit, æstimans inter vapores igniferos liquefactum, & tenera pueri distabuisse membra, sed ardore fidei quæ illam sancto corpori exire obuiàm compulit, restincta est ardentis flamma camini: subito terrore perculsa filium non amouet, donec grandi clamore multos compelleret adunari. Beati porrò viri corpus, qui humanę conditionis lege solutum verè se in Christo viuere demonstrat frequentissimâ consolatione viuentiũ; nam ibi recipit cæcitas visum, debilitas gressum, effugantur dæmonia, donantur cum fide petentibus congrua vota, præstante Domino Iesu Christo; cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

AD Caput vltimum. Verba actorum Saturnini quæ tardum hunc Religionis in Galliis progressum demonstrant, hæc sunt ex Manuscriptis Codicibus, quos minimè sequutus est Surius.

TEMPORE illo quo post corporeum Domini & Saluatoris nostri aduentum, exortus in tenebris sol ipse iustitiæ, splendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat. Quia sensim & gradatim in omnem terrã Euangeliorum sonus exiuerat, tardóque processu in regionibus nostris Apostolorum prædicatio coruscauit. Cùm raræ aliquibus ciuitatibus Ecclesiæ paucorum Christianorum deuotione consurgerent, & crebra miserabili errore gentilium erroribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent. Ante annos satis plurimos, id est sub Decio Germanico, & Grato Coss. sicut fœlici recordatione tenetur, primum & summum Christi Tolosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem.

ATQVE hactenùs antiquæ circa primos Ecclesiæ Gallicanę Episcopos traditionis monumenta: quæ vt diuersis ætatibus scripta sunt, ita ad veritatem vel propiùs accedunt, vel ab ea longiùs aberrant; nisi forte naris emunctioris scriptores, sequiom

ri etiam tempore vulgi opinionem examinantes, veritatem accuratiùs indagauerint. In qua tamen stabilienda, cæteris Historiæ & literarum adiumentis destituti, defecerunt. Ita Lethaldus scriptor vitæ Iuliani Cenomanensis, missionem Petri profligat, at in posteriori missione narrandâ cuncta permiscet: ac Clericus ille in Concilio Lemouicensi Dionysij & Fronti ætatem indicat, at in Martiali frustrà laborat. Porrò Fronti & Georgij vitarum scriptor, nec sibi constat, nec cohærentia scribit: quid enim Petrocoriis cum camelis? quid Petri ætati, cum Monachorum in Ægypto multitudine? quid longæ illi Frontonis peregrinationi, Aurelio & Arcadio comitibus, & Duce Lotharingo, cum Neronis temporibus? quid tot Ecclesiis constructis, dotatis, solemnibus cùm exequiarum tum aliorum rituum, chirothecis etiam Pontificis, cum nascente Ecclesia? Memmij, Clementis, & Treuerensium vitæ, licèt tot erroribus non scateant, minimè tamen ab iis liberæ sunt; Illa enim Petri missio in illis constans, & confirmata Papæ supremâ potestate, quæ succedentibus demùm temporibus explicata est, fluxam earum fidem ostendit. Adde mortuos pari modo ab his Petri legatis, tum baculo, tum veste suscitatos. Vnam certiorem Dionysij passionem dedimus, ante traditionem recentem, & Dagoberti ætatem conscriptam, post illam incipiente traditione circa octauum sæculum parùm immutatam, at tandem ab Hilduino perturbatam, & variis narrationibus auctam. Ergo dicet aliquis, quâ ratione tot incertis & fabulosis

monumentis tuam historiam infarcis? Hâc nimirùm vt quæ ex certioribus monumentis creditur emanasse traditio, suis in originibus conspecta, tandem agnoscatur, & natiuo dedecore horrida, insano animos eorum amore liberet, qui auditâ nec visâ ejus pulchritudine decepti, eam diù multúmque coluerunt.



AD LIBRVM SECVNDVM.

AD Caput IV. & XII. Thyrsi Andochij & Benigni acta manuscripta, cum Andeoli actis hâc in re conueniunt, vt Irenæum iam cæsum de mitendis in Galliam discipulis Polycarpum monuisse narrent. Quod tamen Polycarpi & Irenæi cædis tempora falsissimum esse demonstrant. In reliquis stare possunt hæc acta Andeoli, quæ sic in MS.

Passio S. Andeoli Subdiaconi & Martyris.

IGITVR posteaquàm gloriosus Irenæus Episcopus fidelissimum pro Christo martyrium consummans migrauit ad cœlum, medio noctis ferè tempore vultu terribili, vmbrâ pacificâ, & cum multitudine Martyrum ad sanctum Polycarpum Smyrnensis vrbis Episcopum, à quo doctus fuerat veniens ait ei: Agnosce filium quem erudisti pater, cognosce sancte Sacerdos Irenæum tibi fuisse ministrum. Ecce accepimus promissionem quam nobis promisit Rex cœlorum, & terræ factor, nihil nobis de promissione sua fraudauit redemptor noster. Nunc ergo pater audi verba filij tui, & transmitte duos Sacerdotes .i. Benignum & Andochium, & Thyrsum Leuitam Galliarum vrbibus prædicare, quos nosti virtutibus & sapientiâ plenos, quoniam oportet eos illic per martyrij

gloriam instigante diabolo triumphare. Sed quia in illis regionibus paucitas Christianorum est, præcipe vt baptismatis gratiam populis præbeant. Notum enim tibi sit sanctissime Pater, quia gens illa inspirante Domino copiosè desiderat ad viam veritatis venire, ac deserere idola, & seruire Christo. Et cùm hæc sancto suo sermone locutus fuisset, rediens ad Martyres discessit ab eo. Manè autem facto sanctus Polycarpus suos alloquitur fratres, referens eis quæ viderat, & vt fœliciter aggrediantur, hortatur simul & monet. Tunc sancti Sacerdotes Benignus, & Andochius vnà cum Thyrso Diacono hæc audientes gaudio magno repleti sunt, & præceptum Christi tam magnum cum omni alacritate suscipientes, ire quo iubebantur disponunt fiducialiter. Adueniente verò nocte, vigiliis & hymnis Domino vacantes, & pro tanta visione gratias agentes, factâ luce valedicentes sanctis fratribus iter arripere parant. Sanctus autem Polycarpus cum lachrymis & gaudio deducens eos vsque ad portum vbi nauiculam ascensuri erant cum ipsis descendit, & valedicens eis ait illis, Angelus Domini comitetur vobiscum, Spiritus sanctus sit in visceribus vestris. Magna vos in cœlis gloria expectat, ô piissimi fratres; vos ergo verbum Domini gentibus prædicate, aduentum Christi omnibus annunciate. Videte itaque ne in aliquo vereamini. Multos enim habetis adiutores, atque intercessores, qui pro vobis Dominum interpellare non cessant: & hæc dicens; dansque eis pacem reuersus est. Illi verò ascendentes nauiculam diuino fauente auxilio in Corsicam sunt delati, statímque tantæ tempestatis affuerunt procellæ, vt omnes nautæ dicerent se non solùm visu, sed nec auditu tales potuisse comperire.

Tunc sancta inter eos erat ista collocutio. Forsitan non omnia quæ ad diuinum pertinent ministerium exhibemus, aut in his locis nos vult maiestatis clementia prædicare, sed quantum cognoscimus omnes qui in his locis versantur Christiani manifestissimi sunt. Tunc sanctus Thyrsus taliter suos collegas alloquitur dicens. Sanctissimi viri vacemus hâc nocte orationi, & studeamus psalmodiæ

forſitam Dominus Ieſus Chriſtus reuelare dignabitur ſeruis ſuis qua ex cauſa tempeſtas inſidiatur nobis; & videtur eſſe contraria; feceruntque ita, & illuceſcente die paululum declinauerunt capita ſua ſomno. Tunc ſancto Benigno beatiſſimus Irenæus apparuit dicens ei. Chariſſimè frater in patria ad quam dirigimini paucitas videtur eſſe Epiſcoporum, nec facilè inuenietis qui vobis ad diuinum miniſterium debeant ordinare ſolatium: proinde dignum eſt vt vobiſcum ducatis omne officium vt non vna aut duæ ciuitates de veſtris corporibus exornentur, ſed multa loca de veſtra præſentia poſſint illuminari. Suſtinete ergo hic, donec frater noſter Andeolus Subdiaconus veſtro ſubiungatur itineri. Surgens autem à ſomno beatiſſimus Benignus retulit ſociis, illi verò Dominum glorificantes atque gaudentes tribus ſuſtinuerunt diebus. Tertiâ verò nocte veniens ad Sanctum Policarpum Beatiſſimus Irenæus eo ſchemate ſicut eſt anteà dixit ad eum. Pater ſancte, adhuc nobis videtur vt dirigas Andeolum Subdiaconum poſt fratres noſtros, vt in vnum iuncti & ſimul pergentes Euangeliſtarum in eis videatur impleri numerus. Manè autem facto beatus Polycarpus quæ viderat ſancto Andeolo narrauit. Ille verò hæc audiens, exultans, & gaudens dixit ad ſanctum Polycarpum, Pater bone, ne tardaueris implere Domini iuſſionem, ſed quæ tibi præcepta ſunt, vt bonus paſtor fiducialiter accelera adimplere, vt cùm ante Chriſti tribunal veneris non ſolùm de tuis meritis, ſed & de noſtris laboribus glorieris. Hæc autem beato Andeolo dicente vtrique deſcenderunt ad portum, vbi eidem nauicula diuinitùs parabatur. Tunc Sanctus Polycarpus talibus eum allocutus eſt verbis dicens. Dulciſsime frater, vbicumque ieritis verbum Dei intrepidè, & inceſſabiliter prædicate, aduentum Chriſti omnibus annuntiate. O quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium regnum Dei. Videte ergo ne vos longi itineris frangat auſteritas, ne regionum longinquitate turbemini, aut parentum deſideriis coaceſcat cor veſtrum: Non vos vllæ minæ, non iniquiſſimi Cæſaris conturbet impietas: ſit in cordibus veſtris beati Pauli Apoſtoli ſermo, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam

quæ reuelabitur nobis, & valedicens cum lachrymis dixit eis: paradisi gloria perfruamini, & ante tribunal Christi reportantes fructum laboris vestri vos ipse excipiat; & in illa felicium iustorúmq; regione associet athletis suis vbi lux permanet, & vita regnat. Et ascendens Beatus Andeolus in nauiculam tertiâ die fæliciter Sanctorum Martyrum affuit præsentiæ, qui pariter gaudentes, ac Domino vota soluentes ascendunt nauim properare cupientes ad Galliam, vbi fuerant destinati. Gratiâ autem Domini fauente celeriter eos ad Massiliam vnda maris aduexit. Egressi verò ad terram habito consilio ad Lugdunensem properant vrbem. Cúmque venissent reperiunt Sanctum Zachariam presbyterum, qui ob persecutionis procellam latenter in crypta inter Martyrum sepulchra latitabat: cum quo verbum Domini meditantes, atque in spiritu sancto gaudentes, Dominum pariter precabantur vt eorum dirigeret gressus: Et dum ibidem morarentur, Angelo Domini aduenientे visum est sanctis fratribus vt beatum Andeolum ad Carpentoratensem vrbem prædicationis gratiâ destinarent. Tunc valedicentes sibi ac flentes orauerunt sic. Respice Domine Iesu Christe seruos tuos in hoc loco nunc peregrinos, & præsta vt quos nunc facit absentia corporalis esse diuisos, in conspectu maiestatis tuæ reportantes fructus iustitiæ facias adunatos. Tunc beatissimi sacerdotes Benignus & Andochius vnâ cum Thyrso Diacono ad Augustudunẽsem vrbem properant festinanter. Quæ autem miro modo de ipsis acta fuerint, gesta passionis eorum manifestè declarant. Sanctus vero Andelous ad vrbem Carpentoracensem festinans, & per aggerem publicum iter agens, vsque ad Rhodanum fluuium peruenit, ibique inuentis negotiatoribus cum ipsis nauali euectione vsque ad locum qui Bergoïate vocatur descendit, ibidemque substitit, quia diei noctis succedebat initium, Manè volens carpere viam per quam ad locum vbi destinatus fuerat posset accedere. Interim nocte illa non cessauit hospites suos verbo veritatis imbuere, & aduentum Domini incessanter prædicare. Manè autem facto non solùm incolæ loci illius, sed etiam vicini, famâ Sancti huius citò currente, cognoscentes quæ ab eo salubriter dicebantur ad au-

diendum Dei hominem auidè concurrebant, ac verbum veritatis ab eodem cum omni exultatione suscipientes, Domino quem cognoscere merebantur, vota vouebant. Dum hæc itaque agerentur iniquissimus Cæsar Seuerus ad vrbem Valentiam properans, vidit in eodem loco ad audiendum Dei hominem turbas hominum conuenire, & interrogans quam ob causam ibidem tam deuotè vtriusque sexus concurreret multitudo, cognouit Beatum Andeolum Dominum Iesum Christum Dei Partis filium voce publicâ, & aduentum eius in quo iudicaturus est viuos & mortuos, omnibus annuntiare. Sed inuidus diabolus, tam præclaram Christi lucernam extinguere conatus est. Denique Seuerus statim hoc verbo audito irâ cum demonio repletus accersitum eum ad se adduci præcepit, atque ipse cum omni multitudine quæ secum erat ad Sanctum Dei interficiendum festinus aduenit, & descendens de curru suo apprehendit lapidem manu sua, tantáque eum inuasit furoris insania, vt ante vllam interrogationem Dei hominem in capite crudeliter feriret. Quo facto statim manus illius arefacta est. Tunc nequissimus Cæsar cum iracundia & furore, dolore constrictus dixit ad eum: Dic mihi seductor, vnde es? aut quod tibi est nomen? vel quare decipis homines benè viuentes? & nescio ad quam perfidam sectam vis declinare? Cúmque Beatus Andeoleus teneret silentium conuersus ille ad suos, dixit eis: Credite mihi quia magnus est iste: nam ex quo de lapide eum attigi, brachium meum torqueri non cessat: Et aspiciens ad Sanctum Dei dixit ad ipsum. Dic nobis, maledicte, vnde es? vel quæ te causa hac venire fecit? Sanctus Andeolus cum omni patientia ac simplicitate respondit, de partibus Orientis à Sancto Polycarpo in istam prouinciam cum Dominis & Patribus meis missus sum, vt verbum Dei gentibus prædicemus, & aduentum Iesu Christi Dei ac Domini nostri ignorantibus annuntiemus. Et recedentes miseri homines ab idolis manufactis, ac deserentes insanam culturam, & imagines quas diabolus ad perditionem animarum adorari persuadet, illum cognoscant esse Deum qui in cœlis est, qui nobis omnibus spiritum viuendi & animam contulit. Nomen verò meum si scire vis, Andeolus vocor

Tunc Seuerus admirans super ingentem patientiam eius dixit ad eum. Ergo propter hoc tantùm in istam prouinciam venisti vt diis nostris contumeliam faceres, & sequentes te ad tormenta patienda tibi associares. Certè in regionibus istis vana nescio quæ & superflua prædicando, vitam malè finies. Sed audi consilium meum, dimitte hanc sectam nuper à Christo nescio quo adinuentam, qui ista prædicando crucifixus asseritur: tu verò si vis, primus poteris esse in palatio meo, & locupletem te ac splendidum, si mihi consenseris faciam. Ceterùm si in his quæ agis permanere volueris, diuersis tormentis faciam te vltimum vitæ tuæ finire diem. Et conuersus iniquissimus Iudex, interim, dixit ei, dic mihi Deum quem colis si est tibi acquestus tum auri & argenti dum ista prædicas? Sanctus Andeolus respondit. Diuitiæ nostræ non in auro atque argento, sed in Christi gratia, aut eius regno consistunt. Tunc Seuerus quasi blando sermone dixit ei. Crede mihi quia si volueris ad Deos nostros conuerti & cum humilitate ipsis sacrificium offerre, ditiorem te & honoratiorem cæteris ad stantibus faciam: Nam dij nostri misericordes sunt: Cùm enim vident contemptores suos ad se cum humilitate reuerti, statim omnes culpas & excessus remittunt. Sanctus Andeolus respondit. Ego in ista prouintia non aurum & argentum, sed animas hominum acquirere veni, quia rationabilius est illum coli qui cœlos & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, fecit, quàm idola muta & surda, quæ tu colendo proiiciendus es in ignem inextinguibilem, qui paratus est diabolo, & vobis qui consentitis ei. Infælicissime hominum si tu colendo res vanas animam tuam occidisti, vel hunc simplicem populum non subuertas, sed permitte eum ad viam veritatis venire. Si velles miser cognoscere Creatorem tuum diuitias istas quas per tempus habes in æternum poteras possidere: Sic enim promisit Dominus & saluator noster, quia quæ homo dereliquerit in hoc sæculo, & secutus eum fuerit, cùm vita æterna centuplum accipiet in futuro de thesauris eius. Intellige infœlix quia hæc quæ colis opera manuum hominum sunt, tuâ autem ordinatione ad subuersionem hominum facta: melius verò faceres si omnium elementorum factorem cognoscens

gnoſcens, ad lumen de tenebris peruenires, & non tot millia hominum tecum deduceres in perditionem: Nam & diuitiæ tuæ quas mihi promittis tecum erunt inter tenebras exteriores vbi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iratus Seuerus iuſſit eum inuerſis manibus ad trocleas extendi, ita vt brachia illius arrecta viderentur, atque ſpinoſis vectibus eum crudeliter cœdi præcepit, ſic verò vt quinquaginta fuſtes ad inſtar brachiorum à tergo illius frangerentur. Ille autem extenſus dum cæderetur non ceſſabat Domino gratias agere, dicens. Gloria & laus tibi Domine Ieſu Chriſte, quia iam initia paſsionis in me miſero & indigno dignaris oſtendere. Præſta Rex gloriæ vt in his perſeuerans cum victrici corona ante Maieſtatem tuam merear peruenire; ſancte Polycarpe Magiſter meus, & amice Chriſti, gemma ſplendida, laus & corona mea, ora pro me ſeruo tuo, vt tolerantiâ roboratus cũ venerim ante tribunal Chriſti de tua doctrina, & mea in Chriſto victoria habeas cum gaudio mecum triumphare. Cùm autem omnes illi fuſtes à tergo ipſius fuiſſent confracti, Seuerus dixit miniſtris ſuis, Soluite eum, & quærite locum tenebroſum & ſquallidum, vbi nullum lumen appareat, ibique eum recludite diligenter, ne fortè aliqui de aſtantibus colloquantur cum eo, & perſuadeat aliquos ad ſuam vanam perfidiam declinare. Tunc vnus de militibus Cerecius nomine dixit ad Cæſarem. Domine, eſt in alia ripa fluuij cœptum fieri templum inuictiſſimi Martis, ſub ipſo eſt crypta cõſtructa, in qua ſi iubet magnitudo tua, tutiſſimè poterit iſte recludi; Seuerus dixit: Optimam rem dixiſti. Conuenit enim vtilitati noſtræ vt non in tanta conſtipatione populi maneat, ne verbis ſuis ad ſuperſtitioſam ſectam quam prædicat aliquos ingenio ſuo perſuadeat, ſed & nos dum inimicum noſtrorum Deorum ipſis vinctum præſentare videmur, gratiam eorum maximam poſſumus promereri. Iubente ergo Seuero ductus eſt homo Dei, & in crypta dęmonibus dedita impiè truſus. Vigilãtibus verò ante cryptã cuſtodibus medio fere noctis tempore viderunt lumen immenſum deintus, & multitudinem Sanctorum cum beato Martyre colloquentem audierunt. Hortabantur autem eum dicentes ei. Dulciſſime frater, forti animo eſto, ne timeas:

craftinâ enim die accipies coronam martyrij. Sufcipiet verò ille te pro cuius nomine gloriofum certamen intrepidè fufcepifti. Securus ergo efto de promiffione Domini, quia te ftatuet ante confpectum fuum, & fulgebis in regno eius vt Sol, & poffidebis habitaculum perenne, diuitiafque quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis afcenderunt. Recordare ergo Domini noftri mandata, quia multa nos pati propter nomen fuum promifit: fed qui perfeuerauerit vfque in finem, hic faluus erit. Orantibus verò eis, ac difcedere cupientibus valedicẽtes dixerunt ad Martyrem Chrifti. Ita frater cœptum curfum percurre, vt te Chriftus cum gloria Martyrij, & triumphali corona intra portas paradifi excipiat, & ad portum perducat, vbi naufragium nullum timetur, & vbi periclitationis nullus accedit cafus. Sanctus verò Andeolus perfufus lachrymis precabatur eos dicens. Suftinete obfecro adhuc, fanctifsimi viri, quia ex quo ad me loqui cœpiftis, & vulnera carnis meæ fanata funt, & confolationis maximus datus eft locus. Orate itaque domini mei, vt robur mentis mihi accrefcat, vt fubfequentibus exemplum dignæ relinquatur prouocationis, & gentibus, fi in me tolerantiam viderint, credendi aperiatur aditus. Et his dictis hymnum Domino modulata fuauitate canentes difcefferunt ab eo. Hæc ergo quæ in crypta gefta funt cuftodum relatione cognouimus. Manè autem facto producitur fanctus Martyr à cuftodibus foras, & dum mora fieret Rhodanum fluuium tranfeundi, ftans beatus Martyr fuper ripam fluminis oculis eleuatis ad cœlum, & mente in cõfpectu Domini confternatus orauit ad Dominum, fic dicens. Domine Iefu Chrifte, quia te toto corde confiteor, & à te auxilium contra inimicum veritatis expeto, in ifta hac die fufcipe fpritum meum, & in ifta fluuij ripa iube requiefcere corpufculum meum. Tunc cuftodes comprehendentes eum ad iniquifsimum Seuerum in alia ripa fluminis, ad vicum prædictum Bergoiate, vbi pro hac folummodò caufa fubftiterat, perduxerunt. At verò militibus Sanctum Dei foris tenentibus, ingrefsi feniores eorum ad tyrannum retulerunt ei omnia quæ viderant, & qualiter cum beato Martyre multitudinem Sanctorum viderint colloquentem. Tunc Seuerus

ait ad ſuos. Accelerate quantocyùs, & abſque mora interficiatur ſeductor iſte. Nã ſi audita fuerint quæ vidiſtis, vel quæ audiſſe vos dicitis, ſeditio fiet in populo, & deſpicientur Dij noſtri, & pro nihilo in poſtmodùm habenda eſt traditio noſtra. Procedens verò Seuerus ad campum non longè à ripa fluminis iuſsit Sanctum Dei Andeolum ſibi offerri. Ille autem oratione ad Deum præmiſſâ, diruptóque fune de quo poſt tergum manus eius tenebantur ligatæ, eleuans dextram manum ſuam, ſignaculo Crucis frontem & pectus muniuit. Et cùm ante Tyrannum cum omni fiducia adſtitiſſet, ſtupefactus Seuerus in aſpectu eius intuens ſimul & admirans dixit circumſtantibus ſibi. Conſiderate maleficum iſtum, & videte quâ alacritate corporis, & lætitiâ mentis noſtræ aſſiſtitit præſentiæ. Nobis quippe videtur quòd huc vſque ad epulas, & conuiuia deliciis affluentia conſederit. Ecce enim vt intelligi datur verbera noſtra ipſi omnino non nocuerunt: ſed fortiorem, vt videmus, in omnibus reddiderunt. Sed & vt veritatem me comperiſſe cognoſcatis, aſpicite, & videte quàm læto nos conſiderat vultu. Per inuictiſſimos Deos noſtros, & noſtram iuro potentiam, quia maleficus iſte eſt. Sed & quod ſentio dico vobis, quia ſi eum celeriùs interfici non fecerimus, vereor ne non ſolùm nobis, ſed etiam patriæ noſtræ aliquod malum immittat. Tali verò tyrannus repletus furore dixit ad Beatum Andeolum. Dic nobis maledicte, an tantùm ad irritandam Deorum noſtrorum potentiam, vel ad contemptum cenſuræ noſtræ in iſtam prouinciam aduenisti? Sanctus Andeolus reſpondit. Ego iam dixi tibi, quia miſſus ſum cum patribus meis à Sancto Polycarpo Epiſcopo in iſtam prouinciam, vt verbum Domini noſtri Ieſu Chriſti gentibus, & cunctis ignorantibus prædicemus: de quibus ignorantibus etiam tu infœlix prior eſſe cognoſceris. Seuerus verò hoc audito ſermone dixit ad eum; Per magnum Deum Martem, & per victorias eius iuro quia ampliùs nec mihi, nec gentibus prædicabis. Tũc iuſsit ad ſimilitudinẽ gladij de ligno duriſsimo enſem fieri, & in Crucis modũ caput eius crudeliter ſcindi. Miniſtri verò tam impiam iuſsionem explentes, ita caput eius in crucis modum contriuerunt, vt eliſo in terram cere-

bro viuens in Christo vitæ fecerit finem, sicque consummans in Domino, ac gloriosum intrepidus complens Martyrium, laudans, & benedicens, atque glorificans Deum cum gaudio emisit animam. Exanimato verò iam corpore ac inhumato ad omnium spectationem iacente, iussit impiissimus Seuerus catenam in lapide complumbari, ibíque beatissimi Martyris pedes, iam passione impletâ, constringi, & in Rhodanum fluuium, ne à quocumque Christianorum dignè sepeliretur suæ sæuitiæ satisfaciẽs, præcipitari: & astans super ripam fluminis, cùm corpus sanctum ipso præsente esset iactum in flumine quasi iam victor interfecto insultans, dixit; Vade nunc sicut te facere promittebas, & prædica gentibus. Ex ipso enim sermone maximè ad iracundiam impiissimus Cæsar contra Dei Sanctum excitatus fuerat, quia dixisset ei gentibus prædicare veni. Peracto verò iam scelere, & progrediente à vico ipso Cæsare, occurrentes ei Senatores plurimi interrogabant eum, dicentes. Quid factum est de homine illo qui legem nouam annuntiare venerat? Ipse verò quasi irridens, elatione & superbiâ tumens dixit eis, Gentibus eum prædicare direximus. Ex hoc dicto appellatum est, nomen loci illius vbi corpus beati Martyris sepultum est Gentibus. Cùm autẽ corpus Sanctum cum lapide in flumine fuisset proiectũ, ita per fluenta fluuij ipsius, gubernãte dextra Maiestatis in vlteriore ripa rectò transiit, vt omnes eum crederent non ob hoc vt lateret in aqua demersum, sed ad locũ ipsum à Domino fuisse transmissum. Vnda verò famulante perductum est corpus ipsum atque delatum in aridã, quasi dextris decem & octo ad ripam ipsius Rhodani fluminis fuisset proiectum. Quinta igitur iam aduenerat dies, quo vbi nutu Dei iactatum ab aqua fuerat Sanctũ corpus insepultum, iacebat. Cùmque hoc factum incolæ loci illius cognouissent venientes ad locum mirabantur valdè in hoc maximè stupẽtes quòd neque fera aliqua, neque auis vlla corpus ipsũ audebat contingere. Et cùm ad huius facti spectaculũ multitudo hominũ conuenisset, contigit matronã quandã nomine Tulliã per agrum publicum eodẽ præterire die, quę agrum suum ibi tunc tẽporis cœperat ædibus exornare. Hæc visendi gratia properans ad istum peruenit locum. Et videns mutitudinẽ

hominum circa corpus stantem, & stare iussit carpentum, quo vehebatur, & ait famulis suis. Ite quantocyùs, & videte quam ob causam ad hunc locum multitudo ista conuenit hominũ. Sed & de astantibus illic ad me adducite, vt ipsis referentibus veritatem cognoscere possimus. Tunc venerunt ad illam de multitudine illa, vt poposcerat, viri duo: quos cùm illa ob quam causam ibidem conuenissent, interrogaret, illi dixerunt, peregrinus homo hîc iacet, interfectus à Seuero in interiorem Rhodani ripam: iactatus autem ipso iubente in aquam lapide ad pedes ligato: sed mox catenæ disruptæ sunt, & corpus vndâ deferente in istam iactatum est ripam. Nunc verò admiramur valdè, quòd iacens corpus neque auis omninò contingat, sed & pastoribus referentibus miraculum in isto loco quamplurimis demonstratur. Audiuntur ecce à multis nocte super eum voces cantantium, cerea quoque ardentia cum magna claritate quamplures sæpiùs vidisse affirmant. Et hoc nobis inter cætera maximum videtur esse miraculum, quòd cùm in hoc loco rapidissimi fluuij prægrandia saxa aqua videantur deuolui, taliter rectè corpus eius fuisse delatum. Nunc verò omnes verentur persecutionem publicam, vel certè impiissimum Cæsarem, & nullus est qui ei qualemcumque sepulturam audeat dare. Tunc matrona illa euidentiùs quæ acta fuerant cognoscere cupiens dixit illis. Rogo vos, filioli, veraciùs mihi vt cognouistis dicite. Scire enim vt cernitis cupio pro qua culpa homo iste interfectus asseritur. Respondentes duo viri illi dixerunt ei. Cognosce Domina nos tibi veritatem narrare, Christum Dominum esse dicebat, & legem nouam quam Christiani habere dicuntur, in patria ista dicere volebat. Ideò zelo ductus Seuerus, hæc audire non ferens, interfecit eum. Hæc illa audiens apud semetipsam retinuit, & nulli suorum quid animo cogitaret, aperiens ad agrum suum quò tẽdebat velociter peraccessit, quia ager ipse in vicino situs esse videbatur. Ipsâ verò nocte rediens cum fidelibus suis, & quos probatos in fide Christi habebat, corpus sanctum in ipso dignissimè sepeliuit, vbi se multis & non paucis vicibus virtutibus plurimis Sanctus ipse publicauit: in quo loco tantam gratiam Dominus obtentu Martyris sui vsque hodiè tribuere dignatur, vt quicumque ibidem

tristis aduenerit, postulata percipiens, cum gaudio reuertatur. Martyrisatus est autem sanctus Dei Andeolus pro nomine Domini nostri Iesu Christi Calend. Maij, & 6. Nonas Maij per beatissimam Tulliam ibidem in loco qui vocatur Gentibus, sepultus, præstante Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo, cui est cum Patre & Spiritu sancto, honor, virtus, laus, imperium in sæcula sæculorum. Amen.

AD Caput XXIV. Valeriani Martyris acta ex manuscripto accipe.

Incipit Passio Sancti Valeriani Martyris.

BEATISSIMORVM Martyrum gloriosa certamina ob honorem Christi Domini, ac Dei nostri assiduis cultibus, & solemnitate annuâ celebrantur, vt dum fidem Martyrum plebs deuota cognoscit, & illos triumphasse gaudeat, & se patrocinio eorum protegendam esse confidat. Celebre enim habetur sanctæ recordationis Eusebium historicum, Cæsariensis vrbis Episcopum, egregiæ vitæ beatissimum Sacerdotem, Ecclesiasticâ quoque institutione doctissimum, & præcipuâ sollicitudine venerandum per omnem orbem in quantùm diuino annunciante Spiritu, vt gestum est rei veritate decursâ valuit reperire, prout singularum prouinciarum vrbes, loca, vel oppida illustrari triumphis Martyrum cœlestibus meruerunt, quorumque Principum tempore ordinatâ officiorum instantiâ, innumeræ persecutiones actæ fuerunt, declarasse; qui etsi Martyrum singulorum integras non explicuit passiones, tamen Christianis deuotis, atque fidelibus vnde scribi, vel celebrari debeant, veraciter intimauit. Dei itaque gratiâ toto orbe diffusam excoluit, dum videlicèt exiguo tritici semine copiosæ messes agri fertilitate gignuntur, & multiplicatâ vbertate proficiunt. Ita supradicti viri relationem ab vnius codicis fonte diffusæ scriptis manantibus fidelium totum orbem celebrandæ passiones Martyrum rigauerunt. Nos tamen rei ordinem exequentes, Passionem sancti Valeriani Martyris eâ scribere deuotione curauimus, quam triumphãte Christo perfectam certissimâ veritate comperimus. Igitur diebus Antonini Imperatoris grauissima persecutionis instantia pul-

hilabat, adeò vt in cunctis Imperij sui prouinciis generali fuerit authoritate prolatum, & decretis Imperialibus constitutũ, vt vbicumque Christianæ religionis indiscreto honore, sexu, vel genere persona fuisset inuenta diuersis afflicta suppliciis, capite puniretur. Tunc in Lugdunensi vrbe maxima, vel præcipua Galliarum, sanctæ recordationis, Fotinus Episcopus, cuius vitę merita consummatio martyrij declarauit, institutor Christianorum doctissimus habebatur, qui, vt præfatus historicus refert, cum aliis xlviij. Martyribus persecutorum instantiâ comprehensus, ergastularibus tenebris mancipatur, & quinquaginta animæ Christi gloriam confitentes, in vnũ carcerem pariter retruduntur, ex quibus sanctus Marcellus, & sanctus Valerianus nocturno tempore annunciante Angelo euocati, & soluti; alter eorum Sequanorum; alter verò Eduorum prouincias interiecto Arari petierunt; diuinæ vtique prouisionis instinctu; vt eorum institutione, & corda Gentilium ad cælestis religionis gratiam peruenirent, & nominatæ prouinciæ proprio semper Martyrum patrocinio munirentur. In illo tempore, post sancti Marcelli gloriosum martyrij certamen, Prisci Præsidis examinatione confectum, nec longo interuallo, dum ipse Præses ad Lugdunensium vrbem sub voce Præconis, & per aggerem publicum mularibus vehiculis, & amnem Sauconæ nauali cursu diuiso agmine properaret, Trinochium, quod tunc in erogandis militum annonis castrense horreum vocabatur, die iam vespertinis horis declinante, peruenit: vbi dum de passione sancti Marcelli, quæ in Cabillonensi vrbe acta fuerant insana relatione denunciat, gentilium suggestione cognouit sanctum ibi Valerianum orationis secretissimam habere cellulam, & multos iã Christicolas effecisse. Tunc nequissimus Præses eâdẽ nocte atroci cogitatione versatus, aduentante iam luce, vt mentis crudelitas flagitabat, sanctum perquiri Valerianum ab officio, & suis conspectibus statui imperauit. Ad cuius tugurium cùm directi milites peruenissent, ille æstimans eos Christianos gratiâ charitatis, & more hospitalitatis inuitat, quem illi priùs intuentes signum Crucis, & intra cellulam suam habere, & in suis adhibuisse vultibus conspexerunt, statim comprehensum dixerunt sagaci inquisitione solliciti, quod esset signum illud

quod intra suum tugurium inuenissent, ac illis venientibus, in suam signasse faciem videretur. Tunc sanctus Valerianus respondit. Hoc est signum salutis in quo Dominus cœli, & terræ Dei filius Iesus Christus vnà cum Patre, & Spiritu sancto regnans ante sæcula, & in æternum permanens suâ nos passione redemit, & moriendo contritis mortis vinculis æternæ vitæ præmia condonauit. Tunc illi dixerunt. Ergo & tu Marcelli socius Christianum te esse denuncias? Sanctus Valerianus respondit. Me & socium sancti Marcelli, & Christianum esse liberâ, & vsque in finem mansurâ voce profiteor. Impositis itaque vinculis, & post tergum manibus vinctis, velut scelerati criminis reus Prisco Præsidi ab officio præsentatur, quem cùm ille intueretur, belluini cordis seueritate inflammatus, sic ait. Tu es Valerianus Christi nomen prædicans errore superfluo moriturus, an fortasse quæ acta fuerint de socio tuo Marcello simili errore decepto, ad tuam minimè notitiam peruenerunt. Consule tibi, Deorum immortalium nomina veneranda cognosce: quæ adorari sacratissimi Imperatoris decernit authoritas, quæ & patres nostri viderunt, & nos eorum effigies sanctissimas adoramus, & quorum progenies cœlorum manifestissimè dominatur. Omnipotentem itaque Iouem, & Iunonem, & coniugem ac sororem, Venerem etiam tanti Dei filiam, Vulcanum, & Martem fratres ipsius pariter & maritos: quod nisi feceris longè à collega tuo Marcello grauioribus suppliciis punieris. Sanctus Valerianus respondit. Præsidem te esse, & iudicem prouinciarum circumstans declarat officium, sed omnis scientiæ error gentilium reddit ignarum. Quomodò Imperatoris tui, & nefariâ religione Imperatorum decreta conuellis? Quæ sunt nunc ista quæ loqueris? Incesta puniri legum statuta præcipiunt, & tu Deum esse omnipotentem voce sacrilegâ profiteris, quem germanæ suæ fuisse coniugem non negasti, filiámque eius Venerem fratris vxorem à me existimas adorandam: Hæc crimina dum in numinibus veneranda, & in hominibus damnanda pronũcias tuo te satis, abundéque errore confundis, & beatissimi fratris mei Marcelli supplicia mihi te illaturum minaris glorioso certamine superata; atque vtinam te victum, & illius virtute, & tuâ pronunciatione cognosceres, & Dominum cœli ac

li ac terræ, dominatorem rerum omnium, atque factorem de bonis sensibus adorares, qui sine crimine passus est, vt suâ nos morte ab æterno mortis crimine liberaret, vel resurrectione suâ fiduciam nobis perpetuæ salutis ostenderet, cuius Regni nec finis, nec principiũ inuenitur; hic est verus Deus, qui non in metallis, nec in lapidibus, sed in templo fidei, & æternæ beatitudinis gratia reperitur. Priscus Præses dixit. Circumstantia, puniende, supplicia non pauescis, & velut iudicaturus Iudicem, vana quædam deliramenta pronuncias? nunc euidentiùs approbabis meorum virtutem numinum, aut vanã Dei tui potentiam, in tormentis deficiens. S. Valerianus respondit. Tormenta ista quæ nominas, iam à præcedentibus commilitonibus tolerata. Tunc sæuissimus Præses stipiti appensum sanctum Martyrem vnguibus iussit ferreis laniari: & cùm auxilio Christi nullis fatigatus suppliciis in laude Domini perduraret, ac nequissimus Præses per illius perseuerantiã ad veram Christianæ fidei religionem peruenire plurimos vereretur, solutum exindè in locum, in quo nunc venerandi corporis reliquias excolimus, gladio feriente iussit interfici. Tunc sanctus Valerianus primi Martyris, & Leuitæ sancti Stephani habens gratiam, & gloriam reminiscens, cælos intuens, illum vidit sibi offerre oculis coronam, cui moriendo non metuit martyrij præbere victoriam. Sic itaque sanctus Martyr locum illum consecrauit, cœlorum Regna spiritu conscẽdens, cuius festiuitatem annuam celebrantes, patrocinium de bonis mentibus exoremus, vt fidem plebis augeat, cunctúmque populum suis cultibus adhærentem piâ intercessione conseruet, & qui eius triumphum deuotus, ac fidelis scriptor excoluit in præsenti sæculo, vel in futuro patrocinio eius æternâ gratiã muniatur, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est imperium, & potestas cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Passio sancti Valeriani Martyris.



AD LIBRVM TERTIVM.

AD Caput XXIII. Pauli Narbonensis acta puriora, ex Codicibus cùm ipsius Ecclesiæ, tum Bernardi Guidonis, & Quercetani manuscriptis hæc sunt.

Vita sancti Pauli Narbonensis.

CVM apud Vrbem Romam quondam à sacrilego Principe Iudicibus suis in Christianos persecutionis data fuisset auctoritas, & vniuersa sancta corpora famelici canis rabies deuoraret, inter plurimas Confessorum & Martyrum turbas, beatissimum Papam nostrum Paulum, dudùm deuotissimum militem Christi, exsortem præterire tantæ victoriæ pugna illa non passus est. Accinctus namque religionis mucrone, quin etiam deuotionis clypeo, fidei loricâ, & galeâ confessionis armatus, Christum, qui est caput nostrum, ante ipsius concertationis euentum, validissimâ clangoris sui tubâ confessus est. Territa Gentilitatis immanitas, ad fragilissima crudelitatis suæ se arma conuertit, vt fortissimum virũ & magnum ahtletam, terrore & sæuitiâ vinceret, quem superare virtute non poterat, diù maceratum fame & squalore custodiri mandauit, deinde variis tormentorum generibus affligi iussit. Cuius cùm roboris fidem crescere videt, & illum penè tormentorum feritate fieri fortiorem, inauditum suppliciorum genus nequitiâ diaboli exquisiuit, inuenit, exercuit, quo in ea corporis parte Dei famulum laceraret, ex qua edere erat solitus diuinarum seriem literarum. Nam post vexationẽ ferè omnium membrorum, acutis cum cannarnm sudibus, euisceratis vnguibus eius digitos ac manus discerpsit, vt grauioribus tormentorum generibus inuictus gloriosior in victoria sua confessor existeret. Et cùm multi sint id temporis,

etiam in leuioribus suppliciis Martyres facti; hunc virum nobis ac parentibus nostris specialiter Dominus reseruauit, cuius nutu ordinatus Episcopus venit ad Gallias. Vt dura ad credẽdũ cunctorũ hominũ corda molliret, & suaue iugũ Christi suscipere virtutũ suarũ mirabilibus persuaderet. Nã cùm Sacerdos, atque Dei Confessor ad ciuitatẽ Bitterensem ipso tẽpore aduenisset, &, quæ adhuc nota non erat, Ecclesiam fabricauit, ibíque altare Domino consecrauit, diuino functúsque sacerdotio, primùm ibi in cathedra Episcopi sedit. Post ordinauit sancta mysteria, & Deo populum illic habitantem adquisiuit. Sanè in nonnullis ciuitatibus aut eorum territoriis tanta Monasteria, Ecclesiæ, aut oratoria extitisse creduntur ipso tempore, quanta in eadem ciuitate, quæ cùm magnitudine parua sit, grandis esse religione adprobatur, & fide. Cuius cum magisterio infidelitas decresceret, fides cresceret, conuersa Narbonensium superstitio, quæ adhuc diuersorum templorum culturis, & Capitolij ambitione pollebat, legationem mittit ad memoratum Episcopum, eius religionem desiderans habere, Ecclesiam concupiscit. Magnum fundamentum fidei! O ineffabilis pietas, & larga bonitas, nõdum ipsis populis notus erat, & iam eiusdem desiderio colloquendi ardebant. Ipse denique acceptam benignissimè ipsorum legationem, vt bonus pater non titubauit eis festinus occurrere, quatenùs eos à laqueis diaboli erueret, & filios Dei, sectando iustitiam, cuius ille famulatum habebat, constitueret. Itaque ordinato in locum suum sancto Afrodisio Episcopo, ad hanc vrbem ocyùs peruenit, primùm ante Ecclesiam * quæ nunc est, paruulum oratorium fundauit. Denique ad locum quem vocant Albolas, qui potè trans pontem, alteram Ecclesiam construxit, in qua videlicèt Ecclesia, post multa laborum certamina, in pace hodiè requiescit, magnificâ coronatus gloriâ. Quid plura? Cùm ille Chelindrus antiquus, semper humano generi inimicus, eius fælices actus inuideret, illiúsque bonitatem perhorresceret, immisit se in duobus diaconibus suis, qui cùm ante lectulum eius clanculùm calceamenta muliebria proiecissent, & causâ irrisionis ei fecissent. Ille euocatis paucis Episcopis Galliæ, quia nondum erant plures, in Ecclesia de qualitate facti voluit iu-

* *seniorem in alio MS.*

dicari. Et cùm per triduum fuiſſet procraſtinata cognitio, diù noctúque ipſius in ædis culmine miſſa diuinitùs aquila reſedit. Multi eam iactu terruerunt telorum, ſed minimè abſcedere fecerunt; quin etiam illis diebus quibus in eo culmine ſedit, cibum deferente coruo accepit. In quibus rebus multa debuerunt eſſe ex miraculis Dei narrata, dum auis ab auicula mirificè eſt paſta. Verùm, tenuis noſter ſermo quamuis non explicet aquilæ & corui ſignificantiam, narranda ſunt quæ à Dei famulo ſuper Diaconibus ipſis ſunt facta. Iam dum ad miraculum aquilæ ſententiámque Sacerdotis affatim Chriſtianorum turba concurreret, tertiâ die ſanctus Papa noſter Paulus indicit orationem cum populo, & cum Sacerdotibus ſuis, vt Deus manifeſtaret, aut illorum peruerſorum aſſertiones, aut ſuæ vitæ meritum. Et dum beatiſsimus Paulus in oratione ingemuiſſet, * illi Diacones correpti ſubito furore lymphatico inter inuiſibilia tormenta clamabant, factionem inuidiæ ſuper Epiſcopo voluiſſe confingere; quandoquidem valdè pro ipſorum incontinentia, eos ſæpiùs ac frequentiùs caſtigarat. Quod cùm ipſi malitioſi iuſto Dei iudicio grauiter eiularent, & dicerent, ſe minimè poſſe ſuſtinere tam grandia ſupplicia: Dei famulus miſericordiâ, quâ motus ſemper, populis cathegorizans rogauit conſacerdotes, & populum, quod pro ipſorum abſolutione Domini pietatem exorarent, quatenùs eos à tormentis liberaret. Tamen ille indignum ſe dicebat ſacerdotio, ſi ipſi qui pro ſua innocentia à dæmonio fuerant arrepti, non abſoluti fuiſſent precibus ſuis. Et ecce dum proclamaret ad Dominum iterùm ſanctiſsimus Paulus, exauditæ ſunt preces eius, & Diaconi à dæmonibus liberati. Tunc idem malitioſi vniuerſa machinamenta quæ contra ſuum Sacerdotem moliti fuerant, publicè in conſpectu tam Sacerdotum quàm laicorum, confiteri cœperunt. Hoc euidenti iudicio cognito Epiſcopi ipſi, ad talia qui deprecaturi Dominum conuenerant certamina, prouoluti cum vniuerſa plebe eiuſdem pedibus, rogare cœperunt; quòd pro illorum peccatis interueniret, pro eo quòd dubitauerant, apud Dominicam pietatem. Quibus rebus peractis Ales orientalem partem volatibus petens, nullo impugnante diſceſsit ex ſummo culminis faſtigio: Intellexit in ſe vir Dei ad patriam re-

* aliàs *orationem ingeminaſſet.*

uerti. O mirificum ſanctitatis documentū! ···· qui iacula infeſtantis inimici præſtitiſti eſſe probationes & non vulnera fidelium tuorum, cùm permiſiſti tentari à diabolo per ſui miniſtros. Cui poſt belli certamina & agonis inſtantiam, dediſti palmam confeſſionis & coronam ſacerdotij. Sed quid plura: ipſe ſceleris auctor pro ſui nequitia, his, quos commeruerat, inter illa quæ digeſta ſunt, debitas ſoluit pœnas. Meritò quippe ipſe paſſus eſt illud, quod confeſſori, necnon etiam Sacerdoti intulerat. Hæc verò obſequij conſcripta miracula, relatione, & fide ſeniorum impoſterùm miſſa ſunt, nonſolùm ciuitatibus quibus in Sacerdotio præfuit, verùm etiam Romanæ vrbi, vbi multa pro nomine Chriſti paſſus eſt. Quin imò per vniuerſum orbem, in quem virtutum ſuarum fama peruenit, à cunctis hodiè in lætitia ſancta, deuotionéque deuotiſsima eius feſtiuitas concelebretur. Et ſi quis tanti viri commemorationem fecerit, meritis eius recompenſetur apud ſummam Domini maieſtatem, æternis gaudiis cum eo perfrui in futuro mereatur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c.

AD Caput XXXV. Georgij Vellaunenſis vitæ ſcriptor, eius ſedis ſub Cornelio Romano translationem factam fuiſſe eâdem fide narrauit. Quam ne obſtinatiſſima hodiernorum hominum opinio deſideret, hîc deſcribimus.

De translatione ſedis, ac dedicatione Eccleſiæ, & Altaris beatæ Mariæ de Podio Anicienſi.

POST obitum itaque ſancti Georgij memorati, plures in Epiſcopatu Anicienſi religioſi, ac S. viri ſucceſſerunt, qui quamuis eſſent moniti eadem viſione, Eccleſiam tamen quam primus Pōtifex Vallaunenſis Gregorius ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro miſſus fundauerat, atque dedicauerat, relinquere noluerunt; ideóque nec cathedram Epiſ-

copalem aliò transferri permiserunt. Euoluto autem plurimo tempore præfuit Vallaunensi Ecclesiæ Euodius, vir quidem strenuus, ac religiosus, præpotens in sæculo, omníque pietate præcellens. Et quoniam vtraque, diuina scilicèt, atque humana sapientia hunc virum illustrauerat, discretio quoque summa virtutum, necnon humilitas eumdem charum vniuerso gregi suo, atque sublimem fecerat, Dei prouidentiâ disponente. Suadet ergo Pontifici memorato, vt in designato loco de Podio transferat sedem vniuersus populus multiplici signo, atque diuersis visionibus perterritus, & commotus ne patriam scilicèt illam deuastet Dei iudicium, atque irremediabilis contagij morbus. Quin etiam quædam Sanctimonialis fœmina illustris genere, ac probitatis studio non ignota, accedens ad eum in conspectu circumstantis Ecclesię, dixit. Non dedigneris Sanctissime Præsul accommodare fidem verbis meis, quoniam quædam certissima referam iam tibi, sicut ipsa omni exclusa ambiguitate erroris videre merui. Paralytica, inquit imbecillitate, ac febris tertianæ ardore quondam ægrota fueram, & quia totius spem recuperandæ salutis in beata Virgine Maria posueram, omnem medicantium curam contemptui habebam. Non immemor ergo mei gloriosa virgo assistens mihi dormienti in cubiculo ait: Surge, ne moreris hîc diutiùs, & Anici montis iuga conscende velociùs, quoniam ibi sanitatem illicò promereberis, & læta ad propria redire poteris. Excitata quidem à somno nullam moram sustuli, sed summitatē præfati montis expetens, ante illum lapidem ad instar altaris prominentem, accensis multis luminaribus diù prostrata iacui. Circa medium autem noctis, cùm omnis familia mea esset dedita sopori, ego verò pernoctans adhuc intenderem orationi, vidi beatam Mariam Virginem assidentem lapidi, circa quam Angelorum multitudo, & virginum aderant chori. Tunc iubens nunc viciniùs adesse dixit. Ecce frequens oratio tuæ deuotionis liberauit te ab omni vinculo infirmitatis. Totius ergo salutis auctori Domino scilicèt Iesu Christo dignas gratias ne cesses agere, meóque beneficio hanc retributionis vicem impende. Alloquere Pontificem Euodium, & intima ei vt iubeat mihi in-

cunctanter hîc fieri templum, sciátque populum multùm hîc promeriturum maximum salutis consilium, nec non & veniam suorum peccatorum. Ecce iniquit Sanctimonialis nolo esse rea voti, ac mandati, fideliter tibi refero quòd cœlestis mihi iussit Regina. Ne autem quicquam ambigas prædictorum, sanam, atque incolumem pro testimonio me præuales intueri. Quo audito non immeritò vir sanctus Euodius gaudet, indictóque ieiunio triduano eodem ordine tandem & ipse per omnia edocetur affatu Angelico, vnde pollicetur se cuncta facturum quæ audiuerat, & transferre sedem Episcopalem, sicut vniuersa fidelium deuotio postulauerat, salubri vsus consilio Romanum mox adit Pontificem, & referens ei prædictæ visionis ordinem, supplex efflagitat eumdem tanti negotij testem fieri, & actorem. Qui dum super hoc tractaret, & pollicitus esset, diuinâ disponente clementiâ, cœlitùs est monitus, vt ob reuerentiam gloriosæ virginis Mariæ per omnia faueat petitionibus Euodij Episcopi. Tunc Papa Romanus Cornelius conuocat Euodiũ, & cumulat eum magnis donis, & muneribus, Sanctorum etiam quæ à Deo quæsierat charissimis pignoribus. Super hæc autem omnia, vt in Ecclesia Aniciensi ædificanda vel Apostolica authoritas non deesset, associat Episcopo Vallaunensi quemdam familiarem suum nomine Scrutarium, Romani ordinis Senatorem doctissimum totius artis peritiâ, nec mediocriter instructum artificem videlicèt maximum scientiâ, & sermone facundum cui præcipit, & summa cum charitate obsecrat, vt pro reuerentia sanctæ Mariæ Virginis iniunctum laborem sustineat, & vice suâ, atque Apostolicâ authoritate Euodio per omnia faueat, quatenùs in perficiendo tanto opere, vel in transferenda Episcopali sede, à nullo molestiam sentiat. Sic ergo ad patriam Vellaunensem Episcopus cum gaudio reuertitur, quem Romanæ Ecclesiæ Apocrysiarius, doctorque præcipuus Scrutarius comitatur. Tandem ad montem Anicij perueniunt, tentoriáque, vt ibi hospitari possent, erigunt; dicentes quod nec longiùs, nec aliò diuertere debuissent, donec quem res effectum haberet certiùs vidissent. Eâdem verò nocte, plurima nix supra montem illum tantummodò, sed non in tem-

pore suo cecidit. In cuius superficie quo in loco, quo ambitu, quo protensu Ecclesia deberet fieri diuina dispensatio præsignauit. Facto manè iuga montis simul petunt, niuémque eo tempore cecidisse admirati sunt. Sed curiosiùs hoc reuoluentes, ac conformandi templi stigmata in niuea crepidine intuẽtes, pleniter gratulati sunt. Tunc summâ cum authoritate iubet Scrutarius ille Apostolicæ Legationis actor egregius, vt in nomine Dei, ac præcelsæ Virginis Mariæ Ecclesiæ fundamenta illic iaceret, quo signa diuinitùs impressa etiam prælucerent. Quo pacto tandem iactis cum diligentia fundamentis, parietes erigunt, Ecclesiam quemiram, atque elegantem annuente beatissimâ Virgine Mariâ cum omni prosperitate perficiunt. Interim quoque dum insistunt cœpto operi, sæpissimè merentur Dei genitricem cohortantem eos Euodius, atque Scrutarius intueri. Ad vltimum verò, perfectâ totius Ecclesiæ fabricâ, consilium incunt vt Romam peterent, ac sanctorum reliquias inde deferrent, quin etiam, si fieri posset, ipsum Apostolicum ad dedicationem templi secum adducerent. Proficiscentes ergo, & ab Aniciensi monte quasi milliario vno eminùs positi inuenerunt quosdam Seniores albis indutos stolis, omnique venustate venerantes. Quos cùm rogassent qui, vel vnde, vel quò tenderent, dixerunt se esse legatos Romani Pontificis missos Euodio Præsuli, atque Scrutario Senatoriæ dignitatis viro, cum magnis, ac tota cum veneratione colendis reliquiis. Ego inquit Euodius, licèt indignus, illius Ecclesiæ quam petitis dicor Episcopus. Ecce adest carissimus patronus meus, ac frater noster Scrutarius, cui quondam ob ipso tutore nostro, ne quid Apostolicæ authoritatis nobis contra liuorem æmulantium deesset, sum commissus. Qui quantum erga custodiam nostri beneficij præstiterit, vel quantâ sedulitate nobis obsequutus fuerit, præsens dies narrationi non sufficit: vnde si quid veneratione dignum defertis, mihi reddite, ac deinde nobiscum euntes montem in quo sita est Ecclesia conscendite. Non ita aiunt seniores decernimus fieri vt dicitis, sed Pontifex accipiat hæc duo scrinia cum reliquiis, & quantæ reuerentiæ, vel cultus sint discant his perlectis literis. Nec oportet nos quicquam cum festinatione

ſtinatione modò agere, ſed moleſtè, & cum omni tranquillitate hæc diſponere. Quinetiam nudatis pedibus humiliter, & ſumma cum deuotione, ſanctarum reliquiarum ſanctiſſima pignora ad propriam Eccleſiam deferte. Nos quoque non lento gradu vos præire volumus, & regreſſum noſtrum, ac tantę viſitationis donum obuiàm vobis venientibus, fideliter recitabimus. Seniorum monitis, atque iuſſibus non diſtulit parere Euodius, ſed lætiſſimè, ac glorianter ſuſceptis reliquiis præparat ſe humiliter cum omni grege ſuo pedibus, ſicut iuſſerat de nudatis. Tunc perfuſus genas cum lachrymis, gaudióque plenus Pontificalibus inibi reuerenter induitur veſtimentis. Sicque decantans dignas Deo laudes, & beatæ Virgini Mariæ, ad propriam ſedem cum hymnis, & canticis remeat pater cum ſuis. Properantes verò ad limina Templi, ianuam obfirmatam inueniunt. Sed quia mox vltrò reſeratur, ac per ſe pateſcit, in laudem Dei proſiliunt. Intrò quippe euntes, & ad propitiatorium vſque progrediẽtes, altare illud venerandum ſacri olei liquore perfuſum, atque benedictione Angelicâ conſecratum conſpiciunt. Nam Angelicæ manus ſignum ſuper crepidinem altaris, in eâdem olej perfuſione erat inſignitum. In circuitu quoque literarum apices erant ex eodem liquore exarati, demonſtrantes, ac pleniter edocentes ordinem, atque effectum tanti miraculi. Cognouerunt ergo Euodius, atque Scrutarius dum hoc perlegerent, quòd ipſi totius Eccleſiæ corpus, ſicut moris eſt, in cæteris dedicare debuiſſent, cùm venerandi tantùm altaris lapidem, ac ſuperpoſitam aram angelicâ benedictione ſanctæ Mariæ Virginis authoritate conſecratam, ſine dubio credidiſſent. Quinetiam ne vlla in tanto ſimiraculo cuiquam hæreret dubietas, mirantur per parietes templi accenſas tercentum, ac bis ſenas candelas, vnde & ipſi mox Eccleſiam abſque dilatione ſicut ſcriptum nouerant, dedicauerunt, ac Reliquias quas à Senioribus acceperant repoſuerunt: & inſuper celebratis miſſis dedicationis feſtum annuatim ſolemniter agi, V. Idus Iulij decreuerunt. Tunc ſub voto firmat ille Apoſtolicæ legationis vir Scrutarius, dicens: quod nullâ dignitate, nullâque tranſitoriâ ambitione vmquam diſcederet ab ipſis ædibus, in quibus ipſe

toties gratiam visitationis Virginis Mariæ fuisset expertus. Aliquandiu ergo fuit cum Præsule Euodio: post decessum verò Sancti Euodij in Aniciensi sede Scrutarius Episcopus eligitur, & ab vniuersis pater Patriæ proclamatur. Vnde quia Senator quondam fuerat, & vnus ex Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Papam suum consueuit eumdicere Aniciensis populus. Facta est autem prædictæ sedis translatio, & Ecclesiæ Aniciensis dedicatio fauente, & annuente (sicut præmittitur) Cornelio Papâ, qui cœpit anno Domini CCLII. seditque annis duobus.

AD Caput XL. Ausonij Engolismensis vitam ex MS. Codice Fr. Corlei accipe.

Reuerendo in Christo patri, & Domino Carolo à Bony Engolismensis Ecclesiæ Episcopo.

FIdem Catholicam perpetuâ serie à Christo Domino Pontifice maximo Apostolorum, Episcoporum, doctorúmque non interruptâ progressione deriuatam, nemo est qui dubitet (Præsul amplissimè) certissimum sanè aduersùs huius sæculi hæreses argumentum, quas qui sectantur, dum orthodoxæ fidei dogmata, & antiquos ritus culpãt, nõ vidẽt se nouæ cuiusdam religionis fundamenta iacere, cuius nulla delubra, rectores nullos, non patres, non Episcopos doceant suæ hactenùs sectæ adfuisse. Enimuerò ea verè est catholica religio, quæ à primis fidei cunabulis per manus posteris tradita, vna, eadémque semper fuit, & innixa fundamentis Apostolorum, martyrum sanguine irrorata, patrum vnum semper sentientium confessione recepta, ad nos vsque peruenit, cuiúsque vnum os, labium vnum vsque, & vbique fuit, & vna consensio. Sanè quantùm ad Engolismensem Ecclesiam pertinet, eam ab Ausonio diuæ memoriæ Engolismensium protomartyre, & Apostolo, per mille trecentos, & eo ampliùs annos continuâ Episcopum successione ad te constat esse transmissam. Quorum cathalogum, & nomina huc vsque à populis curæ tuæ commissis, ignorata, atque à me è situ priscæ antiquitatis eruta, cùm euulgare in mentem ve-

nisset, tu vnus visus es, cui opellam meam quantulamcumque inscribere debebam, & cui, vt aliàs poëta quidam Gallicus cecinit.

le dedier,
Est à son point la chose approprier.

Quo enim patrono fidentiùs rem hactenus intactam, & scatentem vndique illapsis, temporum inscitiâ, erroribus aggredi ausim, aut conuenit penès, & æquiùs de Engolismensibus Antistitibus dicere, quàm apud te eorum successore, & merenti. Habe igitur, Antistes venerande, obseruantiæ in me tuæ munusculum hoc, illud quidem perexiguum, sed, vt arbitror, popularibus nostris non ingratum futurum. Vale. Ex musæolo nostro Calendis Decembris 1576.

FRANCISCVS CORLEVS.

LECTORI BENEVOLO.

BEati Ausonij primi Engolismæ Episcopi vitam & sequentiū Episcoporū nomina, seriem, & cathalogum orsurus, pauca hæc de mei instituti ratione præfabor. Cùm in manus incidisset rerum ab Ausonio gestarum commentarius, qui circumfertur, & in cœnobio illius vice legendæ (quam vocant) asseruatur. Inueni illud multis, & non contemnendis erroribus, infœlicitate temporum, & veræ historiæ ignoratione, refertum; cui restituendo aliquot dies insumpsi: primò quæ proborum authorum scriptis non consentire, aut relata in alia tempora reperi hæc emendaui, si quid probabile minùs, aut maiestatem Christiani nominis, non sapere visum est, hoc totum deleui, multa suppleui quæ deerāt; deinde ad veterum scriptorum fidem, & exemplar totam narrationem accommodaui. In quo faciendo si quis me ausus temerarij damnet, intelligat velim venerandæ quidē antiquitatis opus fuisse; sed ita mendis deturpatum; vt facilè sit coniicere authorem (virum alioquin bonum), non quæ vidisset; at quæ multis ante sæculis gesta audiisset, piè magis, quàm cautè, literis mandata, posteritati tradidisse. Vtque res tota magis elucescat, insigniores huius cōmentarij locos, qui animaduersione nostrâ eguerunt, subnectam. In primis

non probatum est mihi, quod de Eugenia Ausonij matre ibi memoriâ traditum est, septuagenariam Angelo præmonente peperisse: gratia anterioribus sæculis paucis admodū concessa, iisque multâ virtute præstantibus heroïnis miraculum, & tota angeli, Albini, & Eugeniæ coniugum colloquentium narratio nimiùm affectata videntur, confictáque potiùs (piorum manium pace dixerim) ad inuitationem eorum, quę de Anna, Elizabetha, & Sarra dicta sunt; quàm veri specie fulta. Item quod obiter de sancto Martiale Lemouicûm Episcopo, Ausoniíque præceptore à Petro Apostolo in Gallias misso ibidem dicitur, fidei veteris repugnat historia, nec alibi dictum reperire est: quamuis Lemouices (nec veriùs) eum à Clemente missum affirment, nonagesimo circiter à Christi natiuitate anno. Constat enim ex Gregorio Turonum Episcopo authore antiquo, vixisse Martialem Lemouicûm sub Decio, ducentesimo quinquagesimo salutis anno. Quod & ex eodem Ausonij nostri vitæ compendio probatum videre est, eum ab Vvandalis, quos tunc primùm in Gallias irrupisse satis constat sub Valeriano successore Decij, martyrio coronatum asserente. Compendij verba hæc sunt. *Tempore illo quo Vvandalica persecutio è Germaniæ finibus progressa Gallias populabatur, prædictæ gentis Rex cum exercitu validissimo captis priùs vniuersis Galliæ vrbibus, exceptâ Metensium ciuitate Engolismæ adstitit.* Et paulò post. *Certum autem habemus hunc de quo nobis est sermo, Antistitem Vvandalorum extitisse temporibus, qui primùm imperantibus Valeriano, & Gallieno Augustis, postmodùm quoque Theodosio minore Arcadij filio omnis Gallia, Hispaniáque peruagata est.* Quæ verba eo libentiùs hîc inserui, vt ex eorum specimine innotescat, quàm supina fuerit authoris ignorantia, qui Martialem Ausonij magistrum Petro, moxque sui oblitus, discipulum Valeriano Imperatori coæuos facit. Quid quòd Aptonium fratrem Ausonij, eiúsque in Episcopatu successorem asserit? Inter quos ducentos, & quinquaginta annos intercessisse palàm est. Quid etiam quòd Martialem, & Ausonium Lemouicæ agentes nauem conscendisse, & maritimo itinere Mauritaniam Santonum oppidum inuisisse affirmat? Ait insuper author compendij illius, Engolismam vrbem ab Vvandalis septennio, &

mensibus sex obsessam, tandem nebulâ circumtectam, & ab oculis obsidentium ereptam numinis præsidio defensam esse, ipsósque Vvandalos ibidem mutuò se ad internecionem confodisse. Quod quàm à veritate alienum sit, vt ex Gregorio & Ammonio Gallicarum rerum scriptoribus constat, qui Vvandalos tunc temporis per totam Galliam grassatos, insigniores quasque vrbes funditùs euertisse, postremóque apud Arelatem à Mario cohortium Romanarum Præfecto, profligatos, authores sunt; neque tam insigne miraculum (si vsquam contigisset) reticuissent. Planè ridicula videri potest apud eumdem authorem Angeli assertio omnibus, qui Christiani facti, & benè operati in cœmeterio diuini Ausonij tumulati fuissent, vitam æternam pollicentis. His addo nonnulla miracula, quæ ibidem fusiùs recitata consultò omisi, aut vno verbo perstrinxi, quòd omninò aniles fabellas olerent, nec rem Christianam promouere mihi visa sunt. Hæc te admonitum volui, beneuole lector, vt intelligeres me non temerè in messem alienam manum iniecisse. Scio (gratia Deo) quid veterum scriptis tribuendum sit, in his præcipuè quæ ad religionem attinent. Verùm in re tam clara cœcutire non oportuit. Sed tandem ad narrationem nostram accedamus.

DIVI AVSONII VITA.

BEATVS Ausonius Mauritaniæ Santonum oriundus fuit, nobili quidem genere, secundùm sæculi dignitatem; gentili tamen. Quippè Albinus eius pater loci Dominus opibus, & clientelis præpotens, Maiorum superstitionem secutus, nullam veri Dei notitiam habuerat; quamuis aliundè, & quãtùm paganica sinebat religio, vir bonus, & prudens, qui satagens de filio, sic eum à prima ætate erudiendum curauit, vt præclaræ animi dotes iam inde à puero in illo apparerent, signa prænuncia eorum, quæ Deus postmodùm in homine impleuit. Nam quamuis primas inter coæuos adolescentes, propter prærogatiuam honoris teneret, sic se in mediis deliciis, & voluptatum illecebris continebat, vt iam Christo regeneratus intelligi posset purus & integer ab his vitiis, quibus illa ætas implicari solet: multa illi circa socios benignitas, multa erga

egenos charitas, multa erga superiores humilitas, & patientia, vel vltra humanum modum, vt non mirum videri debeat, quomodò tam citò Christum animo conceperit, qui vltrò se veræ pietatis candidatum profitebatur.

Viuebat tunc temporis miraculis, & sanctitate clarus Martialis Lemouicũm Episcopus, qui (si Gregorio Turonensi Episcopo credimus) durante Decianâ persecutione, cum sex aliis Episcopis ad prædicandum in Gallias missus fuerat. Ille boni pastoris functus officio, ouile sibi commissum lustrando vicinas vrbes, & locos circuibat, Burdegalam, Pictauiam, & Sãtonas. Qui cùm Deo inspirante Mauritaniam venisset, hospitióque acceptus ab Albino, & Eugenia vxore eius Christum eis annuntiasset, ita protinùs in eorum animis diuini amoris ignis exarsit, vt statim abiectis idolis Christum profiterentur, baptismatéque sancto cum filio, & totâ domo irroratâ, Ausonium Martiali instituendum commendarent, sicque adolescens Ausonius famulatui veri Dei mancipatus, & sacræ doctrinæ factus auditor: non est credibile, quantùm in ea modici temporis spatio profecerit, qualis virtutum cumulus ei accesserit, non illi curæ sunt opes, non prædiues deuoluenda hæreditas, non sodalium familiaritas. Vnus ille omniũ instar Dominus Iesus, quẽ redamet, & colat, pro cuius nomine paratus sit vel sanguinem effundere: Sed aliquantùm pòst temporis admonitus in somniis, vt suos, inter quos plures adhuc gentilitas detinebat, religiosâ sollicitudine visitaret, de consensu magistri profectus patriam repedauit; multósque ex propinquis, & popularibus suis ab idolorum seruitute liberauit, eis prædicans Iesum Christum, & hunc crucifixum. Quæ Martialis intelligens discipulo redeunte gratulatus, admonitúsque, Dominum Ausonij velle vti operâ, impositis manibus, & Diaconatus officio, eumdem circa vrbes propinquas dimisit ad seminandum semen Euangelicum.

Erat tunc temporis vrbs Engolisma cum toto adiacenti pago idolis dedita, & sub ditione imperij Romani à Garrulo Præfecto administrabatur. Huc ergo diuertit Ausonius, iecitque prima Ecclesiæ Engolismensis fundamenta, primus ea in vrbe Christi Apostolus; occultus tamen initio propter metum paganorum. Garrulo autem erat soror nomine Caliaga. Hæc cùm ad marginem fluuij Carantonæ radicem montis, cui

vrbs imposita est allabentis cum coæuis puellis spatiaretur, erupit è fluuiali specu sub specie draconis dæmon nequissimus, irruítque in pauidam virginem, & diu vexatam similem reddidit exanimi. Ecce puellæ corpus moribundum ferebatur fratri præsentandum. Cùm ille miserandi casus iam factus certior, occurrit in via Deos suos obiurgatus: fit concursus multitudinis, ingens luctus vndique. Tum beatus Ausonius tempus aduenisse intelligens, quo onus sibi commissum propalàm exequeretur, plenus Spiritu sancto se in medio populi protulit, confisúsque de superna virtute, & memor verborum Domini qui dixerat: Si quid petieritis patri in nomine meo, ille dabit vobis. Ad Præfectum verba dirigens ait. Ne tristeris Garrule, potens est Deus leuare virginem ab immundo spiritu; sed & animas vestras si consenseritis: crede, & liberabitur soror tua. Ad quem Garrulus. Quisnã deorum habet tantam potestatem. Et Ausonius. Dominus Iesus Christus qui spiritibus dominatur. Et Garrulus: Quis est Dominus Iesus? Ausonius ait: Is est, quem prædicat potens in verbo & opere Martialis. Et ille: Ecce paratus sum credere, si fiat mihi secundùm verbum tuum. Tunc beatus Apostolus manibus in cœlum elatis ait: Deus optime maxime, pater Domini nostri Iesu Christi, apud quem non impossibile est omne verbum, respice in faciem dilecti filij tui, qui reseratis inferi portis suos inde abducens, tenebrarum principem domuit, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, inque eius reuerentiam dignare hanc puellam à persequente diabolo mundatam, vitæ meliori restituere, simúlque excæcatos cordis oculos populi huius, radiis iustitiæ tuæ illustrare, vt cognoscat te vnum, & verum esse Deum datorem perennis vitæ, æquè ac mortalis. Addítque apprehensâ virginis manu: Adiuro te immunde spiritus in nomine Domini Iesu Christi, vt ab hac puellula innoxius recedas, & demergaris non reuersurus in specum tuam. Quo dicto frendens ille, assumptâ iterùm draconis formâ, videntibus cunctis prosiluit, inque fluuium demersus est, puella autem in pedes constitit dans honorem Deo.

Tunc Præfectus cum omni turba adstantis populi ait. Quid moratis, Ausoni, nos Christianos facere? Ecce serui Dei tui,

& Dei nostri. Quibus ait Ausonius: Audite viri Engolismenses conserui, & cohæredes Regni Dei; vidistis quæ Dominus Iesus per manus nostras facere dignatus est. Nos quidem ministri fuimus voluntatis eius, ille verò author operis nostri; vt per hoc credatis, quia est Dominus omnipotens, qui fecit cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui permisit inimico humani generis Sathanæ. vt sub specie serpentis, quemadmodùm & primis parentibus nostris, vobis insidiaretur: hic serpens qui Caliagæ vim iniecit, diabolus est, qui tanquàm leo rugiens circuit vos, quærens quem deuoret: huic Deus dedit potestatem nocendi immerenti virgini, vt per hoc liberemini in posterum ab illius seruitute, cùm intelligitis quā potens, pius & misericors sit Dominus. Credite ergo in Deū, & eius Filiū Iesum Christum: credite in Spiritum paracletū: accipite sanctum baptisma, quo signati tuti sitis à serpente inuisibili, hisque dictis omnes in dicto fluuij margine lauacro regenerationis perluit. Quod audiens sanctus Martialis, qui Lemouicis mansionem faciebat, & quanta Dominus operatus fuisset per Apostolum suum, gratulabundus discipulo, & nouæ in Deo Ecclesiæ, venit Engolismam, vt animos adhuc infirmorum Deo stabiliret, confirmarétque aduersùs insidias non credentium gentilium. Quo in loco cùm per aliquos dies moratus fuisset prædicans regnum Dei, & cum idolatris disputans, videns non esse bonum fideles sine pastore manere ad instantiam eorum beatum Ausonium eis præfecit Episcopum, eíque commendatâ Christi Ecclesiâ in propria reuersus est.

Iam verò sumpto Episcopatu qualem vir Dei se, quantúmque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere; quantum animarum profectum fecerit, accurrentibus vndique ex circumiacenti regione nobilibus, & rusticis ad verbum Dei audiendum; adeò vt passim multæ erigerentur Ecclesię, cùm hactenus in illis regionibus nomen Christi penè inauditum fuisset. Imprimis pia, & deuota virgo Garruli soror, quæ ab immundo spiritu liberata fuerat, adiunctis sibi aliquot nobilibus puellis virginitatem professa, locum, in quo orationi vacaret, à beato Episcopo meruit accipere extra vrbem à parte occidentali ad primum lapidem, vbi & præstante fratre ædificare

curauit

curauit Ecclesiam. Ipse quoque Episcopus aliam fidelibus conuocandis, & sacris peragendis construxit intra vrbem parte meridionali prope muros, beatæ, & incomparabili Virgini Mariæ consecratam, quam sub nomine sanctæ Mariæ de Pagina, ad nostra vsque tempora reseruauit. Sed & multa alia miracula beatum Ausonium fecisse, retulit nobis antiquitas: inter quæ in villa Varnensi, cœcum lumini restitutum narrat, Petragoreúmque Sigilbertum mansuefactione vrsi ad fidem conuersum, & plurima id genus, per quæ vir Dei prima Ecclesiæ Engolismensis fundamenta iecit, quæ breuitatis amore prætereo.

Sed nequaquàm reticenda est virginis Calefagiæ historia, quæ nobili orta sanguine, abundabat opibus, sanitate priuata; quippè quæ perpetuo sanguinis fluxu laboraret. Ad hanc peruenerat fama eorum quæ Dominus in dies per Apostolum suum edebat miracula: nec mora, iubet parari rhedam, quam plena spei bonæ conscendit aditura virum, in ipsóque instanti, fluxus eius sedatus est. Assidebat illi Comes Arcadius, qui à proposito dimouere puellam conabatur, docens quanta in medicis, & sortilegiis impendisset, inueteratum morbum nullâ ope sanari posse. Cùm ecce ipse morbus Arcadium inuadit: ita vt qui nuper incolumis Dominæ de medico detrectabat, iam vltrò æger ad vota vsque eum concupisceret. Quid ampliùs? Conuenit Ausonium Calefagia, ei sistitur Arcadius moribundus; hic præ infidelitate sua, illa iamdudùm per fidē à morbo sæuiente mundata: hic reatum fatetur, opem implorat; illa fidem augeri, confirmaríque valetudinem efflagitat: vterque voti fit compos, mundatur vterque, mentémque sanam in corpore accipit sano: fiunt Christiani Calefagia, & Arcadius; dispari tamen gratiâ, & tota Calefagiæ familia, ab illóque tempore dicta virgo, patriæ, & suorum oblita, Dei seruitio mancipata est, comésque Caliagæ indiuidua facta, ambæ virgines calore fidei accensæ, ambæ sacri velaminis benedictionem expectantes.

Virgines ergo Caliaga, & Calefagia cum cœtu nobilium puellarum vacabāt orationi & ieiuniis, tam mente quàm corpore reclusæ in ædicula ad id consecrata, & à beato Episcopo concessa ad primū vrbis lapidem, vt dictum est, virginitatem

quidem iam dudùm professæ, sed nondùm velatę, quod exequi vir Dei differebat, quoad eorum perseuerantiam, & zelum cognosceret. Quo demùm perspecto die ad id destinatâ, conuocato populo introduci virgines iubet, & quid peterent interrogat: dicentibus illis, se cupere Domino consecrari. Imponens velamen super caput earum, & comitantium virginum, eis benedixit, dicens: *Deus plasmator corporum, efflator animarum, qui ætatis aut sexus acceptionem non habes, nec vllam conditionem gratia tua ducis indignam; sed omnium æqualis es creator, ac redemptor: tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis bonus pastor ad conseruandam coronam perpetuæ virginitatis eligere dignatus es, & quæ futuris sæculis illis succedent in hac domo tua virgines, tuæ protectionis scuto circumtege, vt vincentes carnis illecebras, & mortalia connubia respuentes, insolubilem filij tui Domini nostri Iesu Christi copulam mereantur. His petimus Domine arma suggeras: non carnalia, sed spiritus virtute & potentiâ, vt in earum corpore te muniente non possit dominari peccatum, atque sub tua gratia viuere cupientibus, nihil sibi humani generis hostis de his vasis iam tuo nomini consecratis valeat vindicare; omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ tuæ cælestis extinguat: lumen verò perpetuæ castitatis accendat, facies scandalis pudica non pateat, nec incautis negligentia occasionem præbeat delinquendi, sitque in his cauta virginitas, ornata pariter, & armata, fide integrâ, spe certa, & charitate sincera, vt præparatis animis ad continentiam, virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli vniuersa figmenta, præsentia contemnendo futura sectetur, ieiunia epulis præferat, lectiones sacras choreis anteponat, vt orationibus pastæ, eruditionibus expletę, vigiliis recreatę, opus gratiæ virginalis exerceant: his virtutum armis has famulas tuas interiùs, exteriúsque communiens præsta inoffensum cursum virginitatis, vt hunc implere per Dominum Iesum Christum valeant, cum quo est tibi honor, & gloria in Spiritu sancto, nunc semper, & in sæcula sæculorum.* Cúmque dixissent Amen, confectis mysteriis eas dimisit.

Cæterùm de moribus eius quanta cum humilitate pater cũ filiis, pastor cum ouibus conuersatus fuerit, quanta eius grauitas in implenda Episcopali dignitate, in emendandis vitiis authoritas; qualis fides, zelus, & omnium virtutum exemplum

in eo apparuerit si vellemus dicere, victi materiæ mole succũberemus. Nam etsi facta illius explicari verbis vtcumque possint, interiorem vitam illius, & quotidianam conuersationẽ, abstinentiam in ieiuniis, perseuerantiam in vigiliis & orationibus, in ærumnis constàntiam, animum cœlo semper intentum, nullúmq; vacuum ab opere Dei tempus, nulla vnquam explicabit oratio. Nemo vnquam illum vidit fractum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus, idémque semper cælestem quodammodò lætitiam vultu præferens, nihil in illius ore nisi Christus, nihil in corde nisi pietas, pax, & misericordia. Sermo illius: omnes mundi huius illecebras, & onera relinquẽda, abnegandos nosmetipsos, Christum insequendum. Iam quid ille pro spe æternitatis non pertulerit, famis, vigiliarum, nuditatum, ieiuniorum? quæ non senserit inuidorum opprobria gentilium, infestationes? quid non sustinuerit laborum pro irriganda Domini quam plantauerat vinea. Hæc cùm vir Dei iam per aliquot annos fecisset, fœliciter functus Episcopali officio, prouidissetque pater sedulus Ecclesiis sub specula eius degentibus, Presbyteros, Diaconos, & Pastores pius Dominus ærumnarum eius misertus, finẽ illi per gloriosum martyrij exitum imponere voluit, qui contigit in hunc modum.

Olim populi erant superioris Germaniæ Vvandali, gens barbara, cęde & rapinâ victitans, qui persæpè in Gallias aliásque Imperij Romani partes irruptionem fecerunt. Prima illorum eruptio fuit tempore Valeriani, & Galieni Imperatorũ, anno salutis circiter ducentesimo sexagesimo, Duce Chroco: eius gesta nefaria, & vitam paulò altiùs repetere non abs re esse existimo. Hic verè Scytha natione, & moribus, nihil præter sanguinem, & cædes spirans, aliquando à matre (non absimilis naturæ fœminâ) quæsiisse fertur: Quâ re potissimùm æternam famam inter mortales sibi parare posset, dicente illâ: perpetuum nomen sibi comparaturum, si quæque præclara famosáque ædificia, vrbésque ipsas cum habitatoribus funditùs euerteret. Adiunctâ sibi sui generis perditorum hominum manu non modicâ, transuersáque Germaniâ Gallias adortus est, iam inde à tempore Iulij Cæsaris alta in pace degentes, nec sibi quidquam metuentes. Et primò apud Moguntium

(vt verbis Aimonij historici vtar) ponte transiens, ipsam vrbem miserabiliter deleuit; inde iter ad Metensem vrbem deflexit, cuius muri nocte, quæ diem aduentus eius præcedebat, diuino nutu spontè ruentes, viam irrupturis aperuerunt. Incertum vtrùm hanc diuina dignatio flagitiosis, & impœnitentibus inuexerit calamitatem ciuibus: an fortè, vt infandissimi homicidæ iusta accelerararetur perditio, quo cœlestia putans opitulari sibi suffragia, eò contenderet audaciùs vbi impij ausus merita lueret supplicia. Ciuibus denique Metensibus vsque ad internecionem deletis, Treuiros properat: inde vniuersas Gallias peruagatur, præcipuásque vrbes, insignésque antiquitate, aut opere, ædes funditùs subuertit: inter quas fuit & delubrum illud apud Aruernos celebratissimum: quod Gallica lingua Vasso appellatum memoriæ tradit Gregorius Turonûm Episcopus. Fuit quoque ista vrbs Engolisma, pluresque aliæ non ignobiles ciuitates, quibus incensis & dirutis, filius hic perditionis, nefandi patrator sceleris Chrocus, cùm tandem Arelatum vrbem peruenisset, interceptus à Mario Narbonensis prouinciæ Præfecto, deleto exercitu comprehenditur, perque vrbes, quas euerterat, ludibrio circumductus, immanis hostis omnium tormentorum genere excruciatus, pœnas, quas immerentibus populis inflixerat, miserandâ morte luit.

Vrbs ergo Engolisma ab Vvandalis obsessa est, in qua vicinarum regionum incolæ se cum suis receperant, scilicèt munitâ arte, & naturâ, & loco, nec eâ statim Chrocus potitus est, tam acriter resistentibus ciuibus, & pro salute, & liberis, sacrísque ipsis depugnantibus, quàm insolenter vrgente hoste immanissimo. Hic omni arte, & dolis oppugnabat pauidam ciuitatem, tuebantur se ciues loci opportunitate, seséque intra murorum claustra continebant, omni illis intercluso exitu. Pius imprimis Episcopus non tantùm armis fidei se tegens, indesinenter pro populo preces & lachrymas fundebat ad DOMINUM sed & muros circuibat, conueniebat vnũquemque, monebátq; vt forti animo crudelem Christiani nominis hostem propulsarent. Deniq; tam Ducis prouidi, quàm boni pastoris fungebatur officio, paraus ipse pro ouibus animam dare. Verùm cùm iam tamdiù protracta fuisset

obſidio, vt cibaria obſeſſis penitùs defeciſſent, Auſonius nullum ampliùs eſſe reſiſtendi locum intelligens, populum conuocat, & ſolatur dicens: *Chariſsimi fratres multifariam Deus populum ſuum affligi permittit, aliquando ad gloriam nominis ſui: ſæpiùs vt probet, caſtigetque: quoquo modo ſit laudandus Dominus, voluntatique eius obſequendum eſt: ne turbemini ergo de ruina veſtræ vrbis, ſi noſtri cauſa hæc accidunt, peccatores ſumus grauiora merentes, ſi Deo nos noſtráque gloriæ ſuæ inſeruire placet: Quis illi inuidebit, quando ipſius opus ſumus? Quis non gaudebit, quod dignus habitus ſit pro nomine Ieſu contumeliam pati? Soli non ſumus, quos viſitàuit Deus, ecce tota ferè Gallia pari calamitate perculſa, tradente Domino, in manus impiorum peruenit: Meliores non ſumus fratribus noſtris, omnes iniquè egimus, inueximúſque iram Dei ſuper nos; ſed pius, & miſericors Dominus quærentibus eum. Cedendum itaque eſt tempori, parendum Dei ordinationi, deprecandus hoſtis ſi fortè veſtri miſereatur: hominem conueniamus; ecce præibo vos: quantum ad me attinet certus ſum non vitaturum hoſtiles manus; ſed & cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: cupio pro vobis victima fieri: Nam expedit aliquando vt vnus moriatur pro multis. Expedit vt vnius ſanguine truculenti Chroci ira ſatietur, ne tota hæc plebs pereat. Sinite iam teſtem me eſſe apud hoſtes fidei eorum, quæ annunciaui vobis, vt & credatis, quia vera dixi.*

Hæc illo dicente dolor, & luctus inuaſit merentem populum. Eia, dicebat, cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent gregem tuum lupi rapaces, & quis eos perculſo paſtore prohibebit? Tunc ille conuerſus ad Dominum ait: Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſabo laborem, fiat voluntas tua. Deinde ad populum ait: Filioli, non iam eſtis ouile meum, ſed Chriſti; ille prouidebit gregi ſuo, eamus. Aſſumptáque plebe, Pontificalibus indutus ornamentis, cleróque comitatus, proceſſit ad portam vrbis orientalem, quæ Petragorica nuncupatur, vbi Chrocum habere tentoria ſciebat, & reſeratâ portâ ſignum hoſti dedit velle ſe eum alloqui. Ecce ille aduolat ſtipatus denſo ſuorum agmine, plenus minarum, ſanguinem ore ſpirans: cui beatus Auſonius ait. Inuictiſſime Rex, Deus propter delicta tradidit tibi nos: Tu homo memineris nos homines eſſe: ſi in te quidpiam

peccatum eſt : Ego ſum, Ego ſum, qui teſtis tibi obſiſtere voluì : Ipſe ſum, qui peccaui, parce innocenti plebi, condona furorem tuum ſupplicibus. Cui Chrocus : Eſne ille impietatis Christianæ aſſertor, qui conſiliis meis tamdiù obſtitiſti? Qui plebiculam hanc vanis Dei tui deliramentis infaſcinaſti? Num ſcis me eſſe Deum, & Deorum nuncium? Auſonius Dixit : Chriſtianus ſum, & Epiſcopus noui vnicum & verum Deum, qui fecit cœlum, & terram, huic nos Chriſtiani deſeruimus, hunc deprecamur diebus, & noctibus pro nobis, & pro te ipſo, Rex, & pro omnibus hominibus. Chrocus dixit : In hac ergo voluntate perſeueras? Auſonius dixit: Bona voluntas, quæ Deum nouit, mutari non poteſt. Chrocus ait : Da honorem diis immortalibus. Auſonius dixit: Nõ faciam. Chrocus ait: Ergo morieris. Auſonius reſpondit: Fac quod libitum eſt, in re tam iniuſta nulla eſt conſolatio. Tunc Chrocus eum apprehendi, & capite plecti iuſſit. Et ita beatus Epiſcopus paſſus eſt, eiúſque corpus clãm ſublatum à Calinga, & Calefagia virginibus, inque conſtructo ab his delubro ſepultum à parte ſeptentrionali non longè à porta. Paſſus eſt autem beatiſſimus Auſonius Martyr die xj. Iunij Galieno imperante, regnante vero Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſæcula ſæculorum. Amen.



AD LIBRVM QVARTVM.

AD Caput IV. Victoris nomen plurimis sub Maximiano Martyribus commune fuit; At huius Massiliensis, & sociorum Acta ex MS. Codice hæc sunt.

Incipit passio sanctorum Victoris, Alexandri, Fæliciani, atque Longini, xij. Calendas Augusti celebrata.

MASSILIA Ciuitas ampla quondam mirabili structuræ suę firmitate, simul & pulchritudine gloriosa, in optimo terræ solo in capite Galliarum sita, terrâ marique omnium ferè gentium commerciis patens, immensâ diuitiarum opulentiâ, & frequentibus populorum turbis, armorúmque terroribus inclyta fuit: vnde & Romanæ potentiæ meruit esse in occiduis partibus quædam propria sedes. Quare & Romanorum numinum, immò Romanorum dæmonum studiosa cultrix, & sacrilegarum superstitionum acerrima & ferocissima defensatrix habebatur. Quas ob res superba nimis, & pessima tantâ crudelitate in Christianorum supplicia, sanctorúmque neces, velut totius humanitatis immemor raptabatur; vt collectos vndique circa se piorum greges, ad aduentum maximè Imperatorum instar luporum raperet. Sed nec ipsis ciuibus parcens, quoscumque Christiani nominis inuenisset, absque vlla miseratione ætatis, aut sexus, quasi ad triumphum suorum dæmonum variis ludibriis affectos, & irrecitabilibus tormentorum generibus excruciatos, viliùs quàm pecudes trucidaret. Inter quas sanctorum martyrum gemmas Victor sanctissimus, velut cæteris stellâ fulgentior gloriosus claruit: vel quòd esset nobilior, vel quòd in religione nostra instructior, & feruentior, atque famosior, vel quòd de ipsa cæteris

pessimis immaniore, & truculentiore bestiâ, Maximiano videlicèt Imperatore, cum ipso cominùs pugnans, insigniter, & dignè suo nomine triumphauit. Maximianus enim cùm pro Sanctorum sanguine quem per totum orbem crudeliùs aliis, maximéque per totas Gallias recentiùs fuderat, & præcipuè pro famosissima illa Thebæorum apud Agaunum cæde, nostrorum plurimis nimiùm terribilis factus Massiliam aduenisset, vt secundùm scripturam impius adhuc impiè ageret: cuncta illuc crimina sua cum vita nequissima impleturus, ne quid sibi deesset scelerum, pietati protinùs insatiabilis tortor, velut parùm hactenùs fecisset, totâ rabie bellum indicit: Christicolásque, nisi sacrificent idolis, exquisitis mortibus deperire iubet. Tum verò tantâ malorum nube oppressus, perturbatúsque nostrorum animis inuincibilis, sese in medium Victor opppofuit, singulis noctibus sanctorum castra sollicitè circumiens, & per domos singulas ad amorem æternæ vitæ, & contemptum transitoriæ mortis seruorum Dei corda confortando succendens.

Talibus insistens fœlix hostia mox futurus deprehenditur, ac Præfectorum tribunalibus præsentatur. Præfecti primùm suadent clementiùs viro, ne deorum culturam sperneret, nec consueta militiæ stipendia, & Cæsaris amicitias pro cultu cuiusdam olim mortui recusaret. Ille statim sancti Spiritus armatus eloquio, deos, quos dicebant immundissimos dæmones efficacissimè comprobat: militaria verò stipendia, & Imperatoris amicitias se Christi militem in contumeliam Regis sui nullàtenùs habere velle respondet: Dominum autem Iesum Christum, altissimum Dei filium pro charitate restaurationis humanæ, verè quidem hominem fuisse mortalem, & ab impiis se volente occisum, sed diuinæ suæ virtutis potentiâ die tertiâ suscitatum cœlos ascendisse, & à Deo patre regnũ super omnia stabile suscepisse, vultu constanti, ac liberæ vocis plenâ authoritate protestatur. Nec mora circumastantium clamor ingens in cœlum attollitur, pius Domini confessor ab omnibus iniuriatur. Sed quia vir clarus erat, iudicatum à Præfectis est, vti eius causa ad Cæsaris audientiam referretur. Quo facto ille efferato animo subitò conuersus in furias dilationis impatiens, iubet athletam sanctum suis tribunalibus præsentari.

Beatissimus igitur Victor coram tribunali furentis Imperatoris statuitur, multísque vndique accusationibus impetitur omni calliditate, summísque terroribus ad sacrificia iterùm dæmonum perurgetur. Martyr verò exaudito terrore robustior, velut qui gehennas leui commercio vinceret, nec auferri de terra veritus, qui municipatum cælestis curiæ iam sentiret, de promptuario sancti Spiritus recreatus, Imperatorem sæuissimum, cunctósque Principes eius mirâ prudentiâ, & animi virtute confutauit, idolorum cultus assertionibus claris euacuans, Iesum Dominum verum Deum esse certâ publicè ratione confirmans.

Tunc impiissimus Cæsar omni ferâ crudelior, omni dracone malignior, face succensus in rabiem vertitur, sanctúmque Martyrem funibus coarctatum per totam vrbem præcipit volutari, vt ex ignominiosa viri pœna, & deorum suorum vindicaret iniurias, & nostrorum simul animos territaret. Datâ sententiâ conclamat exercitus insanientis populi, vndique ad spectaculum multitudines ruunt, dumque per totam ciuitatẽ brachiis pedibúsque ligatis Christi athleta pertrahitur, impiis manibus, vel maledico saltem ore, prout quisque poterat cruciatus adaugent, ita vt pro reatu non minimo sibi duceret, qui ad eius iniurias non aliquid adiecisset.

Tali ergo ludibrio cùm satis supérque vulgi nefandissimi oculos satiasset, ad tribunalia Præfectorum sanctissimus iterùm Victor laceratus, cruentúsque reducitur, de negando Christo, & diis adorandis acriùs itidem peroratur; putantes enim pœnâ, & contumeliis, populíque tumultibus fessum animo decidisse, nec iam de superfluo locuturum, qui sibi potiùs consulendum esse crudeli experimento didicisset, de iniuriis Cæsaris, ac totius reipublicæ grauiter conqueruntur. Tunc deinde supremæ clementiæ, nihílque infœliciùs esse asserunt, quàm omnium deorum, & inuictissimorum Principum amicissimâ familiaritate posthabitâ, cuncta mundi oblectamenta, & gloriam, & honorem, ipsam quoque dulcissimam salutem corporis, pro eo quòd numquam viderit, perdere, cunctorum iras deorum, hominúmque in se gratuitò prouocare, cum omnium dolore charorum per summa tormentâ ad interitum festinare: proindè vel iam experto ratio-

nem sanioris eligendam esse consilij, nec contemnendos esse deos; quorum manifesta maiestas fulgeret in templis, quorum beneficia sentirentur à cunctis, quos veneranda antiquitas adorasset, & summi Principes colerent, quibus propitiis laterent cuncta, quibus aduersis durare mundus nec ipse valeret. Illi sanè quantocyùs renunciandum, qui & viuendo semper pauperrimus fuerit, & quàm esset impotens moriendo demonstrauerit: id si faceret, futurum vt imminentia supplicia lucraretur, & de intimâ Cæsaris amicitiâ, summísque honoribus ipsis posset interuenientibus gratulari. Quæ si respueret, ad illam quam nemo vmquam vidisset Christi sui gloriam, non aliter quàm ipsius exemplo per summa tormenta, & contumelias, totius opprobrium, & abiectio populi factus esset illicò transiturus.

Cùm Martyr de primo impetu penè victor, & sancti Spiritus factus oraculum imperterrito, & infatigabili animo, Deo confortante persistens, ad hunc modum concionatus, ait. Si de inimicis Cæsaris, & reipublicæ agitur, numquam, inquit, Cæsari, numquam reipublicæ nocui, non honori Imperij quidquam detraxi, non ab eius me propugnatione retraxi. Quotidiè pro salute Cæsaris & totius Imperij studiosè sacrifico, quotidiè pro statu reipublicæ coram Deo meo spirituales hostias macto. Dementissimum autem non abs re videri omnibus æstimo, si quis vnum aliquid ita diligat, vt non id pro centuplo meliore postponat. Quid verò si illud vnum, nec prout cupias habere, nec si habeas sine metu gaudere, nec cùm maximè sollicitus sis valeas retinere. Illud verò centuplum mox vt volueris, præ manibus habeas: cùm tenueris, securus gaudeas; quòd nullo iam fine, nullo sui, tuíve defectu, nullius deinceps violentiâ perdas. Proindè sanioris ratione consilij, omniúmque iudicio sapientium familaritas Principum, mundi oblectatio, gloriæ, honores, salus corporis, charorum cognatio, & huiusmodi cætera, ipsa denique temporalis vita, quæ nec pro voto acquiri, nec securè haberi, nec vel longiusculè teneri omnibus planè notissimum est: æternæ vitæ ineffabilibus, & stabilibus gaudiis, summíque omnium authoris amplexibus postponenda sunt: quem cùm amaueris, habeas: cùm habueris, cuncta pariter cum illo possideas. Nec

te doleas hæc ipsa, quæ deserueras momentaneè reliquisse, quæ commutatione leuissimâ, incomparabiliter meliora in æternum gaudeas recepisse. Non autem tormenta sed refrigeramenta rectè dici, quæ cruciatus æternos extingunt, nec mortem, sed salubre poculum reputari, per quam ad talem vitam transitus procuratur. Illo sanè nihil insanius, nihil omnium conscientiâ teste, vecordius, qui hoc tanto bono sine causa posthabito, manifestum vitæ suæ hostem studiosè vt Deum colat: vnde & post vitam nihil aliud, quàm mortis æternæ mercedem, & inexplicabiles sine termino cruciatus acquirat. Quis enim vitæ humanæ truculentior hostis appareat, quàm qui agenda docet, proprióque exemplo suadet, quæ & extrema sint agentis opprobria, & iustissimis legibus capitaliter puniantur? Nonne autem agenda docentur, quæ publicè recitari, quæ laudando cantari iubentur? Tales quippè, tales sunt dij vestri maximi, quibus præcipientibus horrenda sua scelera non solùm recitantur, sed & visibiliter effinguntur in theatris, cantantur, & summis laudibus celebrãtur in templis. Cui enim vestrûm nescire licet funestas rapinas, & quantùm in se fuit nefanda parricidia summi Iouis? Cui innumera eius stupra, & adulteria furtiua, & publica, fraudulenta, & violenta ignorare permissum est? Nunquid Reginæ deorum sororísque Iouis maligna crudelitas, & fraterna secum incesta latuerunt? Nonne palàm sunt Martis implacabilis ferocitas, & obscœnissimi Priapi, necnon & fœdissimæ Veneris turpitudo? Quid deas febres, deósque pallores & huiuscemodi deorum referã greges; quos ipsi vos deos malignos, & saluti inimicos humanę prædicatis? Pudet memorare deos Stercutios, & deas Cloacinas, & mille talium portenta deorum, qui tanto dedecore miseros suos cultores afficiunt, vt venerari cloacas, & stercora deorum scilicèt talium templa compellantur. Patet igitur quàm truculentissimi, & vltra omnes inimicos immanissimi hostes sint hominum isti dij vestri magni, quorum lignea, vel lapidea, vel ærea maiestas à vobis facta, & stabilita, à muribus, seu auibus stercoratur in templis, quorum prædicta maleficia, nulla verò beneficia sentiuntur à suis: quos venerata vestra misera antiquitas periit, quos vtinam vestri Principes tollendo fœliciùs viuerent, quibus propitiis, cuncti quibus propitij

sunt, iubentur à iustissimis legibus capitaliter plecti: quibus aduersis per mundum innocentia, honestas, & iustitia reflorescit. Non enim illi propitiari nisi similibus possunt, dissimilibus enim nequeunt, quia nulla contraria sibi inuicem conuenire possunt: similes verò illorum, & iustissima lex, vt diximus, cum pessima nota de medio exterminat, & ipsa æquitas nihil illis post vitam aliud, nisi mortis æternæ supplicia seruat: be atitudinem quippè nemo vel insanus concedit: Restat ergo quidquid post hanc vitam talibus retribuitur id esse, vt quoniam numquam beati sunt, sempiternâ miseriâ moriantur. Quoniam igitur dij vestri dissimilibus quidem aduersis, similibus autem semper sunt mortaliter inimici, ratione firmissimâ constat, quòd eos nemo colere debeat, quorum & cultura viuentes semper turpissimos, & retributio, siue in hac vita, siue post hanc vitam facit miserrimos, quos nec aliquatenùs deceat formidari, cùm sola sit eorum propitiatio metuenda. Illum sanè quantâ charitate, quantâ veneratione dignum est adorare, qui, cùm inimici essemus, prior nos dilexit: qui & deorum turpium nobis fraudes aperuit, & vt nos ab illis eriperet, non suam minuens Deitatem, sed nostram vestiens humanitatem, inter nos Deus permanens, homo factus apparuit vt pauperrimos ditaret, nostræ se paupertati cùm ditissimus esset, pauperrimus veniens, configurauit: cuius illa humana conuersatio nobis est omnis virtutis, & honestatis exēplum: cuius indebita mors debitam nostram aboleuit in æternum, & dum isti dij, immò pessimi dæmones illum innocentem nostrâ infirmitate velatum, iniustè expetunt, quos à se deceptos captiuauerant iustè perdiderunt. O quàm diues illa, quam obiicitis paupertas! quæ quando sibi placuit solo iussu piscibus impleuit nauiculas, quinque panibus, quinque millium satiauit turbas! O quàm fortis infirmitas, quæ omnes suorum infirmitates sanauit? O quàm munifica mors, quæ tot mortuos suscitauit! Quæ ne fortè minùs vera esse aliquatenùs æstimetis, aspicite ab initio prædicta innumerabilibus miraculis totius creaturæ attestatione firmata. O si intentè videritis quantus iste sit, cui totus est obediens mundus, qualis sit, qui est desiderabilis totus, in quo nihil vituperabile, in quo totum laudabile, cuius charitas omnes recipit, cuius iudicium

nullus euadit. Quid eius vitâ ſanctius? Quid doctrinâ rectius? Quid promiſſis vtilius? Quid minis terribilius? Quid eius tutius patronatu? Quid laudabilius amicitiâ? Quid iucundius gloriâ? Quis deorum huic ſimilis? Quis huic comparabilis? Omnes enim dij gentium dæmonia, Deus autem noſter cœlos fecit, & ideò illi cum ſuis cultoribus, æternis incendiis damnati ſunt, atque damnandi, ſicut ſcriptum eſt in ſancto Propheta: dij qui cælum, & terram non fecerunt, pereant de ſub cœlo. Vt in alio: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia. Vt iterùm. In ignem deiicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent. De iſto autem ſanctus Propheta dixit. Deus noſter præ omnibus diis omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Vnde & eodem Prophetâ teſte. Beati omnes, qui timent eum, qui ambulant in viis eius; Regis enim ſui gloriâ fideles milites non carebũt, propter quod ſecurè pro eius teſtimonio mortem nos vltrò ſuſcipimus, & quàm certa ſit noſtra ſpes paſſionis exemplo monſtramus. Quocircà viri illuſtriſſimi, viri doctiſſimi, mentis compotes, & ratione vigentes, ſemoto quæſo pauliſper odio, & contentione, iuſto examine, vim vtriúſque partis attendite, nec turpiſſimis, & inimiciſsimis dæmonibus damnatis, atque damnantibus vlteriùs vos ipſos traditis, nec diuinæ ſimilitudinis honorem quæ in vobis eſt eorum obcœniſsimæ turpitudini ſubſternatis, vt eorum damnationem euadere valeatis. Obedite autem ſanctiſsimo, pulcherrimo, iuſtiſsimo, clementiſsimo, omnipotenti creatori, & amico veſtro, cuius vos humilitas, ſi ei acquieſcitis, ſablimabit, paupertas ditabit, mors viuificabit, cuius vos nunc aduocant ſaluberrima, monita inuitant præmia, vt in æterna ipſius gloria paulò pòſt ſuſcipi, & in eius ſemper amicitia gratulari.

Cúmque peroraſſet martyr, impiiſſimi Præſides rationum pondere oppreſſi, adhuc, inquiunt, Victor philoſophari non deſinis? Vnum tibi elige, aut placare Deos, aut cum ſumma infœlicitate deperire. Si ſic inquit, proponitis, quod docuimus verbis exemplis firmandum eſt. Deos ſperno, fateor Chriſtum, quæcumque poteſtis date ſupplicia, cumulate tormenta. Exacerbati ergo reſponſis eius Præfecti ſacrilegi,

dum in laniando eo, alter alterum crudelitate vincere nititur, in se primitùs versi, orta rixa dissentiunt, pro qua recedente Euticio, optatæ sortes excruciandi martyris alteri cedunt.

Tunc Asterius, sic enim dicebatur, Christi militem mox iubet affligi. Quo facto, cùm diutiùs accerrimè torqueretur, attollens in cœlum lumina piam tolerantiam à misericordissimo patre Deo, cuius id esse donum nouerat, precabatur. Nec iam vltrà ferens clementissimus Iesus certatori suo insigne certaminis, victoriæque signum, crucem videlicet in manibus gestans, in specie consolantis apparuit dicens: Pax tibi Victor noster. Ego sum inquit Iesus, qui in sanctis meis iniurias, & tormenta sustineo: Viriliter age, & esto robustus; Ego enim tecum sum fortis adiutor in prælio, qui & fidelis post victoriam remunerator in Regno. Ad Saluatoris vocem protinus omnis dolor cunctáque irrita cessere tormenta. Tuuc ille mente, vultúque alacri, conuersus ad laudes immensas, visitatori, ac consolatori suo toto spiritu gratias referebat.

Lictores autem sæui cùm iam lassi deficerent, nihil autem se profecisse tripudiante martyre cernerent, depositum patibulo iussu nefandissimi Præsidis sub custodia militum in obscurissimum omnium carcerem trudunt. Et ecce benignissimus Iesus sponsionis suæ non immemor, noctis medio militi suo visitationem Euangelicam mittit. Continuò igitur solutis carceris claustris depulsa noctè, totum carcerem die clarior lux cœlestis irradiat. Exultans martyr laudes Domino cum Angelis leniter se demulcentibus cantat.

Milites ergo claritatem tanti cernentes fulgoris, ad pedes sancti cernui procedunt, veniam flagitant, baptismum petunt, quos pro tempore diligenter instructos, adscitis sacerdotibus ipsa nocte ad mare duxit, ibique baptisatos propriis manibus de fonte leuauit. Manè autem facto sanctorum militum Alexandri, Longini, Flœciciani, sic enim eorum nomina dicebantur, diuulgata conuersione: magnus ille draco Maximianus furore succenditur, feralia edicta proponuntur. Hæc omnia in Victorem, quippe qui author

fuiſſet, duriùs retorqueri: milites verò debere aut conſentire idolis, aut capitali ſententiâ condemnari.

Tunc beatus Victor nouos Chriſti milites præmiſſurus ad prælia, huiuſcemodi oratione præmuniuit dicens. O fortiſſimi commilitones, ô glorioſi certaminis anteſignani, opus eſt animis, nunc opus totâ fortitudine, fidem quam nunc Imperatori veſtro promiſiſtis viriliter cuſtodite, imminet enim hoſtis, adeſt pugna; vult enim hoſtis noua tyrocinia veſtra repẽtinus aggredi, vt ſi incautos inuenerit, palmã victoriæ ſe quodammodò ſurripuiſſe glorietur. Vos autem chariſſimi non ita negligenter inſtructi eſtis, non ita parùm Chriſtum didiciſtis. Vos quoque non ignoratis prælia, nec perdidiſtis militiam, ſed mutaſtis. Experiatur igitur Rex noſter quos elegit, quibus aciem primam fœlicis pugnæ commiſit: experiantur & inimici quos impetunt, nec vos degeneres in aliquo ſentiant: de quibus tam benè veſter Imperator ſenſit, vt recentiſſimis tyronibus ſummam rerum committeret, & primos belli euentus veſtræ fortitudini commendaret. Nec vos terreant bella, qui ſemper bella didiciſtis, nec vos aduocent peritura, qui iam præ manibus æterna videtis: ſupereſt vobis illa fortiter rapere: ſupereſt vobis per medias acies tranſire: quæ ſi paulò vobis interim aſperiora videntur, ipſum Regem noſtrum iamiam per talia tranſire, cognoſcite; ipſum, non alium ducentem audite. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mundum. Ipſum, inquam, ipſum fiducialiter mente, & voce contra omnia dura inuocate: non vobis fideliter inuocantibus deerit, qui ſuis omnibus veraciter promíſit, dicens. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Denique huius rei me ipſum vobis exemplum fidele propono; dum enim appenſus patibulo intolerabilibus cruciarer anguſtiis, miſericordem Dominum ſupplicibus lachrymis inuocaui, & ecce protinùs illum video glorioſum noſtræ redemptionis ſignum in manu ferentem, & dicentem mihi. Pax tibi Victor, ne timeas; ego enim ſum Ieſus, qui in Sanctis meis iniurias, & tormenta ſuſtineo. Ad cuius vocem tanta mihi ſtatim virtus infuſa, vt nulla penitùs ſupplicia reputarem. Quapropter chariſſimi virtutis veſtræ memores, in authorem omnium Ieſum Dominum, & quâ ille tranſierit,

quò peruenerit aſpicientes, ne timeatis minas volaticas mortalium hominum, quibus promiſſa iam præ manibus eſt immortalium ſocietas Angelorum; & momentanea ferte ſupplicia, vt triumphaliter ſuperare poſſitis æterna; & qui anteà malebatis mori, quàm vinci perpetuò perituri, nunc patimini oro vos vincere, in æternum poſtmodùm regnaturi.

Talibus armatos, vnàque Victorem ſanctum miſſi apparitores ad forum ſuperius rapiunt: quibus auditis certatim ad ſpectaculum tota penè ciuitas ruit. Alios furibundæ mentis inſania pertrahebat, alij meliore ſpiritu cupiebant videre ſanctum Martyrem cum diabolo dimicantem: vulgi concurrentis vndique confuſio perſonat; tumultu & clamore omnia replentur, in ſanctum Martyrem maledicta, & conuicia vndique iaciuntur. At ille contra omnia illata robuſtior permanens, cùm ab impiis cogeretur vt vel milites, quos auerterat, ad cultus deorum reuocaret. Quæ, inquit, ipſe ædificaui deſtruere mihi non licet. Interrogati ergo ſancti Alexander, Fœlicianus, atque Longinus in confeſſione Domini fideliter perſeuerant, moxque ex Imperiali iuſſu gladio feriuntur, corporáque proiicientes temporalia, vitâ potiuntur æternâ.

Sacratiſſimus autem Victor cernens ſanctos milites neci datos; lachrymabili voce Dominum deprecabatur, illorum ſocius eſſe martyrio pariter & gloriæ mereretur, quorum poſt Deum crudelitatis, & confeſsionis auctor extitiſſet. Statim igitur glorioſus Martyr conclamantibus turbis vndique tunditur, iterúmque ſuſpenſus, fuſtibus, neruiſque taureis reuocatur ad carcerem: vbi triduo in oratione perſeuerans, martyrium ſuum magnâ contritione cordis, & multis lachrymis Domino commendabat.

Deinde funeſtus Cæſar auditâ conſtantiâ Martyris, velut ad vltimum tortor inſanior reſeruatus, ſuis eum aſpectibus imperat ſiſti. Tunc interrogatione factâ Martyr perſeuerantiſsimus, idem qui fuerat in confeſsione Domini per omnia reperitur. Tum verò quaſi de nouo furor, & rabies in Chriſti militem debacchatur, tum minæ, terroréſque, maledicta, & conuicia denuò renouantur. Intereà Maximianus Iouis aram iubet afferri. Mox igitur coram ipſo ara componitur, ſacrilegus quoque ſacerdos paratus aſsiſtit. Tunc Imperator ad S.

Victorem

Victorem. Pone, inquit, thura, placa Iouem, & noster amicus esto. Hoc audito fortissimus Christi miles, sancti Spiritus ardore inflammatus, seséque ampliùs ita ferre non sustinens, velut litaturus propiùs accedit, arámque de ipsa manu sacerdotis solo tenùs pede prostituit, atque ipsum pedem iussu mox detestabilis Cæsaris amputatum, Deo & Regi suo Domino Iesu Christo, velut quasdam suaue olentes primitias interim sui corporis dedicauit.

Ad vltimum verò iam totum corpus, & animam Domino redditurus edicto Cæsaris ad molam pistoriam ducitur. Ibat autem ita celer, & hilaris, ac si nihil penitùs passus incommodi videretur. Igitur cruentissimi, & execrabilis tyranni iussa complentes lictores sæui, gloriosum Martyrem toto mox corpore rotatu celeri conterendum, pistoriæ moli supponunt. Tunc electum Dei frumentum sine miseratione conteritur: tunc inuictissimi Martyris ossa fœlicia crudeliter conquassantur. Sed cùm dissipatâ paulò pòst diuinitùs machinâ spirans adhuc aliquantulùm videretur, ad perfectam eius plenámque victoriam, tot Domino confessionibus dedicatum, tot, & tantis agonibus decoratum gladio illi caput abscindunt: quo facto mox desuper vox cœlestis intonuit dicens. Vicisti Victor beate, vicisti.

At infœlix Maximianus speciale dæmonum templum, à quibus hactenùs fuerat superatus sperans se vincere, vel defunctos, ad cumulandas Martyrum glorias, omni humanitate sepulturæ posthabitâ, eorum corpora in profundo maris brachio, quo à meridiano latere ciuitas cingitur, à piscibus deuoranda submergi facit; Sed pius Dominus meliori consilio & honori Sanctorum, & posterorum patrociniis prouidens, ministrantibus Angelis natatu celerrimo sancta corpora in oppositum littus illæsa transponit, ibique à Christianis in crypta natiuo in saxo operosè, ac decenter excisa, sepulta, multis vsque in hunc diem miraculis honorantur, multáque beneficia piè petentibus ipsorum meritis conferuntur, per Deũ, & Dominum nostrum Iesum Christum, cui sit laus æterna, virtus, honor, & imperium, cum Deo Patre & Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Passio sancti Victoris Martyris,

f

CArdinalis Baronius Annalium Tomo III. hanc passionem in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, versibus descriptam esse narrat; Illos accipe ex eodem MS.

Incipit Passio S. Victoris Massiliensis.

CVm studeat dæmon Sanctis inferre polemon,
Nec iam lætetur, nisi fallat & insidietur,
Est opus instandi, ne qualibet arte nefandi,
Mens decepta cadat, per quod sibi gaudia tradat;
Perditus, & tristis, semper vacat artibus istis,
Pugnat, & instigat quærens vbi spicula figat,
Nam satis ignitas plures habet ille sagittas,
Quas qui non cernit, stultus quasi somnia spernit;
Spernitur, & spreto moritur pars intima letho,
Dumque dolet vitam, dolet hanc non nosse sagittam;
Si fieri posset, spondens quia iam benè nosset,
Sed doluit frustrà, qui polluit vltima lustra.
Quàm benè, te Christe Martyr cognouerit iste,
Mors probat, Ignoti non est hæc passio voti,
Si non nouisset, non in Victore fuisset,
Tam celebris virtus, quàm Victor abhorruit ictus;
Dicere Victorem palmæ designat honorem,
Nec foret hic Victor, si posset vincere lictor.
Prologus explendus, quia mons grauis aggrediendus;
Ergo meis gestis ne detrahat æmula pestis,
Tu Deus hanc arce, si quid minùs infero parce.

Cùm furor insani regnasset Maximiani,
Nec minùs insanus collega Diocletianus,
Vt par majestas, vt par in vtroque potestas,
Sic fuit ad funus Sanctorum spiritus vnus,
Vnus & ad pœnas animus laxabat habenas,
Et velut ad quosque suadebant templa deósque;
Sic tumulum Christi prohibebant omnibus isti.

Tantus erat terror, tantus iam creuerat error,
Vt fidei cultum nusquam paterentur inultum,
Alter enim princeps, & cui par nemo deinceps,
Hanc habuit curam, cladem post liba futuram,
Massiliæ scribit, nolens libare peribit,
Mandat, & hic turbis, magis autem ciuibus Vrbis,
Vt benè perquirant qui sunt qui in numine spirant,
Nec lateat scribit, quia si valet ipsemet ibit.
Adueniens ergo postponens cætera tergo,
Præcipit assisti dictos à nomine Christi,
Sistitur iste foro de quo dictare laboro,
Nescit adhuc vnus quid dicat vterque tribunus,
Cur sic Victor hebes, aiunt, contemnere debes
Leges Romanas, & res inducere vanas?
Non id, non nosti quid regnum debeat hosti,
Vtrique dona feret qui nostris legibus hæret,
Insuper vt duret tua iam deuotio curet,
Multùm delinquis Victor, concedo quod inquis,
Nec sumus ignari sic nos debere precari,
Victor ait Præses si non responsio deses,
Cur piger existis coram præsentibus istis,
Hic vbi sunt aræ nobiscum sacrificare?
Sic etenim diras sedares Principis iras,
Nec foret incertum, regem tibi iure misertum
Victor ad hæc sanctus quantos sæpissimè planctus,
Propter eos planxi, quantísve doloribus anxi,
Cor recolens illos quos hîc patet esse pusillos
Vt miseris fatus, fatus magis, immò profatus,
Subiiciant mentes per abusum dona ferentes,
Nunquid ad hoc numen si vis intendere lumen,
Cùm videas ipsum quod habes pro numine gypsum
Ipse Deum credes qui per te venit in ædes?
Nonne recordaris quia per te pausat in aris,
Primò fuit limus, nunc inter numina primus,
Is fuit hoc vile seu puluis siue monile,
Ex aliqua fago fuit hæc deitatis imago,
Et modò multimodas cùm per te suscipit odas,
Per te formatus, per te fuit appretiatus,

Vt leuedem signum, formæ Iouis inspice lignum,
Pro populi cura sacra latet ipse figura,
Si non sit verè, tamen hunc concedo latere
Hæc modo sublimis quasi partibus imperat imis.
Lapsa per euentum si corruit in pauimentum,
Cùm fuerit fracta, sunt de Ioue cuncta peracta.
Sic fuit in Christo sicut concedis in isto,
Carne flagellata diuinitas manet inuiolata,
Mors & aperta cutis medicina fuere salutis,
Qui cruor extractus pollutos abluit artus,
Quod fuit existit, nec mors nec plaga resistit,
Quum triduo facto mortis iam principe fracto,
Surgeret & cœlis se redderet, esto fidelis,
Transfer ad hunc mentem, montes transferre potentem,
Ob scelus obliquum, nec te subuertet iniquum.
Dixit ad hæc Prætor, quod despicis hoc ego lætor,
Præbes verba satis sed nullius vtilitatis,
Per similem casum speras hoc esse suasum,
Partem diuinam non substituisse ruinam,
Atque per hoc tandem vis vt fateamur eandem,
Vim Iouis & Christi, seu par sit Iuppiter isti.
Iuppiter æternus Deus est, tuus iste modernus,
Iuppiter in cœlo vehitur saltante camelo,
Rex tuus ad bellum passurus duxit asellum,
Golgotha mons mortis situm sua dextera fortis,
Transferat vt montes vel possit perdere fontes,
Cur non translatus fuit, aut cur ipse Pilatus,
Non luit hanc pœnam per qualemcunque cathenam,
Desine quod faris, nescis cui ista loquaris,
Victor tu cessa, tua Vox sit morte repressa,
Qui bona praua putas, & deprauando refutas,
Omni personæ conceditur ex ratione,
Propositum veri vera ratione tueri,
Esse putas cœlo vectum saltante camelo,
Quem pehibet planè mœchatum fabula Danæ,
Et liber auctoris difamat forde sororis,
A Stygiis multer si tantus vixit adulter,

Si tamen est aliquid natura quod esse relinquit,
Respuo quidquid agas cùm centum sumpsero plagas,
Cùm me discerpes, dicam nihil in Ioue perpes,
Hoc nisi duntaxat, quia qui peccata relaxat,
Damnat in æternum qui vel putat hoc hodiernum,
Rex meus ad bellum supplex ascendit asellum,
Vt monstraretur cùm suppliciter veheretur,
Mortem sponte pati sub conditione Pilati,
Namque latere fuga sic & procedere nuga,
Si fugis à bello non sponte sedebis asello,
Denique si vellet nullus potuisse refellet,
Si quid obesset ei medio splendore diei,
Vel si celasset vel se super astra leuasset,
Posset & vlcisci quia posset & hoc adipisci,
Vt superi cætus fieret solamine fretus,
Hoc tetigit fontem: sed nec transponere montem
Cura fuit grato tulit hæc Deus omnia fato.
Prætor, quæ tractas nisi decipis & nisi mactas,
Paucos ante dies vt ego reor hostia fies,
Et modò nobiscum qui posses cingere discum,
Vt decet Athletam sumens cum rege dietam,
Qui tibi si velles daret aurum, pallia, pelles,
Postque datum munus posses mox esse tribunus,
Consilio nostro geminato cerneret ostro,
Vltra quemque parem faceret sibi consiliarem,
Posthabitis istis Regíque diisque resistis,
Causidicus factus per quos ignoro retractus,
Despicis omne sacrum: quoddam suadendo lauacrum,
Dicis, & abstergi volet hoc qui in flumine mergi.
Per Iouis hoc fanum, per Regem Maximianum,
Perque supenorum Collegia cuncta deorum,
Si perseueras & si nos vincere speras,
Posce Deum scalas, vel quas habet angelus alas,
Ad quas festinas poteris mox esse ruinas,
De re tam cauta, quid debet dicere nauta?
Desine vel demum, pete littus, & accipe remum,
Et solitis bellis coëat lis ista procellis,
Ibis in infernum, ius euitando paternum,

Mos fuit iste patris nisi cùm seruiret aratris,
Rusticus obtusus patrios cùm deserit vsus,
Desipit & plaudit disfusus ad omne quod audit,
Quod fuit oblitus legis putat esse peritus,
Promptus vt occurrat referens quod quisque susurrat,
Surge Deosque voca, sumensque per occiput occa,
De grege quidquid ames, & sic faciendo reclames,
Propitios vultus, & erit tuus error inultus.

Victor ait nautæ disponunt plurima cautè,
Prætores multi sunt in moderamine stulti,
Sit mihi vile genus, sit vel mihi victus egenus,
Hæc duo nil tollent si iuris munia pollent,
Istius est moris titulus cœlestis honoris,
Si benè vincentem videat non spernit egentem,
Hæc decet vt inster si nuncupor esse minister,
Littoris atque maris licet improperando loquaris,
Vt mare sit mundus gurges satis iste profundus,
Per plures mortes, multas necat ipse cohortes:
Hos vtinam fluctus ad iura paterna reductus,
Vincere sic nossem quo vos excludere possem.
Ecce deum testor non tam pro morte molestor,
Quàm sum passurus quantum quia tu moriturus,
Non fugis hoc stagnum, non deseris hoc mare magnum,
Ast ego per stellas, qui præcognosco procellas,
Dum mea lucra sequor, solitus transire per æquor,
Si placet ostendam quam rem credatis agendam.
Concita sicut auis sedatur & integra nauis,
Hæc mora vestra grauis, cùm venerit aura suauis,
Proximus est portus vbi fons & floridus hortus,
Vir bonus est hospes, satis est habitatio sospes,
Omnia dat gratis, congaudet & ipse paratis,
Fragrat in orbe domi, multi redolentia pomi,
Si nequeas ore, solo medicaris odore,
Non animi langor, non est ibi corporis angor,
Sunt ibi personæ, pendent ibi mille coronæ,
Sunt ibi primores, & ibi præbentur honores,
Hæc tibi monstramus, quòd si non credis eamus,

Si minus est quicquam, pœnam volo soluere, dic quam?
Prætor ait, laudo, si possum cernere plaudo,
Sunt mihi cedrinæ fortes agilesque carinæ,
Purpurea dela, pollent ibi fortia vela;
Dic vbi ducamus, cùm flauerit Auster eamus.
Victor ad hæc dixit si mens cum voce reuixit,
Iam super ad cœlum mentis priùs erige velum,
Desuper afflabit per quem tua prora volabit,
Ob nimiam curam talem prætende figuram,
Sit tua mens nauis, sit spiritus aura suauis,
Ipse regat mentem mundum transire volentem,
Ducat & ad Christum, qui portum possidet istum,
In lauacro mergat per quod tua crimina tergat,
Et fames & dipsis tollatur fluctibus ipsis,
Ingluuie sæuâ quos olim perdidit Eua,
Ad scelus auditum cum flecteret ipsa maritum.
Quis modò Prætoris rabiem motusque furoris,
Diceret, & cuius formam transferet in huius?
Vt furit in scæna triduo ieiuna leæna,
Quæ lupus ora gerit, cùm prædam tollere quærit,
Quos habet occursus, hominem cùm viderit vrsus:
Consimilis gestus erat hic pro martyre mœstus,
Cessat & à verbis pœnis intentus acerbis.
Sunt ibi qui lictant, pœnas quasi carmina dictant,
Sed velut ex lima faciunt suspendia prima.
Pugnant pensores nimios inferre dolores,
Sed medicus cœli dat non sentire fideli.
Cùm foret in ligno suspirans corde benigno,
Voce Deo plena populo qui stabat arena,
Sic ait, ô gentes mentis ratione carentes,
Afrones & Bruti mortem nec vsque secuti,
Iam modo suspensus rogo vos suspendere sensus,
A studio tali duo magis exitiali,
Cernitis ostensum, sed ad hoc conuertite sensum.
Cur ego suspendi paterer, cur vndique tendi?
Cur vos Prætores cur dedignarer honores?
Cur mererer gratis quod vos omnino putatis,
Si mens hic cultus nouiter, nec esset adultus

Nec

Nec foret hic certus, nec legibus ante repertus
Quæ lex iure docet, vitulos vt quilibet occet,
Numinibus mutis quæ spes, quæ causa salutis
Cogit ad hæc mentes per se super ipsa potentes,
Quod manibus sculpis, nunc est leo, vespere vulpis,
Cras homo, funde quater, formatur Cerberus ater,
Transpositóque luto, mox est in imagine Pluto,
Multiplicas artem cernes ibi surgere Martem.
Quid Deus inquire, quia magna scientia scire,
Quid Deus existat, vel quid Deus esse resistat:
Si res affaris, & ad vnamquamque loquaris,
Sacra vocata licèt, non sum Deus hæc tibi dicet,
Si cadet hinc constat, quia quod Deus est ibi non stat.
Nunquid oportunum, quod sese diuidat vnum,
Semper & vsque fuithuc vnum sermo Deusque,
Nec minus apponas, quia quod transcendit eonas,
Qui tibi nil demet, debet tibi demere semet,
Hic Deus æternus facies vultusque paternus,
Non patris iste comes, sed vt est in lumine fomes,
Mens vigor & sensus, per quem pater omnia mensus,
Spirat sermones per Neumaticas rationes,
Hic de se mundam sitientibus exhibet vndam,
Quam quicumque bibit non amplius ille sitibit,
Percipitatque fidem per quam venerabtur idem.
O si sciretis quod ab ipso munus habetis,
Et quàm clementer tulit hunc sine semine venter,
Vt caro sit factus, carnales tolleret actus,
Et nos captiuos non vlteriùs rediuiuos,
Post fractum postem priùs uictum solueret hostem,
Par foret in puris iam non seruire figuris,
Esset & hoc iustum fanum Iouis igne perustum,
Per fidei normam deitatis perdere formam.
Ex his prætexis Prætor commotus in extis,
Carcere trudit eum, peragat dum morte trophæum,
Torquet & includit, montem leuat, extera trudit,
Tentat vt eneruet sed mens minùs anxia feruet,
Feruet & inflammat, qui fana Deosque reclamat,

Ingrediens lætus, sic æstimat esse quietus,
Speque suæ mortis plus est in carcere fortis,
Flebat & orabat Dominumque Deumque vocabat,
Sic adhibendo loqui meus ô qui factor & ô qui,
Regna superna tenes, sapiens qua lege refrenes,

AD Caput VIII. Hæc est S. Firmini Ambianensis vita ex Cod. MS.

Incipiunt gesta sancti Firmini Episcopi & Martyris.

TEmporibus Maximiani, & Diocletiani Imperatorum quo tempore tyrannica rabies in Christiano populo sæuiebat, erat vir vitæ venerabilis, genere, & ordine primus inter seniores, nomine, & opere Firminus, eratque ei vxor moribus, & honestate similis Eugenia nomine, erantque ambo secundùm sæculi dignitatem inclyti facultatibus, & diuitiis locupletes. Cúmque in diebus illis secundùm ritum Gentilium ad fanum Iouis adorandum procederent, quodam die ibidem superuenit quidam sacerdos Christianorum Honestus nomine, cúmque in diebus illis libera prædicationis voce in populo execranda idola proclamaret, accessit ad eum Firminus vir clarissimus, & ait illi. Si dij nostri vt asseris idola sunt, quos vetusta antiquitas, & Romani Principes à sæculo coluerunt, dicito ergo quam religionem, aut quem Dominum colendum potiùs nobis inducere velis. Cui Honestus respondens ait. Factorem cœli, & terræ, maris & omnium quæ in eis sunt, hunc noueris esse verum, & solum Dominum, per quem omnia, in quo sunt omnia, & sine illo nulla creatura consistere potest, qui est dominator mortis, & vitæ. Nam dij gentium quos prophana religio vestra colit, & delusa gentilitas exercuit, dæmonia plus credenda sunt, quàm religio diuinitatis. Sic enim Spiritus sanctus per Prophetam loquitur dicens. Quoniam omnes Dij gentium dæmonia sunt: Dominus autem cœlos fecit. Audiens hæc, & alia Firminus Senator, conuertens se ad Faustinum, & Fortunatum ait. Quid contra hæc dicendum est? Nunquid iste solus hospes, & aduena, culturam sanctorum Deorum per

otiosa sua colloquia destruere potest? Ad quem Fortunatus ait. Audiamus adhuc rationem eius, & discamus rei causam, vt ex ipsa ratione eum conuincere valeamus. Firminus verò conuertens se ad Honestum dicit ei. Vel tu cuius sectæ, vel religionis es, vt tam nefandam sententiam contra Deos, deasque nostras proferre præsumas? Cui Honestus constanter respondens ait. Si de me scire velis quis sim, vel quo exortus fuerim luculenta ex parte proferam rationẽ. Nam ego ex patre Amilio, & matre Honesta, ex vrbe Nemusana ortum me esse profiteor. De quo verò, quod ampliùs est, sicut interrogasti cuius sectæ fuerim aut doctrinæ, seu qualis esset mea religio libera voce, & constanti edoceam. Christianus sum, instructúsque fide catholica, dicatus in ordine presbiteratus, Saturnini Episcopi discipulus, & in baptismo filius, eruditúsque literis liberalibus, & diuinarum scripturarum à primæuo iuuentutis meæ tempore instrumentis imbutus. Sicut ibidem per doctrinæ studium reperi, doceo, quoniam videlicet Deus vnus est, qui omnium dominator visibilium, & inuisibilium, qui est, & erat, & erit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui in pugillo suo nutu suæ maiestatis omnia concludit, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus in tribus personis, & tres personæ in vno verò Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto consistunt. Quod misterium si quis pleniter scire voluerit aperire donante ipso poterimus, sed hoc nisi qui consistit in spiritus sancti gratia, & inspiratione nemo comprehendere potest. Si quis verò ex vobis Deum verum scire, & cognoscere voluerit, primùm confiteatur non esse alium Deum, nec aliam virtutem extra vnam omnipotentem ipse est trinus, & vnus, & abnegare illi fas non est: quoniam scilicet Dij quos prisca gentilitas excoluit simulachra muta, & surda sunt aut enim ex metallis, aut ligno, vel lapidibus ab artifice ad instar humanæ imaginis efficiuntur, seu etiam quod amplius est aurei, & argentei, & æreifabrorum artificio adornantur, os habent, & non loquuntur; oculos habent & non vident; aures & non audiunt; nares, & non odorant; manus, & non palpant; pedes, & non ambulant sicut diuinâ Scriptura meminit dicens. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in

cis. Deus autem noster omnipotens Iesus Christus Dei patris filius ex arcano diuinitatis ante sæcula genitus, in nostro sæculo de Maria Virgine natus est, cui data est potestas in cœlo, & in terra, qui humanum genus de mortis vinculo per trophæum suæ passionis absoluit, qui triumphans de diabolo ab inferis genus humanum eripuit de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de seruitio ad libertatem omnes in se credentes adduxit, & pretio sanguinis sui de captiuitate, & potestate diaboli omnes redemit, qui pedibus siccis abissum perambulando calcauit, qui Lazarum quatriduanum à mortuis suscitauit, quem Deus pater de supernis sedibus respiciens voce diuina testificatus est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ipsum audite. Qui sedet ad dexterā Dei patris. Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem, qui tunc reddet vnicuique secundùm quod in hac breui vita gessit, & operatus est, cui assistunt Angeli & Archangeli, qui iustos, & sanctos in Regnū perpetuum constituet, pœnas, & tormenta infinita impiis, & peccatoribus apponet. Istam talem religionem, & claram religionis doctrinam nobis Saturninus Episcopus Apostolorum discipulus ostendit, & iussit nobis prædicare euangelium veritatis omnibus gentibus, & per hanc salutiferam doctrinam docere & baptisare omnes homines in nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti in remissionē peccatorum, & in vitam perpetuam. In hac enim admiratione Faustinus Senator admirans illius facundiam, & rei prolatæ sententiam intra se compensans dixit. Si Saturninus quem profers Apostolorum discipulum, nobis tales sermones, & sententias asseruisset, huic forsan mentis aciem vertissemus: audiuimus enim & virtutis eius eminentiam in verbis, & signa multa, quæ in nomine Iesu Christi Nazareni gesserit, & operatur. Ad quem Honestus vt erat intentus dixit. Si vestra animaduersio est vt veritatis lumen recognoscere valeatis Dominus meus pater, & magister Saturninus in promptu est vt vobis salutiferam perennis vitæ prædicationem inserat, & de tenebris ad veram lucem perducat. His peractis ipse Præsul, ad Pampelonensem vrbem peruenit, ibique residens sub Therebintho vbi vetustissimum fanum Dianæ in loco

Oppreſſino colebatur verbo prædicationis palàm omnes inſtruxit, execrandáſque ſuperſtitiones, & culturas idolorum vanas oſtendens, Deum verum magis colendum inſtituit. Ad quem concurſus vrbis factus eſt magnus, & ibidem per triduum docens, populúmque verbo ſalutis, & ſignis potentibus confirmãs, vtriúſque ſexus ferè XL. millia hominum ab errore profanæ Idolorum culturæ, ad cognoſcendum verum Dominum Ieſum Chriſtum vnigenitum Dei patris filium reuocauit, eóſque in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti abſterſis vetuſtatis piaculis per ſacri Baptiſmatis fontem ad nouitatem vitæ perduxit, ſanúmque ipſum vetuſtiſſimum Dianæ à fundamentis deſtruere iuſſit, & lucum radicitùs extirpauit. His talibus geſtis ita auditis tranſacta vna hedomada Fortunatus, Firminus, & Fuſtinus vt erãt primi, & Senatores in Senatu venerunt ibidem cum multitudine plebis, & ciuiũ vrbis ad Saturninũ Epiſcopum, vt myſteria ſanctæ doctrinæ ipſius præſentialiter perciperent. Nam & anteà per plurimorum relationem plurima de ipſo audierant. Vt verò ante conſpectum ipſius tribus ferè diebus perſtiterunt, & haurientes ex ore eius gratiæ diuinæ exiſtentiam, cognouerunt veritatis tramitem, & via iuſtitiæ, veríque luminis flagrantiam in prædicatione, & doctrina eius conſiſtere. Tunc inito ſalutis conſilio profanas idolorum culturas dereliquerunt, & Deum verum, quem Saturninus prædicabat ſequi, credere decreuerunt. Tunc proſtrati Firminus, Fauſtinus, & Fortunatus ad pedes Pontificis abrenunciauerunt Idolis, & Deum verum Ieſum Chriſtum vnigenitum Dei filium eſſe colendum, & credendum profeſſi ſunt ſtatímque perceptis ſacri Baptiſmatis myſteriis per confeſſionem Trinitatis non ſolùm Chriſtiani; ſed etiam Chriſtianorum doctores, & magiſtri effecti ſunt. Erat itaque præfatus Firminus primatum tenens populi, & Senatus, vir miræ manſuetudinis, honeſtate, & religione præ cæteris ciuibus ſuis prælatus. Huic erat vxor nomine Eugènia, ex qua genuit Firminum, & Fauſtum, & Sebiam ſororem eorum. Succedente verò tempore præfatus Firminus cùm eſſet fide, & opere, Catholicus tradidit filium ſuum primogenitum nomine Firminum Honeſto Presbytero, vt eum literis liberalibus, &

Christiana disciplina imbueret, qui & antea in baptismo filiolus eius fuerat. Firminus verò cùm esset xvij. ferè annorum literis, & doctrina catholica instructus cœpit religionis studio proficere. Nam ad Ecclesias properans horis singulis inhianter laudes Deo reddere assiduò maturabat. Cúmque proficeret annos ferè septem in religionis studio, & sapientię gradibus ad virtutum culmina præminebat. Honestus verò præfatus Presbyter dum in senectutis tempore aggrauatus esset, sæpe dirigebat eũ per vices, & suburbana ciuitatis vt prędicationis verbo populum vbique ad Christianæ religionis studium prouocabat. Et dum hoc & pater, & magister eius Honestus consideraret, quod in ipso gratia spiritalis coram omnibus in verbo, & doctrina magis, ac magis crescebat direxit eum ad Honoratum Tolosanæ vrbis Episcopum vt eum in Episcopatus gratiam impositis manibus constitueret: quem vt vidit Honoratus Episcopus cognouit in eo quia ad hoc prædestinatus, & electus esset à Domino, vt verbum vitæ, & salutis gratiam in gentibus prædicaret, ordinauítque eum Episcopum vt nomen Domini in Occidentis partibus prædicaret, qui & his verbis eum coram omnibus alloquutus est. Gaude fili quoniam vas electionis Domino esse meruisti. Perge itaque ad dispersionem gentium, accepisti enim à Domino gratiam, & Apostolatus officium, noli timere quoniam tecum est in omnibus, scias quia oportet te pro nomine eius multa pati, & ad coronam gloriæ peruenies. Valedicens itaque Firminus Episcopus Honorato Episcopo, ac fratribus, & consacerdotibus suis reuersus est vita comite ad Honestum Presbyterum Magistrum, & nutritorem suũ, qui & retulit ei omnia, quæ contigerant ei in via, vel quibus verbis imbuisset eum sanctus antistes ille Honoratus, & quomodo, vel qualiter præceperat ei vt verbum prædicationis, & nomen Iesu Christi in dispersionem gentium annunciaret. Deinde postea non post multum temporis sanctus Antistes præfatus Firminus reuoluens, & considerans scripturarum diuinarum præconium, & Euangelicæ veritatis doctrinam in cordis sui gremio reponens, vbi dicit. Ite, docete omnes gentes baptisantes eas in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & illius, Nolite cogitare quomodo aut quid

loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis: & alterius loci, Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona, & pacem, & aliarum multarum, quæ in diuinis ſcripturis reperiuntur, vel de perſecutione annunciandi Euangelij Filij Dei; tricesimo primo ferè anno ætatis ſuæ relinquens patriam, genitorem, & genitricem, fratrem & ſororem, & dulciſſimam parentum ſuorum cognationem, perrexit in partes Galliæ ad Agēnenſem ciuitatem, ibíque reſidens aliquantis diebus cum Euſtachio Presbytero demoratus eſt confirmans plebem catholicæ doctrinæ ſtudio, & diuinarum ſcripturarum gratia inſtruebat. Deinde Aluernicæ pertranſiens confinia ciuitatis, plurimam partem illius terræ ad Chriſti gratiam prouocauit, ibíque confligens cum Archadio, & Romulo de contemptu Idolorum, multa ibidem paſſus eſt, tamen illos ad gratiam ſacri Baptiſmatis poſt multa diſcrimina perduxit. Poſtmodum ergo Ligerim tranſiens flumen ad auxilium Andegauinæ vrbis anno & tribus menſibus in verbo prædicationis detentus eſt, vbi maximam partem illius prouinciæ ad cognitionem veritatis Euangelicæ perduxit. Audiens itaque quoniam Valerius præſes in Gallia in Beluacenſiū ciuitate tyrannicam impietatem contra Chriſtianos exerceret, multóſque in illis finibus pro Chriſti nomine diuerſis pœnarum cruciatibus extorqueret ipſe beatus Firminus velut athleta Chriſti validiſſimus vbi fortior belli impetus imminebat Beluacenſem ciuitatem peruenit, vbi & plurimas perſecutorum ſuſtinuit inſidias: nam intruſus carcerem vincula, atque flagella innumera ſuſtinuit, die noctéque, Euangelium prædicare non deſinens. Poſtmodum Sergio Præſule ſubitaneo ictu defuncto à Chriſtiano populo, Firminus Epiſcopus de carcere exoluitur, liberóque ſalutis verbo Euangelium veritatis omnibus annunciabat, primuſque illum populum in fidei ſoliditate confirmauit. Quo in loco Eccleſiam in honore ſanctorum martyrum Stephani, atque Laurentij conſtituit, & plurimos ibidem populos ad cognoſcendum lumen veritatis, à cultura Idolorum reduxit. Deindeveniens ad oppidū Ambianenſium decima die menſis Octobris ciuitatem ingreſſus eſt, receptúſque à Fauſtino Senatore domum ipſius

ad Baptiſmi gratiam reuocauit, ipſúmque Fauſtinum catechumenum fecit, domúmque Auſentij Hylaris cum ipſo Auſentio baptiſauit. Attiliam Agrippini quondam clariſſimam coniugem cum liberis, famulis, famulabúſque eodem die baptiſauit; conuerſáque ſunt illis tribus continuis diebus per beatum Firminum Epiſcopum ferè tria millia virorum vtriúſque ſexus, & prædictum Fauſtinum cathecumenum ad perfectionem gratiæ ſpiritualis cum magno Chriſtianorum gaudio perduxit.

Audiens itaque Valerius Sebaſtianus Præſes quæ per beatũ Firminũ Epiſcopũ in illo tempore gerebantur, venit ad vrbem Ingreſſúſque ciuitatem Ambianenſium, & pro tribunali reſidens, data iuſſione præcepit vt tertia die vniuerſi conuenirent ad Prætorium Æmilianum, ibíque tranſactis diebus tribus iuxta præceptum Præſidis omnes Tribuni militum, vniuerſáque militia ibidem conuenit in vnum. Tunc Præſes data iuſſione præcepit vt curiales, & templorum ſacerdotes in eius præſentia conuenirent, ipſiſque aſſiſtentibus Sebaſtianus Præſes dixit. Sacratiſſimi Imperatores Decius, & Valerianus decreuerunt, vt honor, & cultura Idolorum in omnibus finibus orbis à populis, & gentibus conſeruetur, & thure altaria ſecundùm veteres, & antiquas Principum conſuetudines venerentur, & ſi quis contra decreta ſacratiſſimorum Imperatorum venire tentauerit, aut conſeruare minimè voluerit, diuerſis tormentorum generibus affligatur, eúmque capitalem ſubire ſententiam ex decreto Senatus, & Principum Romanorum ſtatutum eſt. Ad quem Auxilius Curialis, & venerabilis Templorum Iouis, & Mercurij ſacerdos reſpondens dixit. Eſt hîc vnus Chriſtianorum Pontifex, qui non ſolùm hanc Ambianenſium vrbem à Deorum cultu, & religione ſubuertit; ſed penè vniuerſum orbem, Imperiique Romani integritatem, ab immortalium Deorum cultu ſeparare videtur. Ad quem Sebaſtianus dixit. Quis eſt ille, qui tantum nefas, & ſcelus profanum auſus eſt committere? Auxilius dixit. Firminus nomine, Hiſpanus genere, arte, & eloquentia facundiſſimus, in omni ſagacitate promptus. Hic enim prædicat, & docet populum non eſſe alium Deum, nec aliam virtutem in cœlo, & in terra, niſi Dominum

Chriſtianorum

Christianorum Iesum Christum, quem vocat Nazarenum, hunc dicit omnipotentem super omnes deos, deos verò nostros dæmonia nuncupat idola, & simulachra vana, & muta, surda, & insensata liberâ protestatione omnibus esse denunciat. Ita subuertit populum à cultura, & religione deorum, vt iam ad templa veneranda Iouis, & Mercurij, nullus ad thurificandum, vel supplicandum veniat, sed ad Christianam sectam corda omnium Senatorum nostrorum perducit: hunc si non exterminaueris, & diuersis pœnis ad aliorum exemplum nō afflixeris, magnum periculum reipublicæ accrescet, & ad vltimum fundamentum, & stabilitatem Romani Imperij subuertere conabitur. Sed audi consilia nostra præcellentissime Præses, vt Respublica per te saluetur, & de imminenti periculo deos deásque exsoluas. Iube illum ante Tribunal tuum præsentibus vniuersis huc exhiberi. Tunc præcepit Sebastianus militibus suis, vt illum ad spectacula theatri ad portam Clyppianam post biduum præsentarent. Audiens ergo beatus Firminus, quia sic rei causa agebatur, alterâ die procedens, accessit ad Prætorium, & constanter ante Tribunal in conspectu Principum stetit, & Deum omnipotentem Iesum Christum docuit adorandum, simulachra verò, & profana idolorum delubra destruenda, & exterminanda prædicabat. Ad quem Sebastianus se conuertens, ait: Tune ille nefandus es, qui templa deorum sanctorum destruis, & à religione sancta sacratissimorum Imperatorum plebem, populúmque diuidis? Vnde es, vel quo nomine fungeris? Cuius prolis, vel generis esse videris? Sanctus Firminus Episcopus constanter ei respondens ait. Si de nomine meo requiris Firminus nuncupor, gente Romanus, ordine Senator, ciuis Pampelonensis, fide & doctrinâ Christianus, gradu Episcopus, missus ad prædicandum Euangelium Filij Dei, vt cognoscant gentes, & populi, quia non est Deus præter eum sursùm in cœlo, neque in terra deorsùm, qui fecit omnia ex nihilo, in ipso vniuersa consistunt, qui vitæ & mortis potestatem habet, & de manu eius, nec quisquam se eripere potest, cui assistunt Angeli, & virtutes cœlorum, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, qui inclinat Regna, & balteos Regum dissoluit, sub quo currunt tempo-

rat, & mutantur generationes, ipse in æternum non mutabitur, quoniam idem ipse est, & anni ipsius non deficient, deos verò, quos gentes colitis per illusiones, & fantasias dæmoniorum simulachra muta, & surda, & insensibilia sunt, qui decipiunt animas, & cultores suos in profundo inferni demergũt, illósque prædico, & liberâ voce denuncio esse diabolicas fabricaturas, & omnibus populis, & gentibus derelinquendas esse pronuncio, vt non cum ipsis in profunda tartari, & gehennam perpetuam, vbi eorum pater diabolus est, demergantur. Audiens hæc Sebastianus Præses, nimio furore repletus, exclamauit voce magnâ, & facto silentio talem protulit sententiam. Per deos immortales, & per inuictam eorum potentiam obtestor te, Firmine, vt ab hac stultitia tua resipiscas, & à sancta religione, quam excoluerunt patres tui ne recedas, sed modò dicto citiùs te diis sacrificaturum pronuncies: Nam si non feceris, omnium tormentorum genera te excipient, turpissimáque morte in conspectu omnium te faciam consummari. Ad quem sanctus Firminus martyr, constanter nihil formidans, ait: Cognitum tibi sit, Præses Sebastiane, quia tormenta tua, & pœnas quas mihi promittis non formido; sed de tua insipientia, & vanitate magis doleo, quod nunc seruum Dei immortalis, qui omnibus dominatur, impiis tormentorum generibus excrucias. Nam quantò ampliùs mihi seruo Altissimi pœnas promiseris, accumulari tantò mihi Deus noster sustinentiæ dabit virtutem, vt ad coronam gloriæ immarcessibilis, per tot certamina dignus peruenire merear, quia propter temporales pœnas quas mihi promittis, vitam perpetuam in Regno Filij Dei vbi sine fine cum ipso regnabimus, dimittere nolo. Tu verò cruciatus inextinguibiles, & tormenta perpetua tartari, & flammas æternas sustinebis, ibíque in ardore ignis inextinguibilis pro impietate, quam nunc in Dei seruos exerces, sine fine ardebis. Sebastianus verò, ac populi, & plebis conuentus mirabantur super constantia, & predicatione beati Firmini martyris, & volebat eum populus de Sebastiani manibus eruere quia per eum ostensæ sunt diuersæ virtutes. Nam & paralyticos erigebat, obsessa à dæmonibus corpora expiabat; duos à lepræ morbo ad Clypianam portam mundauit,

oculum excussum casto Andreæ filio restituit, & febres, & plurimas infirmitates inuocato nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti sanauit, multásque alias virtutes in eo Dominus operatus est, propterea Sebastianus metuebat eum tormentis tradere, ne per illum tumultus eueniret in populo. Præcepit itaque eum Sebastianus custodibus commendari, & clàm eum in carcere noctis silentio capite truncari mandauit, corpúsque eius abscondi iussit, ne à Christianis, quos ad veram lucem perduxerat, honorificè coleretur. Confessus est ergo Christum in martyrio beatus Firminus Episcopus, & martyr factus est sub die VII. Kalendarum Octobrium. Faustinus verò, quem iam ipse beatus Firminus anteà baptisauerat nocte corpus eius à carcere sublatum eripuit, & in suo cœmeterio, quod Abladana dicitur, cum aromatibus, & linteaminibus pretiosis concludit. In quo loco multas, & innumerabiles virtutes vsque in hodiernum diem Dominus operatur, cui est gloria, virtus, & potestas per infinita sæcula sæculorum Amen. Sebastianus denique non post multos dies à militibus Beluaci ciuitate interficitur. Faustinianus autem quem anteà memorauimus, qui & corpus beati Firmini martyris condidit, in amore, & memoria beati Firmini martyris & confessoris, vnicum filium suum, nomine Firminum nuncupauit, cúmque sacris literis imbutum, viris religiosis ad instruendum tradidit: qui postmodùm sapientiâ, & doctrinâ in Galliarum partibus, velut clarissimus Solis radius, omnibus enituit. Nam dum esset decorus, eloquio certissimus, moribus, & castitate probus, omnibus Europæ Ecclesiis pater, & magister effectus est; & cùm virtutum gradibus ad culmina Ecclesiæ conscenderet, à Ioanne Lugdunensis Ecclesiæ Antistite, ad Episcopatus officium rapitur, per quem diuina misericordia in sancta Ecclesia multa miracula ostendere dignatus est. Nam & ipse paralyticos multos ad pristinam sanitatem restituit, & filium Calisti Patricij à febribus, orationis virtute liberauit, vexatos à dæmonibus multoties per singula loca expurgauit, sicut ipse hodie meritis ipsius singulis se inuocantibus, & in se sperantibus longè, latéque coruscat, qui & Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ Virginis construxit, in qua sanctus Firminus martyr, & Pontifex

conditus esse traditur, & in qua Firminus Episcopus suam sepulturam elegerat fieri. Sed cùm dubium sit propter persecutionem, quæ tunc illic inundauerat, vbi sanctus Firminus martyr à Faustiniano claro depositus sit: dubium tamen non est vbi sanctus Firminus Confessor, & Episcopus post multas virtutes ostensas, conditus est, vbi & sine dubio requiescere credendus est. Vixit autẽ annis quadraginta septẽ, & sub die Kalendarum Septembrium fœliciter à sæculo migrauit, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre simul & Spiritu sancto viuit, & regnat per immortalia sæcula sæculorum Amen. Explicit Passio sancti Firmini Episcopi, & martyris.

AD Caput X. In manuscripto Codice, Passio Fusciani & Victorici hæc est, quâ Dionysij & sociorum aut discipulorum ætas ad Maximianum refertur.

Passio Sanctorum Fusciani & Victorici.

EODEM igitur tẽpore quo Maximianus truculentissimus Augustus per arua Galliæ præsidebat, Rictio Varo Præfecturæ dignitatis ordinem agi præcepit. Sancti ergo viri Fuscianus & Victoricus cum duodenario numero sociorum, per ordinem glomerati, vnà cum venerabili Dionysio Præsule, comitibus cæteris Piatone, Ruffino, Crispino, Crispiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino, & Regulo ab Vrbe Roma progredientes, cursu intrepido, pro Christi dimicantes victoria, bellatores Dei egregiè intra fines Galliæ vrbe Parisiis, Duce Christo itineris peruenerũt, atque super illustrante Spiritu membratim loca, quæ prædicatione diuini nominis caruerant, elegerunt. Nimirùm, quos diuina charitas, fideique ardor connectit adstrictos; diuersitas locorum dispares non facit esse diuersos. Igitur sancti Dei cultores Fuscianus, & Victoricus ab vrbe Tarasconensi prædicandi gratia gressu celeri petierũt. Sanctus quippè Quintinus diuino fultus oraculo Ambianensium vrbis laudabilis extitit prædicator: sacer ve-

ro Domini cultor Lucianus, Bellouacensium ingressus fines ardenti animo diuina eloquia Gentili populo prædicabat. Beatissimus autem Regulus, cùm ad vrbem Syluanectensem profectus fuisset, tantùm illius superna gratia corrigauerat, vt confestim gentilem populum ab idolorum cultura, ad fidem Catholicam reuocaret, & mox diuino munere tribuentibus Pontificalis infulæ consulatum, in eadem vrbe pastorale suscepit regimen. Per quos Sanctos suos Christus Dominus tanta dignatus est præbere miracula, vt per eorum suffragia cœcis lumen infunderetur, & per vexillum crucis à morbo paralysi membra debilia sanitati pristinæ restituerentur. Ieiuniis atque orationibus crebris instantes, curâ permoti, ita Deo peruigiles existebant, vt diebus, & noctibus à Dei laudibus non cessarent. Exorta igitur est eo tempore horrenda persecutio Christianis, atque vniuersum orbem acerba vastabat impietas, vt quibuscumque locis à persecutoribus Christiani inuenirentur, funesto eos gladio non desisterent trucidare. Factum est ergo non multo pòst tempore, vt Rictiouarus carnifex Præfecturam, quam à Maximiano susceperat, potiùs ad persequendos Dei famulos cruentus laniator irrueret, quàm pietatis iura seruaret. Ingressus itaque vrbem super Mosellam amnem conditam, quæ Treueros nuncupatur, tam ingenti crudelitate Christianos cædi præcepit, vt sanguinis riuulus in flumen Mosellæ defluentis vndas laticis, vnda sanguinis rubricaret, & lympha gurgitis inhumatis sanctorum Martyrum corporibus præberet tumulum, & vt redintegratos compagi corporum futuro eos reseruaret in iudicio. Præceptis igitur Rictiouari Præfecti nequissimi, vndique percussores monita deferebant, vt loca omnia perlustrantes, vbicumque Christianos reperirent, palàm ad interemptionem protraherent, & vt non latentes euaderent, aut occultati tormentorum supplicia superarent. Sancti igitur Fuscianus & Victoricus ad Tarasconense prædium peruenerũt, atque sanctum Dei Quintinum comparem socium fraternâ charitate succensi cernere cupiebant, vt mutuâ affectione de conuersa gentilitate gauderent. Sed beatum Dei famulum Quintinum, quem contemplare desiderio optauerant, diuina prædicando eloquia, iam ab eadem ciuitate abiisse audierant.

Nam vt historiæ gesta commemorant, quidam senex nomine Gentianus, grandæuâ ætate prolixus, eminùs Ambianensium vrbi finitimus, nondùm baptismatis vndâ purgatus, cùm per beatissimos viros Fuscianũ & Victoricũ, immensa fieri Dei cognouisset miracula, die quâdam Parisiis vrbis carpentibus iter, obuius extitit percontator, ad quos ait: Quẽ quæritis, quò vel cursus itineris declinatis, aut ex qua nati estis progenie. Num huius vos patriæ incolas esse cognoui? Tum Dei famuli Fuscianus, & Victoricus dixerunt: Nos sumus Christi milites, qui cum magnanimo generositatis Quintino viro ab vrbe Roma inclyta progredientes Galliarum penetrauimus fines. Idem autem venerabilis senex ab oculis fletum profluens suspirans, imóque trahens à pectore vocem, ait. Ante trium dierum spatia diuinâ illuminatione permoto in corde adstitit mihi, vt Deum vestrum Dominum Iesum Christum, quem vos creditis in eum credens confitear, & in eius virtutis potentia, ex tota animi deuotione conuertar. Sed hunc Dei famulum Quintinum, quem vos quæritis quaterdenorum, & duorum dierum fluxerunt curricula, quod in municipio Augustæ Viromandorum super amnem Summam à Rictiouaro carnifice trũcationis capite amputatus vitæ terminum finiuit. Cúmque his dictis explesset sermones, rursus ad Sanctos Dei Fuscianum, & Victoricum ait, dum vos Christi fatemini esse discipulos, & vexillum Crucis gestatis in pectore, sceleratissimus Ritiouarus præcepit tyronibus, vt vbicumque vos repererint arduâ mancipatione comprehendant. Sed quæso Domini Patres declinate in tugurium serui vestri, & apponam buccellam panis donec pauxillum possitis quiescere. Cùm præsenti igitur tempore Rictiouarus persecutor rabidus ad vrbem Ambianensium properasset, iã multa fama per vrbem cognouit, quanta per famulos suos Fuscianum, & Victoricum Christus Dominus virtutum signa monstraret. Cúmque venerabilis senex Gentianus Sanctis Dei Fusciano, & Victorico, vt in domo eius ingrederentur famulando præberet obsequium: repentè Rictiouarus persequutor aduenit, statímque Dei famulos Fuscianum, & Victoricum comprehendi præcepit. Tum Gentianus zelo charitatis pro Christi nomine repletus, exempto gladio ni-

ſus exiliuit, vt Rictiouarum perſecutorem impium verberaret. Ad quem Rictiouarus ait: Gentiane, cur te tanta temeritas compulit, vt me gladio tranſuerberare coneris? Venerabilis verò Gentianus ait: Ego pro Christi nomine animam meam ponere cupio, cuius imperio mors aufertur, & vita largitur, & pro eius famulis corpus tradere non dubito, quia & me Christi fateor eſſe diſcipulum. Tunc Rictiouarus furore perterritus, coràm viris Dei Fuſciano, & Victorico, caput Beati Gentiani pro confeſſione Chriſti nominis truncari præcipit. At cùm ad eum confluxa populi adſtitiſſet caterua, & pro tribunali reſideret in faſcibus conſtitutus, procaci voce prorumpens ait. Fuſciane, & Victorice quos Deos colitis, aut quem ſacrorum cultum adoratis? Sancti viri Dei reſpondentes dixerunt: Nos credimus, & confitemur Dominum Ieſum Chriſtum, quem comperimus ante omne ſæculum Patri coæternum ex beata Maria ſemper virgine ob redemptionem humani generis natum, factorem cœli, & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt. Rictiouarus verò ad eos ait. Recedite ab hac ſtultitia, & ſacrificate Diis, Sin autem nolueritis diuerſis vos affligam ſuppliciis. Ad hæc famuli Chriſti Fuſcianus, & Victoricus, imperterrita voce Rictiouaro dixerunt: Minas furoris tui ſeruorum Dei conſtantia non veretur; quia in te non eſt idoneus intellectus, ſed es filius perditionis diabolus, lupus rapax, ſtulte inſipiẽs, cordis ſeductor, diabolicæ artis inuentor. Melius vtique tibi eſſe poterat vt Deos lapideos, & ligneos quos colis proiiceres, & in Deum verum, qui omnia creauit crederes, & confitereris, & à priſtino errore quo ſeductus es, ad diuinã credulitatẽ cõuerteteris. Tunc Rictiouarus inſano cœpit frẽdere ſpiritu, & famulos Dei Fuſcianum, & Victoricum ferro adſtrictos, manibus poſt terga reuinctis, præcepit tyronibus, vt intra, Ambianenſium muros tetro eos concluderent carcere. Sancti igitur Dei cùm ex præceptis Rictiouari Præfecti ſæuiſſimi ſub cuſtodia ducerentur, celebri exultatione pergebant gaudentes, quia pro Chriſti nomine digni erant tormenta perpeti; Cúmque à loco vbi comprehenſi fuerant vno ferè milliario, aut circiter ampliùs properaſſent, famuli Dei fide conſtantes, genibus humo proſtrati, & ſur-

ſum corda ſuſpendentes ad æthera lacrymabili prece ſupplicabant Dominum, dicentes: Domine Ieſu Chriſte, lumen verum, qui es, & qui eras ante diſpoſitionem mundi, qui cœlum palmo menſus es & terram pugillo, qui ſedes ſuper Cherubim, & reſpicis abiſſos, qui producis ventum de theſauris tuis, qui ſolem tuum oriri facis ſuper bonos, & malos, & pluis ſuper iuſtos, & iniuſtos. Te deprecamur agie Deus in veritate quem confitemur, & credimus, quem cernere deſideramus ex toto corde, & ex tota anima noſtra, ſuſcipe ſpiritum noſtrum, nec derelinquas nos in ſempiternum qui regnas cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et cùm hanc orationem compleſſent voce intrepida Rictiouaro dixerunt: Infauſte, lupe rapax, conſcius malorum, Diabole incraſſate ſæculo, iam qualem vis in nos exercere vindictam, nec perimendo moras diutiùs innectas. Tunc Rictiouarus nimio furore permotus iuſſit naribus, & auribus eorum tarincas immitti, & cum clauis candentibus capita eorum transfigi præcepit, vt loquendi nullam haberent virtutem, oculóſque eorum iuſſit euelli. Idem verò Rictiouarus crudeliſſimus dæmonum exagitatus ſpiritu, traiecta manu iacula ſanctorũ corpora ad vulnerãda direxit, atque illicò capita eorum amputari præcepit. Cùm hæc ita peracta fuiſſent, Rictiouarus ſceleratiſſimus perſecutor, quaſi de quadam plaudens victoria, Ambianenſium vrbem effero corde eſt ingreſſus, moxque vltione diuina percuſſus, & inſano repletus ſpiritu per totam ciuitatem cœpit clamare, & dicere. Heu me quid agam, aut quid faciam, quia per ſanctos Dei Fuſcianum, & Victoricum, quibus dira intuli ſupplicia intolerabili crucior pœna. Eadem videlicèt die qua Dei ſancti martyres palmam ſunt adepti, tam ingens fulgur luminis ſuper ſanctorum corpora coruſcauit, vt illi qui aderant more inſolito geminam diei cernerent claritatem. Nam illud quod Dominus per ſanctos ſuos præbere dignatus eſt miraculum, ſilendum non prætercam, ſed veridica ratione prędicem, quia dum ſanctorum martyrum cadauera abſciſſis capitibus iacerent truncata, curſiui ſe diuino intuente ſpiritu geſtantes manibus propria capita ad hoſpitium beati Gentiani

tiani

tiani martyris gressu remigero peruenerunt, vt quem exhortando adepti fuerant comitem, cum eodem simul dormirent in requiem, & quorum animæ indiuisæ cœlestibus inhabitabant mansionibus, inseparatis in terris requiescerent corporibus. Nam nullius mens de hoc debet ambigere miraculo; quia ipse potest peremptis corporibus grande gressum reddere, qui discipulo imperauit super vndas æquoreas peditus ambulare. Sed cùm peracta dies cursum declinasset ad vesperam, etiam nox atra põtum subiecta teneret, mox Christiani piissimi viri, clã pergentes itinere ad locũ in quo sanctorũ martyrum corpora iacebant exanimata, peruenerunt, atque intra ipsa noctis silentia, sanctorum martyrum corpora sub cryptæ tegmine, occulto tumulo condiderunt. Hi itaque martyres sub die tertio Iduum Decembrium, gloriosam adepti sunt coronam martyrij, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus in vnitate Trinitatis per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD CAPVT XIII.

Vita, vel Passio Sancti Lupercij martyris, qui fuit miræ beatitudinis in vita, & perfectæ virtutis in agone, & passus est in Helisona ciuitate in Prouincia Galliæ IV. Calendas Iulij.

PRetiosa sunt Domino, & expectata martyrum certamina, quæ digna sunt pro miraculorum dignitate conscribi: sed tamen sine fortitudinis trepidatione, ad scribendum inchoari non possunt, quia cùm magnarũ rerũ consideratur assumptio, non est mirũ, si suscipiẽdi operis timeatur multitudo, & quamuis sermone tenui explicari non valeat, quantum de se dicat veritas passionis, ponitur tamen rei ipsius propositum, licèt continere arduum, & habere videatur initium, & in hoc mens trepidationis aliquid habere dicitur, sed sperat quòd per opificem summum, & diuinã instructionem informetur inchoantis initium, & ingenij perstatione per-

ducatur ad effectum. Hic ergo beatissimus Lupercius, natus in Cæsar-Augustana vrbe, mediocribus parentibus, sed meritis excelsus fuit, humilis in terris, in cœlis electus, cui hoc fuit nobilitatis lumen insigne Christo sine culpa seruire; & non de generis intumescens superbia, sed habens de moribus ornamenta, & non sumens de parentali laude iactantiam, sed gratiam agens in virtutibus, exemplo intrans summum exemplum, thesaurum retinens Domini, mundo corde ipsum complectens, sed & eum Christo pauper regnauit in humilitatis conuersatione, in charitatis vbertate, in castitatis lumine, in diuinorum præceptorum pinguedine, & ita se Domini totum tradidit disciplinæ, vt ab ipsa infantia Domino accederet, & positus in corpore, quasi nihil de carne portaret. Hac itaque beatissimus instructione succinctus, & venerandis operibus magnus Sacerdos, cùm, inquam electus Dei calcata mundi culpa diuinis armis initiandus accederet, fœlicibus artibus palmam de hoste publico relatum, in militia Christi exercitandus, optimus bellator effectus est, ac se ipsum in templo Christi primitiis offerens voluntarium sacrificium & deuotum, scilicèt hostiam victimæ carnis puræ mentis ingenio Deo reddit clarior mente quàm nomine, & meritò maior quàm gradu sine offendiculo suum gerens officium. Cupiuítque in merito crescere, & quod acceperat augere, cuius occulto facto citiùs velut in vite palmites cœperunt fructificari virtutes, nec pertulit in eo Christus sua dona diù abscondi, quæ de sursùm venerant, & ab eo humiliter videbantur amplecti. Denique cùm adhuc Christianorum tyrocinium exerceret miraculis eius proditur, & signis cœlestibus illustratur. Ipse namque accedens quadam vice ad officia fabrilia extracta de ardenti camino ferri massâ candente, despectus ab artifice cogitur, vt manu suâ ferrum accensum attolleret, & quanti esset ponderis enarraret. Tunc vir beatissimus Lupercius, non ignarus tantum de Christo præsumebat, quòd cùm esset in verum virtutibus potens, præstans erat omnibus obedire: mox verò suppositâ manu ferrum altiùs eleuauit dicens. De calore, calet, sed nouem pondera habet, quod posteà habere tantùm in statera inuentum est, vt vox libera prædixerat, & sic in vna

ſpecie duplex miraculum propagauit, & cum nec foci calor læderet, nec ferri pondera fefelliſſent. Tandem fractis vitiis inſe libidinis vaporem non habuit, qui tam liber diù portauit incendia. Nam qui elementum ignis vicit, ante flãmas carnis extinxit, & vt in ipſa penſa probaret ferri pondera fuit hoc ex virtute diuina, vt populus incredulus potiùs crederet Dei famulum eſſe Lupercium. Itaque cùm eſſet annorum decem adueniens Holoronam ciuitatem, inuenit ibi quinque cœcos, qui ab annis natiuitatis ſuæ numquam viderant, & ſedebant ad ſtipem quotidie. Vt autem Dei ſanctus vidit flentes ante ianuam, ex ſputo liniuit oculos eorum, & illuminati ſunt per orationem, & credulitatem Sancti Lupercij. Tunc multitudo populi ſignauerunt ſe ſignaculo Domini, & credebant in Deum, quia videbant magnalia, quæ operatus eſt Dominus Ieſus in virtute famuli ſui Lupercij, & quòd eorum qui à natiuitate lumen non viderant, per orationem famuli ſui aperti ſunt oculi. Cùm verò eſſet annorum duodecim, eremum concupiuit, ibique afflicto corpore, diù Deo ſeruiuit. Poſteà captus eſt & cathenatus exinde rediit, peruenitque ad vrbem Heliſonam, ſuper fluuium Geliſam, vbi erat vermis, qui vocabatur Echina, cuius timore in quatuer & dimidio miliaribus nullum facere iter homines præſumebant, & erat in cauernis montium, & petrarum. Dixit autem Sanctus Dei Lupercius circumſtantibus ciuitatis; Eamus ad ſerpentem, & eiiciamus eum, de agro quem poſſidet. Ad quem veniens Sanctus Lupercius, exiuit, & voluit comprehendere eum. Tunc ſanctus Dei orans, aduerſus ſerpentem tulit orarium ſuum, quo erat indutus, & alligauit eum per collum eius, pertraxitq; eũ vſque ad fluuium Geliſæ, & conteſtatus eſt eum, vt nullam tangeret ripam fluminis vſque dum ingrederetur mare. Tunc multitudo populi laudantes Deum cognouerunt quòd gratiâ Domini in famulo ſuo Lupercio fuerat reuelata, tantam virtutem oſtendendo contra magnum ſerpentem. Cúmque viginti ſex eſſet annorum venit ad eum paralyticus, cui erat nomen Aſtericus, ab annis XXVIII. habens lepram multam pro quo orauit Sanctus Lupercius horis duabus, ſignauit illum ſigno Crucis & oſculatus eum dixit: ſta ſuper pedes tuos; Eadem hora

ſed opera manuum hominum. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant. Audiens autem Præſes vocem eius, ſilentium fecit, & reſpiciens in eum dixit. Tu homo non ſolùm iniuriam facis, ſed & diis imperas. Hi ſunt quibus oportet gratias agere. Ideò modò ingredere, & ſacrifica Apollini, qui continet omnem terram, & gubernat ſæculum. Dic mihi tamen, de qua ciuitate es tu, & quod eſt nomen tuum, vel pro qua cauſa huc veniſti? Reſpondit S. Lupercius: Ego ab hominibus vocor Lupercius, & in Chriſto Chriſtianus ſum: Generaliter autem Cæſar-Auguſtæ miles fui ſuper multum numerum, ſed reuertens ad Chriſtum benè ago cum ipſo. Dixit iterùm Præſes, ingredere vt ſacrifices magno Apollini, ſanctus Lupercius dixit, non ſacrificabo dæmonibus. Erubeſce Præſes, quoniam non ſunt dij, ſed ſunt ſurda, & muta opera hominum, manu fabricata. Tunc iratus Præſes iuſſit eum in equuleo ſuſpendi, & vngulis vexari, ita vt inteſtina eius diſrumperentur, & has pœnas fideliter in Chriſto ſuſtinuit. Tunc eum deponi, & foras ciuitatem duci, & per quatuor partes carnes de corpore eius cadebant exterminatæ, quas cilicio aſpero abſtergi iuſſit. Rurſus applicuit ei galeam ferream, & iuſſit diſcalceatum duci ſuper aculeos, & ſanguis defluebat de pedibus eius, quaſi de fonte. Iterùm iuſſit eum ciuitatem ingredi, & videns quòd nulla tormenta ei præualerent, iuſſit fieri arulam magnam, & collum eius acutis configi clauis ab intùs, & vno ferro acuto neruos eius euelli, & videns quòd non ei nocebant illa tormenta, iuſſit eum deponi, & malleo ferreo caput eius tundi, donec cerebrum eius per nares diſtillaret, & ipſe plus in Chriſto confortabatur. Deindè eum iuſſit in carcerem trudi, & in arcto cyppo extendi. Iterùm iuſſit Præſes columnam quam vix decem, & octo viri portabant, ſuperponi ventri eius, & dum in cuſtodia fuiſſet, benedicebat Dominum, qui eius animam & membra confortabat, vt vinceret inimicum diabolum, & ecce lumen præclarum fulſit in cuſtodia. In eadem verò nocte apparuit ei Dominus, dicens: Confortare Luperci, ne deficias, quoniam ego tecum ſum. Per meipſum iuro, & per Angelos meos ac per potentiam meam, quod inter natos mulierum non eſt maior Ioanne Baptiſta, qui intercedat pro te. Eſto fortis in

veritate, & noli deficere, quoniam ego tecum sum, & non derelinquam te, statímque Dominus ascendit in cœlum. Sanctus verò Lupercius non cessabat deprecari Dominum, nec per somnũ vidit, quia hæc visio apparuerat, ei luce factâ. Tũc iussit Præses Sanctum Dei produci de carcere, & ante conspectum suum venire, & ipse psallebat Domino dicens: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ingressus verò ad Pręsidem dixit ei. Tu sis cum Apolline, ego sum cũ Deo quẽ inuoco. Iussit eum iterùm Præses extendi, & flagellari, cæsúsque accepit in dorso centum plagas, & in ventre quadraginta, & scripsit Præses epistolam per orbem terræ, dicens. Si quis magus poterit soluere magicas artes Christianorum, veniat ad me, & dabo ei auri pondera ducenta, & argenti sexcenta, ac possessiones multas, & erit secundus in Regno meo. Tunc sanctus Lupercius voce magnâ clamauit dicens. Domine Iesu Christe, qui dignatus es descendere de cœlo in terram, libera omnes, qui à diabolo detinentur, & libera animam meam, & da mihi signaculum, vt merear ingredi portas Paradisi. Videns ergo Præses Sanctum orantem, iussit eum à lictoribus cædi, & iterùm in custodia detineri. Aliâ verò die iussit Præses maganam fieri, & acutis eam clauauit clauibus, & in medio eius sanctum Lupercium mitti præcepit. Tunc vnus ex Principibus, cui nomẽ erat Georgius, videns maganam, ac rotam voluentem, & rugientem, intra se cœpit dicere: Putas liberari de isto tormento. Tunc aspiciens eum Dominus dixit ei: Luperci, memor esto temporis in quo Christus inter duos latrones crucifixus est, & respiciens in cœlum dixit ei. Memor sum Domine mandati tui, & dixit, Domine Iesu Christe, cuius imperium permanet in sæculum sæculi, corona te laudantium, virtus sustinentium, credentium fortitudo, sperantium vita, auxiliator subueni mihi in hac tribulatione. Tu Domine antequàm cœlum, & terram faceres ipse es, cuius spiritus super aquas ferebatur & requiescebat, & nullus hominum vidit maiestatem tuam, neque videre potest, perpetuâ sapientiâ cœlum fundasti, & nubes adimplesti, qui pluis super iustos, & iniustos. Domine qui creasti cœlum & terram, & montes ex tua virtute magnificasti, qui imperas congregationi vento-

rum, & eos qui non crediderunt in te, in tartarum tradidisti. Domine Deus qui in posteriori tempore misisti nobis vnicum filium tuum, quem intra Mariæ ventris cubiculum, per tuam pietatem inclusisti, quod nullus hominum potest intelligere, qui ambulasti super aquas maris, & non apparuerunt vestigia tua in mari, qui de quinque panibus quinque millia hominum saturasti, nunc exaudi me Domine, & accelera, vt eripias me de doloribus qui circumdederunt me, quia in te confidit anima mea, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen. Completâ verò oratione missus est in rotam, & maganam constrictam. Eleuans autem Præses se, dixit omnibus Principibus suis. Videtis quia non est alius Deus nisi Apollo & Hercules, & Diana, & Athena, & Amandorus, & Ypoculus, & Neptunus qui cœlos palmo continent, per quos Reges regnant, & potentes obtinent Regna, & adiecit. Vbi est Deus tuus Luperci? Christus crucifixus, quem Pilatus, & Iudæi interfecerunt. Quare non venit, vt liberet te de manibus meis? statímque venit Dominus in medio, & dixit: Putas, possum te liberare de hac magana vt credant, ac confidant, atque cognoscant, quoniam tu es seruus meus Luperci? Ecce manus quæ plasmauit proto-plaustum, ipsa tibi sufferentiam dabit, & confortatus est beatus Lupercius. Videns autem vnus ex militibus, Anatolius nomine, qui fuit Magister militum, quòd famulus Dei cuncta tormenta pro Christo sustinuerat, credidit cum omni exercitu suo clamans, Luperci famule Christi, & nos credimus in Dominum Iesum Christum crucifixum, qui potest liberare nos de isto periculo. Audiens verò Præses, iussit eos eiici foras ciuitatem, & eos in heremum locum, & statuens eos in præcipitium, factóque signaculo Christi ab illis eos percuti præcepit. Tunc iussit venire sanctum Lupercium ante conspectum suum, & afferri lectum æneum, & in illum extendi, & liquefieri plumbum præcepit, & aperiri os venerabilis Lupercij, & superinfundi, quod factum est vt aqua frigidum, & nihil mali sensit. Tunc iussit eum solui Præses, & clauos igneos in capite eius infigi, & lapidem magnum insculptum capiti eius applicuit, & sic eum volui præcepit, & iussu Domini euulsum est omne genus pœnarum, & plumbum velut aqua factum est frigidum,

& nulla plaga in Sancto apparuit. Quod videns Dacianus Præses, iratus est, & iussit eum à capite deorsum suspendi, & in collo eius lapidem magnum ligari, & fumum naribus eius applicari. Quo facto iussit Præses bouem æreum apportari, & infixit in eo clauos ferreos acutissimos, & intra eum Sanctum misit vt membra eius disrumperentur, & fieret tanquàm puluis: sed ipse intus gratias agebat Deo. Quo viso, iussit Præses eiici inde Sanctum, & in custodiam mitti, & neruo ferreo constringi, donec excogitaret quomodò eum perderet, quia nullum tormentum ei præualebat. In eadem verò nocte, in custodia apparuit ei Deus, dixítque ad eum: Confortare Luperci, ne timeas tormentum quod tibi additum fuerit; ego enim tecum sum: Confortare in virtute, & vera confessione, & hoc dicens Dominus ascendit in cœlum. Ipse verò non cessabat dicere, gratias tibi ago Domine Deus meus, quoniam apparuisti mihi. Tunc iussit eum Præses adduci, & inter Maganas retrudi, & fortiter constringi, & in capite eius serram poni, & secari, vt faciliùs membra eius disrumperentur: sed ipse ampliùs in Christo confortabatur, & dixit Dominus ad eum: Confortare ne deficias, quoniam ego tecum sum in omni passione tua. Cui mulier quædam dixit: Domine sancte, natus est mihi filius cœcus, surdus, & paralyticus, & ecce confundor coram vicinis meis, sed si per orationem tuam, saluabitur filius meus, credam in Deum tuum. Videns ergo Sanctus Dei fidem mulieris, dixit ad eam, affer mihi filium tuum, & accipiens infantem posuit eum super genua sua, imponénsque ei manum suam orauit ad Dominum, & completa oratione insufflauit in oculos eius, & continuò aperti sunt, & visum recipit, & dixit ei mulier. O famule Dei, præsta vt ipse audiat, & ambulet, dixítque ad eam sanctus Lupercius: sufficit ei nam gressus eius non erit cognitus vsque ad diem quo eum vocauero, tunc audiet vocem Domini, & veniet ad me, & ampliùs ei non est locuta mulier. Timuit enim eum, quia vidit vultum eius sicut Angeli Dei. Præses verò cœpit deambulare in palatio suo, respiciénsque vidit sanctum stantem in signo mirabili, & multitudinem populi circa eum, qui facto signo Christi percussit terram pede, & exiuit fons aquæ viuæ, & baptizauit eos in nomine Patris,

& Filij, & Spiritus ſancti,& introierunt cum eo in ciuitatem. Baptizati ſunt autem tunc à S. Lupercio mille ſexcenti, & octo,qui ſtatim crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum,& ingreſſi ad Præſidem dixerunt: Tu ſis cum Apolline, & nos cum Domino noſtro Ieſu Chriſto:& reſpiciens Sanctos Dei Præſes conturbatus eſt ſicut leo, & iuſſit eos ſuſpendi pedibus,& gladio percuti. Coronati ſunt autem in nomine Domini per ſanctum Lupercium illi omnes: Tunc Præſes ad Sanctum Dei dixit, per Solem,& ſeptuaginta & octo deos,& matrem eorum Dianam te obteſtor, conſenti mihi fili Luperci vt patri, & ſacrifica Apollini, qui continet omnem terram, & carebis tormentis horrificis. Dixit ad eum Sanctus Dei, vbi fuerunt abſconſa verba iſta manſueta? Tanto tempore in manibus tuis ſum, & tormentis variis tradidiſti me. Nam & pro te gratiam Dei mei acquiſiui, & omnes, qui in Deum meum crediderunt,ſed ſermones manſuetos,& verba dulcia à te huc vſque non audiui. An ignoras Præſes, quia genus Chriſtianorum immortale eſt, & contra omnia tormenta diaboli reſiſtit, ſufferens omnia? Quare ſuades mihi vt Apollini tuo ſacrificem, & faciam voluntatem tuam. Tunc Præſes lætus factus eſt,& cœpit caput eius oſculari. Sanctus verò Lupercius non permittebat dicens,non eſt talis conſuetudo vrbis Heliſonæ,ſacrificabo primùm diis,& ſic meum oſculaberis caput. Rurſúmque dixit Præſidi. Tu es morbidus, & ſol declinabit, non poſſum hodiè ſacrificare diis tuis, ſed præcipe me hodiè in cuſtodiam retrudi, vt cras ſacrificem diis. Reſpondit Præſes, non eris in cuſtodia vt pœnis tradaris, ſed pro his plagis, quas tibi iuſſi imponi, indulge mihi, vt pa ri tuo. Tunc flexit genua famulus Dei, & orauit dicens. Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter, Tu es Deus qui facis mirabilia. Tunc dixit Præſidi, congrega omnes ſeniores, & Principes tecum, & ſtabo in palatio tuo, ego & Sacerdotes deorum, & omnis exercitus militum, vt omnes videant quãdo ſacrificauero Apollini. Tunc præcepit Præſes præconi vt clamaret voce magnâ dicens. Conuenite omnes populi ad templũ deorum, quia Lupercius famulus Chriſti ſacrificabit magno deo Apollini. Quod mulier audiẽs,cuius filius cœcus fuerat natus,& per orationem S. Lupercij illuminatus,confe-

stim dissipauit crines capitis sui, & scidit vestimenta sua, attollénsque filium suum, transibat clamans voce magnâ, & dicens: Væ tibi Luperci, qui mortuos suscitasti, & cœcos illuminasti, & claudos curasti, & multa bona operatus es aduersus inimicum. Quomodò vis sacrificare Apollini, auertens omnes populos, qui credere desiderabant in nomine Iesu Christi Saluatoris? non permittat hoc Deus fieri. Væ tibi diabole, & operibus tuis. Sanctus verò audiens vocem mulieris, silentio facto vocauit eam ad se, & dixit: pone infantem ante me, & dixit infanti. Christus qui illuminauit abscondita tenebrarum ipse tibi imperat, vt stes super pedes tuos, & veni, & loquere omnibus. Eadem horâ surgens infans venit ad famulum Dei, & ille dixit ei: Tibi dico puer, ingredere in templum paganorum, & dic idolo Apollinis: Tibi dicit famulus Christi, exi velociter, & ingressus puer in templum dixit idolo. Tibi dico idolum surdum, & cœcum, ac mutum, deceptio, ac perditio animarum in te credentiũ, Lupercius seruus Christi vocat te, & cœpit Apollo clamare. O Iesu Nazarene omnes ad te traxisti, & nunc contra me manifestasti infantem trium annorum. Vnde hoc vt talis puer ad me ingrederetur? Adueniens idolum stetit ante famulum Dei. Dixit ad eum S. Lupercius. Tu es deus paganorum? Nonne cognoscis Luperci quid ego sum? Sustine me vnâ horâ, & indicabo tibi omnia, dixítque ei famulus Dei. Quicquid volueris dic. Respondit idolum, & dixit. Quomodò Deus cœlum, & terram creauit, plantauit Paradisum ad Orientem, & dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Sed & Princeps noster deiectus est de cœlo, & nos omnes cum eo, quia dixit in corde suo: In cœlum ascendam, & super astra exaltabo solium meum, sedebo in latere Aquilonis, regnabo in nubibus, & similis ero Altissimo Ideò iratus Dominus abstulit à nobis gloriam nostram, & proiecit nos vt pluuiam super faciem terræ, & propterea facti sumus minimi omnium creaturarum, & ob hoc ego maneo in statuis istis, & si potero aliquem seducere, hoc mihi lucrum est. Sanctus Lupercius dixit: Miser tu cùm sis miserrima creatura, & tuo de merito sis damnatus, cur decipis mentes hominum & à viritatis deuiare voluisti? Ego te mittam in infernum, etis ibi vsque in diem iudicij, quando

eris rationem redditurus ante tribunal Christi, & ingressus in templum, insufflauit idolum Herculis, & omnium simulachrorum statuas, & facta sunt velut puluis. Rursùm dixit: Ite omnes dij paganorum in perditionem, & nusquam appareatis. Tunc dæmones rugientes cœperunt fugere dicentes. Magnus est Deus Christianorum, qui potest eripere credentes in se de tribulatione. Ideóque Sacerdotes paganorum confusi vehementer, & leuantes Sanctum Dei adduxerunt ante Præsidem, & indicauerunt perditionem deorum suorum, quomodò in inferiorem infernum misisset eos. Igitur Præses dixit ad sanctum Lupercium. Induratum est cor tuum, vt video, Luperci, quia non vis adorare deos nostros. Quamobrem iubeo te extra ciuitatem ab apppari toribus duci, & capitalem subire sententiam die IV. Calend. Iuliarum, Regnante Domino nostro Iesu Christo, vnà cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

AD CAPVT XIV.

Passio sancti Vincentij Martyris Christi, qui passus est in Prouincia Galliarum, in pago Agenensi, in castro Pociaco V. Idus Iunij.

DE sancti, ac beatissimi Vincentij martyris passione, triumphus eius aliqua dicere nos hortatur, sed verba frustrantur, & in laudem inclyti Martyris loquuturi deserimur meditationum ingenio, non materia meritorum. De cuius gestis, atque virtutibus æmula scilicèt Christianis, & irreligiosa, ac profanis cultibus dedita, quantùm intelligi datur, antiquitas silere magis voluit, quàm vllis tumulorum monumentis notitiæ hominum, atque memoriæ id commendari. Pauca tamen de plurimis quæ fidelium relatione comperimus, stylo, & arte perstringimus. Nam merita illius faciliùs virtutibus agnoscimus, quàm sermonibus explicare, cùm præsertim nos non debeamus explicare sermonibus, nisi quæ probantur cohærere virtutibus. Cœptam ergo passionis historiam in quantùm à Domino fandi copia suggeritur, exe-

quamur: quia laudare inclyti, mirandique Martyris Vincentij gesta ipsius carptim magnis clamoribus insignita protestantur. Tentus itaque in Agennensi territorio, Mireonensis ruris agro Velano, vbi sacrilega paganorum turba conueniebat, cerimonias non religionis veræ, sed falsæ, & rerum seductionis insectans, ad templum quoddam inibi constitutum, quod inhabitantis dæmonis fallacia conuenientibus ibidem vulgis, eorum oculos, mentésque fallebat, ita vt putaret se minùs deuota plebicula, aliquid ibi operis Dei, in illudentis diaboli simultatibus intueri. In hoc namque loco prædictus spiritus immundus, tunc incolebatur ab omnibus, & etiam ab ipsis agricolis, qui nunc cruore martyris sublimatus, Basilicæ etiam constructione conspicuus, & annis singulis conuenientibus ibidem singulorum castrorum populis, quasi florum amœnitate variatus, mirâ veneratione in Martyris Christi Vincentij pulchritudinem declaratur. Ad memoratum ergo delubrum, cùm ante dictæ vrbis plebs, & populus conueniret tempore constituto, fallaciam, quâ eos nequissimus diabolus decipiebat, suppliciter, & superstitione vnâ, & veneratione solitâ, excultum ante ipsius templi fores, quasi ad nutum ipsius numinis, immò veriùs dixerim dæmonis, rota erat solita flammis circumsepta prorumpere, & à summo collis vertice in profluentis fluminis gurgite in præceps deorsùm propè ad nihilum percurrere, rursúmque à flumine ad templum eadem rota venerata, vomens incendia videbatur remeare. Ergo videntibus huiusmodi phantasma fallacissimus ille diabolus, & inuidus bonorum, & valdè nequissimus deprauator persuadebat ipsis miseris, vt eum crederent esse, qui non erat. Iam solitus diei concursus aduenerat, in quo aspicientes progredientis rotæ igneum gyrum inhiantes populi sollicitudine magnâ existebant. Inter quas populorum caterùas S. Vincentius Martyr Christi mox futurus, miseratione Domini, ne populus diutiùs illuderetur, exhibetur, nulli anteà incolarum cognitus, nec Clero, sed quantùm rei exitus docuit, martyrio coronandus aduenit. Et quænam esset populi celebritas sollicitus Dei cultor Vincentius agnouit. Nec eum dolus diaboli, quia erat Dei

famulus Christicola fallere poterat. Prorumpens ergo de templo, fraudulenta diabolicæ machinationis opera athleta Christi, eleuata sursùm dexterâ, signo crucis obruit, atque omnis illicò diaboli deletâ phantasiâ, facto signaculo veræ deitatis, euanuit, & numquam vlteriùs prorsùs fallacia nequissimi deceptoris, mentes hominum in posterùm seductura ibi comparuit. Attonitus itaque Præses, potentiam nominis Dei abhorret, perspicit vacua Dei sui incendia, per signaculum veri numinis, ingemuit, religionémque subitò deplorat irrisam, nec genæ lacrymis caruerunt. Nam exagitatur furiis, & sanctum Dei famulum Vincentium, cathenarum maculis præcipit implicari, & vinctum ad examinis Dei sui aditum iubet vsque perduci: sperans ibi vel reliquias esse, quibus vltionem ei redderet, Sed cùm in infamiam fidei hominis resedisset diabolus, desertâ solitâ sede, habitaculum sibi elegit in Præside, vt sanctus Vincentius celeriùs migraret ad cœlum, & Præses agitante diabolo in supplicio sempiterno præceps descenderet in infernum. Lictoribus igitur ad quæstionem Præsidis, vir beatus Vincentius suppliciis innocens mancipandus attrectatur, in quo loco Præses satellitibus circumseptus nomen, patriámque, genúsque inquirit. Cui nihil vir inclytus, nisi seruum se Christi, & Vincentium nomine profitetur, & cùm nihil aliud interrogatus, sæpiùs nisi seruum se Christi, & Vincentium nomine responderet, commotus Præses, videns despici se ab eo, & eleuans se à solio irâ repletus exclamauit, & inde fossis in terram peracutis sudibus, sanctum Dei famulum Vincentium iubet extendi. Cúmque adhibitis hincinde verberibus teneram corporis cutem turbidus lacerator scinderet, & hominem Dei ad nullam molestiam prouocaret, sed cum magna exultatione, Dei famulũ se fateretur. Tunc Præses torqueri diutiùs eum iubet, & ipse nempè author sceleris, & suppliciorum illator furore succensus, duci iubet beatum Vincentium citò ad stadium, ne præcipitaret delubrum. Absolutus est ergo à patibulo, membris quidem laceratus, sed spiritu alacer, & robustus. Cùm autem ad victimam duceretur oratione factâ, signans se signo crucis, adeò lætus erat in Domino, quòd ad coronam victoriæ proximus imminebat, & quia quie-

tem potiùs, quàm mortem excipiebat. Tunc Præses ad constitutum locum cum suis satellitibus affuit. Adest & apparitor, vt eum gladio percuteret, & sic beati Vincentij Spiritus capitis gloriosâ detruncatione, post triumphum alta cœli conscendit ad præmium. Hæc postquàm ibidem gesta sunt, corpus eius Christiani collectum altis scrobibus condiderunt, vbi per ter dena aut ampliùs lustra, fidelibus sacri corporis membra latuerunt, & numquam ibi post martyrij diem cultus dæmonum, aut phantasmata apparuerunt. Post longum verò temporis spatium ipse martyr quemdam Christianum in somnis admonuit, vt corpus suum reuelaret, & incognitum nomen suum edocuit, locúmque latentis sepulturæ manifesta indicatione detexit. At vbi ad recipiendum martyris corpus B. Vincentij homo prædictus ad Pompeiacum castrum venit, non longè à Reone mittit ad quemnam quatuor ferè, at quinis millibus constitutum, & quasi præsens loqueretur edixit. Sancti igitur viri, & religiosi eiusdem Pompeiacensis castri, nec non & Presbyteri relatione huius reuelationis edocti, & indicatum locum magnâ fide, ac reuerentiâ conuenerunt, & alacriter inquirentes, quod eis indicatum fuerat, post tanti temporis spatia repererunt sancti martyris Vincentij corpus illæsum, post tanta supplicia, tantíque temporis interuallo tabo liuidum, nullis compagibus dissolutum, nullis vermium morsibus exartum. Ad electum ergo martyris beati Vincentij locum iuxta reuelationē admonitam effossa à fidelibus membra gestantur, & Pompeiaco in complacito sibi solo, vt ipse monuerat, tumulatur, vbi sanctificationis gratiam promeretur, vbi deuoti, & pretiosi corporis præsentia gloriatur. Sed propagari se potiùs venerabilis vir inclytus martyr Vincentius pro conferenda locis gratia voluit, quàm mutari: hic vbique orantibus cùm inuocatus fuerit, promptus adesse dignatur; sed vt aliqua in locis pluribus beneficia tribueret præsentia tumuli per sancti Vincentij martyris artus potentiam, ideò magna virium virtutem tua voluit munerari. Nam veteribus loci illius incolis gens Goticæ in eius præcipuè festiuitate dominabantur, sub hostilitatis sorte, & omni proprietatis iure priuauit eos diù generationis illius rapacitas, huc illúcque bacchata,

& repleta diuersorum facultatibus, nec expleta. Tandem ad hunc præsumptionis ausum seducta instinctu superbiæ, & nimis rapinis, & diuitiis elata, & Arrianę hæreseos imbuta venenis ad terras præfatas peruenit, vt dirueret beati Vincentij Basilicam, & dissolueret sepulturam. Transferre etiam ipsius membra præsumeret, quod Nicasium potentissimum, & nequissimum sacerdotem iuuenilis ætas facere meminit præsumsisse, nec longè post præsumptionis ausum, pater hylaris haud sponte, sed sorte Dei obtinuit gubernacula regionis illius, qui statim eum genere, familiâ, & omni vtilitate priuauit, & ipse intra Hispaniarum Alpes ad preces martyris Vincētij ad diuina migrauit. Quo facto protectione illius martyris, omnem superbam potentiam dęmonum de loco sepulturæ suæ vir Deo placitus amouit, nec ad integram pessimi vltionem migrati Hispaniæ sola suffecit. Nam læsis nutu Dei gentis suæ Principibus, in Italiam vsque translatus est. Et licèt superauit fœtidum lacum illæsus facto suo, dignè per aliquot tamen annos vexatus est tali, morbo, mulctatus scilicet exilio. Post integram vero exilij, longámque mœstitiam ab Italia in Hispaniam, & ab Hispania rursus redire præsumpsit non vt ferociùs aliquid ageret, sed vt arrogantis vitæ cursum iuxta martyris sepulchrum consummaret. Nam eo in nauicula ad alteram ripam fluminis transeunte, absorbentibus vndis demersus, vt martyris iniuriam magno iudicio, diuina sententia vindicaret. Oremus itaque Dominum Deum nostrum, vt qui martyri beatissimo Vincentio tanta dignatus est tribuere, nobis eius interuentu benignam retributionem concedat, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria, virtus, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

AD CAPVT XVI.

Passio sancti Iuliani Martyris qui passus est V. Calendas Septembris.

SVblimem, atque venerabilem passionem beatissimi Iuliani martyris referre disposui, quē patronum plebs Aruernensis sibi subuenire congaudet. Qui licèt martyrium non fugiens, in Aruernensem vrbem aduenit, quem Christus pro dilectis eis intercessorem tribuit, vt vrbs, & plebs tanti martyris tutela muniretur. Et quoniam passionem eius nondum intercipit obliuio, nunc oportet eamdem fidelibus scriptis in tempora secutura transmitti. Quoniam sicut in vniuerso orbe illustrissimum est martyres venerari, ita & huic plebiculæ sanctum Iulianum martyrem intercessorem, vel suffragatorem præstare dignatus est Dominus. Igitur illo tempore in Viennensium vrbe accidit persecutio Christianis sub Crispino quodam Præside; sanctissimus autem Ferreolus iam à Deo martyr fore probatus, tunc in supradicta vrbe Tribunitiam gerebat potestatem, sic tamen gerebat militiæ officium, vt sacræ religionis propositum adimpleret: Beatum autem Iulianum ideò quòd esset vir Christianissimus in suo solatio detinebat. Cúmque ipse sanctus Ferreolus comperisset de Christianorum persecutione, ait ad sanctum Iulianum: Cognoui quidem persecutionem Christianorum ad hanc vrbem esse venturam, & ideò obsecro te, vt ab istis locis recedas, quousque desinat persecutio in Christianos. Cúmque exhortationem hanc audisset beatus Iulianus, in territorium Aruernensis vrbis se contulit. Ingressúsque tugurium cuiusdam mulieris veteranæ, ab ea se occultari deprecatus est, eò quòd hospitium eius non longè haberet à loco vbi à Gentilibus vana simulachra colebantur. Ad cuius latebras persecutores protinùs affuerunt, à muliere sciscitantes, vbinam esset, qui ante paululùm ad suum hospitium confugisset: illa verò negante vllum ibi esse, sanctus vir nolens

sibi

ſibi coronam fraudari, perſecutoribus ſe offerens ait: Hic eſt quem quæritis, implete quod vobis à Principibus veſtris præceptum eſt: cúmque aliquantulùm orationi incubuiſſet, ceruices ſuas perſecutoribus obtulit. At illi extracto gladio caput eius amputantes, atque ad exemplum cæterorum, qui in Viennenſium ciuitate morabantur, caput S. Martyris ſecum detulerunt, reliquo corpore ſacri ſanguinis ſui vndâ perfuſo. In illis verò temporibus à Gentilibus vana ſuperſtitio in illis locis colebatur; duo tamen ſenes compuncti diuinâ virtute, corpus S. Iuliani, de loco vbi ipſe decollatus eſt, ad viam, cui Briuates nomen eſt, tranſtulerunt, & venerabiliter ſepulturæ tradiderunt. Qui inde ad propria redeuntes, pro beneficio ſepulturæ ſenſerunt tantam fortitudinem ſibi à Deo datam, quantùm in iuuentute habuerant, & priſtinam recepiſſe virtutem. In illis verò diebus, quidam diues de Hiſpaniæ partibus Imperatori cuidam Treueris ſedenti, culpabilis extitit, quem accerſitum, & carceri mancipatum pro ſuo crimine iuſſit poſt perendinatos dies capitalem ſubire ſententiam. Quod cùm comperiſſet vxor eius anxia, atque mœſta, ad cadauer mariti ſui colligendum celeriter properabat, cúmque per Briuatenſium vicum matronæ prædicti ſenes quò tenderet, vel quare triſtis eſſet, diligentiùs inquirere, ipſis omnia reuelauit. Tunc dixerunt matri-familiæ: Ante paululùm temporis decollatus eſt in his partibus à perſecutoribus quidam Chriſtianus, cuius corpus nos cum ſummo honore ſepelientes, & inde redeuntes, eamdem, quam in iuuentute habuimus, ſenſimus nos recepiſſe fortitudinem, & virtutem. Cùm autem hoc audiſſet fideliſſima mulier, ſtatim ad ſepulchrum S. Martyris orationi incumbens, ſpopondit ei, vt ſi virum ſuum videret incolumem, & domum ſuam reuerterentur, in illius honore cellulam ſuper ſepulchrum eius ædificarent. Cúmque diutiſſimè ibi oraſſet, proficiſcens tandem venit ad ciuitatem, in quâ ingreſſa, vidit virum ſuũ Regiâ indulgentiâ abſolutum, qui non ſolùm abſolutionem meruerat: verùm etiam honorem receperat. Qui remaneat, & ad beati Iuliani ſepulchrum vota complentes, cellulam ſicut mulier promiſerat, conſtruxerunt, & deinceps omni vitæ ſuæ tempore ingentia munera pro conſolatione tanti beneficij, ad

venerabile sepulchrum ipsius detulerunt. Posteà verò opinio beati martyris, vel fama ibidem declarata omni populo celebranda innotuit. Nunc verò populo illi talis testis assistit, quod à plebe illa Martyris patrocinium numquam recessit, & ideò pro immenso eius beneficio à fidelissimis Christianis ædificata est ibi Basilica in honorē ipsius, quæ celsum protulit ædificata fastigium, quæ non vno tantùm muneris ornata est priuilegio, quia peculiaris patroni nostri referta est virtutibus. Nec hoc silebo miraculum quod Dominus ad laudem nominis sui facit. In die enim Natalis ipsius, multa fidelibus beneficia orationibus, & intercessionibus S. Iuliani Martyris Dominus operatur. Cœci namque illic illuminantur, dæmones effugantur, & omnes infirmi sanantur, & in pace benedicitur Christus Dei filius, cui est honor, & gloria, virtus, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Finis Partis secundæ.

ADDE.

Libro I. cap. 15. pag. 30. lin. 16. *ductus est*, adde *à spiritu*. Pag. 16. cap. 5. lin. 5. post *intelligunt*, adde, quæ Epiphanium scripsisse miror, ac penè dubito. Recenset enim ille in Panar. libr. II. Tom. I. Hæresi 51. cap. 11. variam Pauli Apostoli prædicationem, & ait, *prædicat primùm in Dalmatia, & Gallia, & in Italia, & Macedonia, maximè verò & primùm in Galiia, vt & ipse Paulus de quibusdam suis discipulis ait in Epistolis, Crescens*, inquit, *in Gallia, non enim in Galatia, vt quidam errantes existimant, sed in Gallia.* Verùm hæc verba Pauli codicibus aduersantur, quæ legunt *Crescens in Galatiam*; neque verum est quod illa verba insinuant *primò & maximè* in Galliis Paulum prædicasse, sed solùm in Gallo-Græcia, vt patet ex Actis Apostolorum, & eius Epist. ad Galatas. Quare cùm Ado in Gallia Crescentis memoriam die 29. Decembris, & in Galatia alterius discipuli Pauli antiquissimum Romanum Martyrologium die 27. Iunij celebrent, duos Crescentes distinguendo fortè non aberrabimus.

Libro II. cap. XVIII. pag. 83. lin. 2. *post* 179. adde, *vel M. Aurelij VII. vt alij dicunt ex Chronico Eusebij, & eius Historiam corrigunt.*

Libro III. cap. XXIX. pag. 129. lin. 16. Saturninum *hunc* Rhetorem *esse* existimat. Eodem Libro cap. XXXVI. pag. 137. lin. 25. post *constat*, adde, *Pontius Vir clarissimus Philipporum Impp. ad Christi fidem*

conuersione illustris, *Româ profugus*, *in Galliis in Cemelensium Alpibus in maritimis vrbe consederat. Illum Christum prædicantem, veniens Româ in Gallias Claudius Præses interrogat, propter Viri dignitatem ad Imperatorem de eo refert, & accepto responso sacrificia repudiantem crudelissimis suppliciis addicit: rumpuntur equulei, vrsi in Pontium immissi venatores dilacerant. Ipse Christi Martyr ingenti strui lignorum impositus, mediis in flammis seruatur incolumis, & diuinam in Imperatores vltionem prænuntians, iubente Præside ad collem riuo imminentem capite plectitur.*

CORRIGE.

LIbro I. pag. 1. lin. vlt. lege *Clementem Romanum Episcopum*. Pag. 13. lin. 1. loco *qua*, lege, *ac mox*. Pag. 15. lin. 21. lege *Marcellam*. Pag. 29. cap. 15. lin. 2. *ab Angelo monitus*. Pag. 31. lin. 26. loco *multa* lege *nulla*. Pag. 32. ante *Georgium* scribe *numerum XVI*. Pag. 45. lin. 8. *ex veteri*. Pag. 49. lin 11. dele *magnum*. Pag. 50. lin. 19. *apud Gregorium*. Pag. 55. cap. 33. lin. 8. loco *secundi*, repone *tertij*. Pag. 61. lin. 14. lege *tertio* non *secundo*.

Libro II. Pag. 67. cap. 2. lin. 6. *quidam*. Pag. 68. cap. 4. lin. 19. *Andeolum*. Pag. 78. lin. 15. *Aurelianum*. Pag. 82. lin. 4. *peiorem*. Pag. 90. lin. 15. *vobis pudenda*.

Libro III. Pag. 104. lin. 27. *præsederunt*. Pag. 110. cap. 6. lin. 17. *instituta controuersia*. Pag. 111. lin. 4. *desideras?* Pag. 125. lin. 20. *inconditis*. Pag. 129. lin. 16. *hunc Saturninum*, lin. 18. *Consules*. Pag. 130. cap. 30. lin. 6. *Nathanaëlem*. Pag. 133. lin. 19. *ne curet*. Pag. 135. lin. 3. *potestatis*. Pag. 138. cap. 38. lin. 16. *ipsi Lolliano*. Pag. 145. cap. 45. lin. 8. *Euilasio*.

Libro IV. Pag. 154. lin. 15. *Hormisda*. lin. 16. *Iouinianus*. cap. 7. lin. 6. dele *ac*. Pag. 155. lin. 2. *Varum*. lin. 4. *Sebastiano*. Pag. 158. lin. 2. *promulgabant*. lin. 8. *Axonam*. lin. 18. *Rictius*. lin. 20. dele *esse* & repone. *Ille in Gallia*. Pag. 161. c. 18. lin. vlt. *confunditur*. c. 19. lin. 7. dele *Remis Macra virgo*. Pag. 162. lin. 4. *Pratorio*.

APPROBATIO.

NOS subsignati Doctores in sacra Facultate Theologiæ Paris. testamur, hoc primo volumine in quatuor libros distincto, quibus initia Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ describuntur, & ad ratam temporum libellam multa ex parte reuocatur, à nobis quidem accuratè perlecto, nihil contineri quod Fidei Catholicæ Apostolicæ & Romanæ aduersetur. Dignumque videri quod ad publicam vtilitatem in lucem emittatur. Datum Lutetiæ Cal. Augusti. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto.

HEMERE. DV FRESNE, DE MINCE.

PRIVILEGE DV ROY.



LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos Amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & tous autres de nos Iusticiers, & Officiers qu'il appartiendra, salut. Nostre cher & bien-amé IEAN CAMVSAT, nous a faict remonstrer qu'il desireroit faire imprimer vn liure intitulé, *Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ tomus primus, in duas partes diuisus. Authore F. Bosqueto, Narbonensi Pratore.* S'il auoit nos lettres sur ce necessaires, lesquelles il nous a tres humblement supplié de luy accorder. A ces causes, Nous auons permis & permettons à l'exposant par ces presentes, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance, ledit liure en telles marges, en tels caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de dix ans entiers & accomplis, à compter du iour qu'il sera acheué d'imprimer pour la premiere fois: Et faisons tres-expresses deffences à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny distribuer en aucun lieu de ce Royaume ledit liure entier, ou partie d'iceluy, sous pretexte d'augmentation, correction, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, durant ledit temps; à peine de quinze cens liures d'amende, applicables vn tiers à nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit exposant: de confiscation de tous les exemplaires contrefaicts, & de tous despens dommages & interests. A condition qu'il en sera mis deux exemplaires en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres-cher & feal le sieur Seguier Cheualier, Garde des Seaux de France, auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes, du contenu esquelles, nous voulons & vous mandons que vous faciez iouyr l'exposant plainement & paisiblement, sans qu'il luy soit donné aucun trouble, ny empeschement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit liure vn bref extraict des presentes, elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & que foy y soit adioustée comme à l'original: mandons en outre au premier nostre Huissier, ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploicts necessaires, sans demander autre permission. Car tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le 14. iour d'Aoust, l'an de grace 1635. & de nostre regne le vingt-sixiesme. Par le Roy en son Conseil, CONRART.